~~B K. 807.~~

De 1516

S. 197

S. 18[illegible]
54. MLF-XVIII

+ De 16. 4°

PROCESSUS IVDICIARIVS REGNI POLONIAE.

AB AVCTORE

THEODORO ZAWACKI
Ex familia Rogala

EQVITE POLONO.

Nunc tertiò recognitus & magna accessione adauctus.

Inseruire Deo, Patriæ, charis & amicis,
Vnica, cara mihi, cætera vana puto.

Cum Gratia & Priuilegio S. R. M.

Zur Universitäts Bibl.

VARSAVIÆ,
In Officina JOANNIS TRELPINSKI, S. R. M. Typ:
Anno Domini, 1647.

IN ARMA
ILLVSTRISSIMÆ ET
ANTIQVISSIMÆ PROSAPIÆ
REVERENDISSIMI
D. IOANNI GEMBICKI
PRÆSVLIS VIGILANTISSIMI.



BIBLIOTHECA REGIOMON

VIs veteres Ceras Virtutum signaq; scire
Gembicij cunctas, Fascia nunc retinet;
Doctrinæ viuum torrentem, Fascia stringit,
Innocuæ Vitæ, Præsidium & Clypeos.
Et quid ad Sparsum vides per scripta Virorum,
Sarmatiæ legis Fascia lecta tenet.

Illustrissimo & Reuerendissimo Domino;

D. IOANNI GEMBICKI

Decano Cracouien: Custodi Gnesnen: Præposito Generali Miechouiensi Secretario Regni Maiori, & Sacræ Reginalis Maiestatis Cancellario, Domino Patrono suo Colendiss.

simo.



PRodierat *ante paucos annos in lucem sub Nomine Illustrissimi & Reuerendissimi Domini Antistitis Cracouien: moderni, Fratris Illustratis Vestræ, tum temporis Episcopi Præmislien: supremi Cancellarii Regni, Typis meis excussus Process⁹ Judiciari⁹ Regni Theodori Zawacki. Hic igitur iteratò per me impressus non potest prodire felicius,*

licius quàm sub Illustritatis Vestræ Nomine Illustri: præsertim quòd Illustritas Vestra sit Illustrissimo & Reuerendissimo Domino Episcopo Cracouien: Genere, Naturâ, & genio Frater, Virtutumq; & honorum ipsius sectator eximius. Accedunt huc rara, & mirifica, animi & ingenii Illustritatis Vestræ ornamenta, iudicii grauitas, stylus in scribendo elegantissimus, omnesq; aliæ præclarissimæ, & cum Generis antiqui splendore coniunctæ Virtutes, quæ Illustritati Vestræ ad diuersas publicas functiones atq; supremum hoc Secretariatus Regni Officium, strauerunt Viam, ac Vlteriùs eædem ad ampliores, fauentibus Superis, prouehent Illustritatem Vestram, Dignitatum & Honorum gradus. Magna insuper vbiq; est, summa Illustritatis Vestræ naturæ bonitas, quæ exigua nunquam consueuit spernere, & proiicere à se officia, & conamina. Hac ego freitus, non existimaui alium eligere Patronum istius mei laboris, quem vt Illustritas Vestra, benigno vultu accipiat, meq; ipsum fauore, & gratia sua complectatur, demisè peto, habitura ad alia quæuis obsequia suâ, humillimum & promptissimum seruitorem.

Joann: Trelpinski.

Index titulorum huius Processus.

TITVLVS PRIMVS.
De Obligationibus et eas sequentibus Inscriptionibus.

TITVLVS SECVNDVS.
De actionibus & Citationibus.

TITVLVS TERTIVS.
De Processu.

TITVLVS QVARTVS.
De exceptionibus.

TITVLVS QVINTVS.
De Dilationibus.

TITULVS SEXTVS.
De Litis contestatione.

TITVLVS SEPTIMVS.
De Probationibus.

TITVLUS OCTAVVS.
De Iuramentis.

TITVLVS NONUS.
De Appellationibus.

TITULVS DECJMUS.
De Præscriptionibus

TITULUS UNDECJMUS.
De Poenis.

TITVLUS DUODECIMVS.
De Iudiciis, & tempore Judiciorum.

AD INVIDOS; LIVIDOS, AVTHOR.

Mirum, vbi Aristarchi calamum denteſque Theonis
Effugiam, meus aut hic labor effugiet.
Quæ caret inuidiâ, fortuna miſerima Momo.
Quondam non carnit Iappiter ipſe ſuo.
Auſpicium infelix, ſi me cenſore carere
Contingat, morde hic Zoile, carpe: licet.
Augurium fauſtum, & lucro tua deputo Mome,
Scommata: ſarcaſmos ô halophanta tuos.

AD CANDIDVM LECTOREM.

TE veniam pro laude peto; laudatus abundè
Non faſtiditus, ſi tibi Lector ero.
Cur tetricis placeam criticis? fautoribus illis
Non egeo, poſsim dum placuiſſe bonis.

ODERINT MALI DVM DILIGANT BONI.

SVMMA PRIVILEGIJ.

MAndauit S. R. M. Priuilegio suo, ne quis Typographus, Bibliopola, aut quiuis librorum Diuenditor, in Regno Poloniæ, Dominyſq; & Ditionibus eidem ſubiectis & annexis, librum Proceſſus Judiciarij Regni Theodori Zawadzki, iteratò per JOANNEM TRELPINSKI Typographum Varſauien: anno præſenti Typis excuſſum, audeat ſine aſſenſu ipſius palàm vel occultè Typis tam ſuis quàm alienis mandare, vendere, vel alibi editum, aduehere, ſub Pœna Mille Vngaricalium Fiſco Regio, & prædicto Typographo, per medium applican: & perſoluen:

PROCESSVS IVDICIARII REGNI POLONIÆ.

TITVLVS I.

De Obligationibus, & eas sequentibus Inscriptionibus,

QVandoquidem ex consensu hominis facta, aut dicta procedunt, ex dictis factisque contractus, vel quasi; ex contractu; vel quasi, obligatio: quæ est juris vinculum, quo quisque, quòd debet, secundùm receptam juris solvere cogitur, adhæretque nonnunquam nobis, sicut ossibus caro, aut character animæ. Igitur de Obligationibus, primò loco dicendum est: quibus perspectis & cognitis, faciliùs erit omnes alias Actiones, ex eis promanantes, cognoscere.

Atque in primis de MATERIA.
Postea de FORMA.
Demum de EFFICIENTE.
Postmodum de FINE ipsorum erit
Aliquid adnotandum.

Quæ est Materia Obligationis Contractuum vel inscriptionum.

Res Mobiles: Aurum, Argentum, Vestes, Pecora, Pecudes.
Et Immobiles: Agri, Fundus, Nemora, Sylvæ.
Corporeæ: Ea de quibus dictum est.
Incorporeæ: Vt sunt seruitutes: nempe per fundum alterius eundi: Pecora pellendi: in molendino alterius molendi: aquam per fundum alterius ducendi: iurisditionem exercendi.

Quæ res in Obligationem veniun

Res honestæ, vtiles, possibiles, & quæ sunt in eorum potestate qui promittunt.

Item, quæ non sunt contra leges Diuinas, & Humanas, quò minùs in obligationem venire possint.

De Forma ac validitate omnium

Obligationum in genere, tale Statutum est Sigismundi

Ad effugiendas difficultates in Inscriptionibus & Citationibus (quas vafri homines, & eorum Procuratores, ad longum inutiliterque trahere, simplicitatem verò iuris, ac iustitiam impedire solent) constituimus: quia inscriptiones reemptionales, cõmutatoriæ, donatoriæ, obligatoriæ ad certũtẽpus, & debitorium in certam diem fieri solitæ, bonorum vtendorum inter coniuges, aduitalitates, & arendarum, aliæque huiusmodi obligationes, sint iuxta formulas ipsarum Inscriptionum, in Statuto conscriptas; ita, vt si etiam breuiter in Actis scriberentur, debent tamen valere. Et hoc ita.

Vt quilibet vendendo sua bona, vel quocunque modo in-

scri-

scribendo, aut opignorando, comparens coram iudicio recognoscat: Quia bona sua, hoc est, hanc vel illam Villam vendit huic vel illi Nobili, & Successoribus eius, hac vel illa pecuniæ summa, cum omni iure, propietate, & dominio, sicut eandem solus habuit: atque dat realem intromissionem perpetuò, per Ministerialem hunc vel hunc, hoc adiecto (sicut latiùs in formula statuti descriptum est.)

Quodsi prædictus venditor, inscriptor, alienatorue, bonorum haberet vxorem; tunc eam tenebitur cum amicis suis adducere: vt cedat, de formatione dotis, & dotalitii sui, & hanc resessionem faciet, & recognoscet, iuxtam formulam venditionis, in Statuto contentam, cum consensu amicorum suorum.

Quarum quidem Inscriptionum tuitionem ac defensionem, vnicuique liberum erit facere sub damnis Terrestribus, vel sub vadio: prout scilicet inter partes contrahentes fuerit conuentum.

Contra tales verò Inscriptiones, obligationum & oppignorationum quarum vis, iam nullus locus, nulli homisum, ne procuratoribus quidem ad dicendum erit reliquus: nec quispiam controuersiam, atque contradictionem, contra easdem instituet, ac faciet: sed duntaxat eisdem Inscriptionibus satisfacere, & easdem implere, iuxta obligationem tenebitur, nullam Motionem Iudicis faciendo; pro quibuscunque tandem, debitis inscriptæ, & quacunque tandem tuitione roboratæ fuerint.

Sed neque vllam dilationem, atque procrastinationem debitor habebit, nisi forte esse coram certo iudicio demonstraret, & allegaret Quietationem sui, ratione satisfactionis, pro eodem debito inscriptam. In tali enim casu, semel ad futuros terminos, beneficio dilationis vti debet.

Quam quidem satisfactionem, & Quietationem sui tenebitur comprobare in futuris terminis, ex eisdem actis, ad quæ se receperit, sub amissione suæ causæ. Her. 117.

Inscriptiones qua forma sunt scribendæ?

Inscriptionum variæ sunt formæ in Statuto Regni contentæ quas habes infra. Quicunque verò voluerit alio modo, quàm forma est, in Statuto præscripta, inscriptiones facere, vel easdem in acta Regalia, quàm etiam Terrestria, aut Castrensia, à Notario inscribi & induci, præter eum modum & formulam, quæ est in Statuto descripta; ex tunc Notarius præfatus non tenetur secundùm Statutum, salarium accipere: verùm tàm ab Inscriptionibus eiusmodi & inductionibus earundem; quàm etiam à pargameneis inconsuetis & vltra formam Statuti diffusiùs & latiùs extradendis, quantitas salarii percipiendi, in arbitrio ipsius Notarii deponi debet. Vel prout tales personæ cum dicto Notario constituerint. Decr: in Conuentu Petricouien: Feria 6. ante Palmar: 1539.

Hoc quoque est sciendum: Quia inscriptio coram non iurato Officiali facta, est nulla. Decretum in Conuentione Petriconien: Feria 5. post Conductus. 1567.

Coram quo Inscriptiones fieri possunt?

Coram iudicio Terrestri, Herb. Fol: 151. & 116. Et coram Officio Castrensi Herb. Fol. 116. Item in positione Actorum Terrestrium. Herb, folio 170. Necnon coram Actis Cancellariæ Sacræ Reg: Maiest: Herb: fol. 31.

Hoc tamen notandum: quò Inscriptiones omnes, quæ

fiunt

fiunt coram Iudicio Terrestri, vel in positione Actorum Terrestrium, & illæ quæ fiunt coram Actis perpetuis Castrensibus, transportatione ad Acta perpetua non indigent: quæ autem coram Castrensibus non perpetuis, transportatione memorata intra anni decursum indigen Herb. F.. 6

In quo loco debent Inscriptiones suscipi?

Coram Actis: Vbi scilicet solent peragi, vel acta poni. Nullum enim Officium ad quenquam accedere potest, propter suspiciendas aliquas Inscriptiones. Tamen Regiæ Maiestati licet ad ægrotos in præsentia Regiæ eiusdem Maiestatis, ad suscipiendas easdem Inscriptiones mittere. Herb: Fol. 118. Quod sic peragi solet. Mittit Regia Maiestas Secretarium suum, aut Actorum suorum Notarium iuratum, qui rursus ad acta rediens, & coram Actis constitutus recognoscit. Quia vigore delegationis suæ, à Regia Maiestate fuit apud talem & talem, qui recognouit &c. Et tandem recognitio infirmi illius, ex relatione eius, in Acta est inscribenda. Hanc autem legem, tàm strictè quidam obseruari existimant: vt nec extra domum Iudicii ante fores, Officium suscipere posse inscriptionem ab infirmo.

Officium quid debet in recognitione considerare?

Debitam ætatem, discretionem bonam, siue vsum rationis: aliter non debet suscipi recognitio. Item debet considerare valetudinem corporis, quæ sic est scribenda: *Sanus mente & corpore.* Si verò corpore existat æger, compos verò corpore existat æger, compos verò rationis. *Æger corpore*, sanus tamen mente. Herb. folio 116.

Quomodo quis efficitur Obligatus?

Verbis expressis, claris, benevolis; ex interrogatione Officii, & recognoscentis responsione, talibus videlicet verbis: Spondesne? Spondeo. Promittis? Promitto. Recognoscis? Recognosco. Consentis? Consentio. Sed & omnis Inscriptio aut purè; & tunc statim peti potest, quòd est promissum. Aut in diem, locum: & tum tota dies tribuitur arbitrio satisfacientis, tantumque in loco præfato petitur. Aut sub conditione: & tunc in aliquem casum obligatio defertur: & à spe incerta & euentu tota pendet. Conditionis enim adiectæ ea est ratio, quod ea, neglecta, postposita, vel omissa, perficiendam rem impediat, suspendat, & irritet, ac perimat. Deinde Conditionalis Contractus est imperfectus; pendente enim conditione, nihil est in re, & conditioni non satisfaciendo, ius quod sibi ex inscriptione seruire debuit, patere non potest. Est Decretum in Conuentu Andreiouien: Feria 6. ante Matthæi, A. 1539.

Inscriptiones quorum effectus post mortem vtrum valeat?

De rebus mobilibus possunt fieri. De rebus Immobilibus fieri non possunt. Omnes enim inscriptiones, siue vadio, siue damnis Terrestribus roborari debent. Herb. f. 283

Quæ verò non essent roboratæ, non valent, nisi tanquã verbalis contractus, vel promissio. Quando verò in Inscriptione ponuntur damna, non debent excedere rem ipsam; alioquin æstimantur. Decretum Tribunalis Regni inter Patris & Chynowski.

Quæ vtrum lingua latina, aut Polonica scriptæ sunt nihil interest. Herb. f. 117.

Quis

Quis debet attendere, vt Inscriptiones debitè & legitimè inscribantur?

Iudex, Subiudex, siue Officium Castrense. Item ille cuius interest. Herb. f. 121.

Inscriptio facta præter formulam Statuti an seruanda?

RESP. Quod sic. Contractus enim sunt infiniti. Formæ autem Inscriptionum Statuto compræhensæ sunt paucæ, & ferè præcipuæ. De hoc est Decretum inter Andream Pistanski, & Ioannem de Hurno, Feria Sexta ante Mathæi 1539.

Inscriptio quoque contra Statutum facta, non derogat iuri communi. Quàm enim legem quisque in se tulit, hanc omninò pati tenetur.

Vtrum bona iuri Theutonico subiecta iuri Terrestri possint resignari?

RESP: Villæ Nobilium iure Theutonico locatæ possunt. Si recessus factus fuerit á iure Theutonico, & incorporatio personalis, recognoscentis, ac bonorum illorum iuri Terrestri. Decretum Regis 1527. Sabbato ante Fab: & Sebast. Aduocatiæ similiter possunt resignari: nam sunt mixti fori. Secus intelligendum est de bonis Ciuibus Iuri Maideburgensi subiectis, quæ in sua iurisdictione cum suis solennitatibus sunt resignanda.

Inscriptione quid solet onerari.

RESP: Persona recognoscens, bona & Successores. Illa verò Inscriptio, quæ non est in bonis assecurata, secundùm

dùm Stylum Practicorum vocatus personalis, ad quam allegatur Decretum in Conuentu Cracouien: inter Czeski, & Successores Georgii Strasz, feria quarta post Trium Regum. Anno 1539.

Quod quidem non sic est intelligendum, vt vigore perlucrorum obtentorum, ex eiusmodi inscriptione, non posset quis bona recognoscentis adire, (quando quidem ex Chyrographo, aut ex verbali contracta perlucra obtenta, bona afficiunt) sed potiùs intelligendum, pro summa perlucris proportionata, etenim iuxta Statutum talis Inscriptio onerat bona. Inscriptio verò super bonis omnibus, aut aliquibus certis facta, omnia expresse bona afficit; ita, vt si debitor in summa vellet tradere, bona sua, omnia illa iuxta inscriptionem) necesse sit eum Creditori tradere, qui in iuris potioritate priorem locum obtinet, super ea bona quæ sunt onerata, licet sit posterior. Illa enim Chyrographo adæquantur. Et in qua inscriptione, nec bona, nec successores sunt onerati, ad illam, successores, non teneri affirmant Practici, & tanquam personales cum persona extinqui dicunt. De hoc profertur Decret: in Conuentu Warsauien: inter Misiewskie, Feria quinta ante Luciæ 1516 Quodquidem sic intelligendum. Quia non iuxta Inscriptionem, successores sunt conueniendi, sed iuxta ius causæ, tanquam ad Chyrographum paternum, aut tanquam pro iniuria aliqua simplici. Etenim ex iuris contractu, siue quasi ex paterno contractu respondere tenentur.

Inscriptio paterna quomodo, & ad quid Successores onerat?

RESP: Inscriptioni paternæ Successores satisfacere tenentur, propter suam Successionem, cum enim bona accipiunt,

unt, necesse est illis ferre onera. Nam qui sentit commodum, debet sentire & damnum. Alioquin si renunciant successioni & iuramento id confirmant, quod nihil acceperunt, nec accipere volunt, non tenentur ad Inscriptiones paternas adimplendas. Non tamen magis Inscriptione paterna onerari possunt, nisi in quantum ius commune permittit, & in quantum validitatem inscriptionum declarat.

Proinde nemo Successores suos ad terminum peremptorium (vt quidam existimant) ad Inscriptionem in foro alieno obligare potest. Decretum in Conuentu Warsouien. Feria quinta ante Luciæ 1556. Vsus tamen retinet quòd in Officio Castrensi, successores ad Inscriptionem paternam respondere tenentur, in termino secundo peremptorio. Illud fortè sic intelligendum, si se parens submiserit in quocunque Officio & Iudicio responsurum. Successorem tamen non teneri, nisi in foro districtus sui respondere.

Inscriptio facta Successoribus nascituris vtrum valeat?

RESP: Quòd non. Nam Inscriptiones debent esse certæ, non incertæ: & quando fiunt ei qui non est in rerum natura, nulli factæ esse dignoscuntur.

Inscriptiones Dominium transferendi, vtrum fieri possunt sub conditionibus in futurum?

RESP: Quòd non. Nam iuxta formulam Statuti debent esse debitæ. Quidquid enim est sub conditione, non est iure. Et perinde est aliquid non fieri, quam non suo modo fieri: & factum aliquod contra Statutum inane &

ne & irritum est. Herb: fol 139. Propterea, si Mater inscripserit Filiis bona sua, remouendo ea à filiabus, & reseruaret sibi aduitalitatem: talis inscriptio debet inualida esse, & diuisio per filias potest lacrari. Similiter, si mater filio suo bona resignauit, & ille moritur extantibus sororibus, & post mortem eius alter frater nascitur, non tanquam in fraternis, sed tanquam in maternis bonis succedit æqualiter cum sororibus.

In Inscriptionibus generalitas ac specialitas quomodo ponantur?

Statutum Sigismundi disponit, 1510. Quod quæcunque specificata in Priuilegio fuerint, vel in Inscriptione, nominatim illa eadem tenenda, & ad eandem specificationem duntaxat referenda, & non ad alia. Inscriptiones verò generales, omnia in se complectuntur. Ideo hoc Statutum de bonis Regalibus ac de Inscriptionibus, super bona Regalia factis (vt ex eo apparet) certiùs intelligi debet. Vtiliùs tamen, in Inscriptionibus, vt generalitas primò sit præmittenda: & propter maiorem elucidationem, & ad species descendere non erit abs re, præsertim si rursus recurreretur ad illam generalitatem priùs præmissam, & concluderetur. *Ita generalitas specialitati, & specialitas generalitati in nullo deroget; imo quicquid specialitas in se emitteret, id generalitas contineat.*

In Inscriptione generalitas specialitati vtrum derogat?

RESP: Quod sic. Nam si aliqui inter se facerent diuisionem, & in illa diuisione inscriberent se, tenere certas clausulas & conditiones inter se, in eadem inscriptione con-

ne contentas & specificatas, eandemque diuisionem in scriberent se, tenere sub vadio, neque esset descriptum, singulasue clausulas deberent complere, tàm in parte, quàm in toto, & seorsiuè, quamlibet sub specificato vadio; si verò vnus ex illis citaret ad Inscriptionem, quod in parte non sit satisfactum inscriptioni, neque conditio aliqua completa, citaretque pro vadio: extunc quia se non submiserunt tàm in toto, quàm in parte, præfatam complere inscriptionem; sed totam Inscriptionem sub vadio tenere: ideo non decernitur vadium in inscriptione contentum, sed decernitur pœna trium marcarum, pro non expleta conditione in Inscriptione specificata.

Quis Inscriptiones facere seu recognoscere potest?

Homo liber, debitæ ætatis, & rationis compos Herb: folio 115. Furiosus contra, non potest inscriptiones recognoscere, propter mentis inopiam. Pupillus propter ætatis defectum. Fœmina quæ sui Iuris non sit, nisi fuerit vidua. Prodigus, si Curatorem habeat. Et seruus si pacisceatur; vt Domino nociuum, non vtile sit. Liberum est etiam homini seni, surdo, cœco, licet sit tactus (tantùm vt sit constitutus personaliter coram Iudicio) recognitionē facere, donare, vendere, alienare.

Pupillus vtrum cum authoritate tutorum obligatur?

RESP: Quòd non. Propter ætatis defectū, quæ assistentia tutoris non suppletur. Quòd tantò magis de Inscriptione tutori per pupillum facta intelligitur. Si autem pupillus summam pro bonis aliquibus receperit, eam resti-

tuere tenetur. Decretum Petricouiæ Sabbato in Vigilia Circumcisionis 1547. Alter tamen potest obligari, id intelligendum est de Virginibus inuptis. Decretum Reg: Maiest: Varsauiæ feria 5 ante Luciæ 1516.

Procurator siue Plenipotens vtrum nomine principalis Inscriptiones facere potest?

RESP: Quod non. Licet habeat sufficiens Procuratorium, siue sit possessionatus, siue impossessionatus. Herb. fol. 209. Quietare quoque de Inscriptionibus non potest, & pecuniam inscriptam tollere. Nec in Criminali actu, sine præsentia actoris, ab actore causã agere potest.

Coniugata potestne inscriptiones quasuis facere, & reformationẽ dotis alienare à Successoribus, absque assistentia amicorum?

RESP: Quòd potest cum consensu mariti de bonis hæreditariis, (iste enim eius præcipuus, legitimus & sufficiens tutor est) quando non in rem mariti aliquid recognoscit. Ad alienationem verò dotis à successoribus assistentia duorum amicorum de linea paterna proximiorũ, ad quos videlicet successio post illam spectaret, requiritur. Et vir etiam non potest onerare aliquibus conditionibus reformationem vxoris sine assensu amicorum eius. Decretum in Conuentu Petricouien: feria 6. ipso die Conuersionis S. Pauli 1549. Sine assistentia verò & consensu mariti, coniugata nihil potest recognoscere, & inscribere, nec aliquid ad præstandum recipere, neque debitum contrahere. Si contraxerit; vir cum vxore debet iustitiam administrare.

Vxor cùm intentat actionem, pro iniuria suorum bonorũ, simul cum tutore suo marito, contra quẽ hac intẽtata actione, bannitio sit obtenta; & ob id locum in Iudicio non habet: citataque pars allegat illam sine marito tanquam tutore non posse agere, nec potuisse, cùm & citauerit partem cum marito suo. Decretum in Conuentu Cracouien. Feria secunda post Iubilate. Anno 1553. Cùm per bannitionem vir ab ea est separatus, atque quasi Ciuiliter mortuus; ex eo vxor est sui iuris, liberumque est ei omnia sine viro, tàm ex iure, quàm & alia quæuis peragere, bona inscribere, vendere, alienare, donare, & alia pro voto facere, cùm per bannitionem intercidit inter coniuges ciuile diuortium, agnoscitur que ex eo actricem iam iuri sui extit esse.

Maritata etiam procreata ex gente externa cum consensu mariti sui, potest bona resignare, perpetuò, etiam reformationi subiecta, quæ resignatio non secus robur habet, ac si amici ex paterna linea secum stantes, ad omnia sibi in toto consentirent & admitterent. Decretum Crac. 1532. Sabbato post Festum Purificationis.

Quælibet quoque maritata de rebus mobilibus (præsente marito ac consentiente) coram Nobilibus ac Publico Notario disponere potest. Nihil tamen in rem mariti sui nisi consentientibus eiusdem vxoris amicis duobus, de linea paterna proximioribus facere potest.

Causæ quare vxor sine consensu viri nihil alienare potest?

1. Quia vir est caput vxoris, & illa viuere cogitur secundùm velle ipsius: nec est sui iuris vxor.

2. Quia

2. Quia bona ipsorum possident indiuisa, seu communia, quæ vnus sine alio alienare non potest.

3. Quia vxor est sub tutella viri. Pupillus verò sine voluntate tutoris nil facere potest.

Parentes possuntne a liberis bona alienare?

RESP: Vt liberi exhæreditarentur sine legitimis causis id facere non possunt. Daturque actio liberis contra possessorem bonorum, ex vi Statutorum de Inscriptionibus in fraudem factis prolatorum. Herb. folio 116. Sterilibus autem hominibus, alienatio bonorum iuxta eorum voluntatem est permissa. Sigismundi 1511.

Frater senior adultus, potestne bona Iunioris fratris alienare?

RESP: Quòd non. Herb. fol. 98. Si vero propter solationem debiti paterni bona sunt vendenda, debet hoc facere cum seniorum domus, consensu, consilio, & voluntate. Pecunia tamen ex bonis venditis, non debet excedere debita.

Quis est finis omnium Contractuum & Inscriptionum?

Vt adimpleantur & seruentur contenta; quibus nullus locus contradicendi relinquitur, nec vllæ motiones locum habent, nec vllæ dilationes sunt aduersus eas concedendæ, nisi ad quietationem ad duas septimanas, quam probare debet sub amissione causæ. Herb. 117. Fides enim est firmamentum omnium pactorum.

Quod

Quodsi duo promittunt, vtrum pro parte an quilibet pro toto obligatur?

RESP: Si se inscripserunt vnus pro altero fideiubendo, quilibet tàm pro parte, quàm pro toto tenetur. Verùm dum vnus totum soluit, & se & socium liberat. At cùm sic scribitur; Manu coniuncta & indiuisè, etiam si sit additum, in solidum: tamen non obligantur, tantùm quilibet pro suo interesse. Similiter quando vxor cum marito recognoscit, aut quando de reformatione sua superdebitum consentit, non tenetur tantùm ad medietatem debiti. Talis est praxis.

Si resignatio alicui est facta cum tali conditione, (si liberos non habuerit, tunc post mortem eius eadem bona ad recognoscentem redire, & reuerti debent) vtrum tali conditione obstante, bona illa alienari possint?

RESP: Quod alienari quidem possunt. Verùm si liberos non reliquerit, per primum resignantem eadem bona repeti poterunt. Decretum Regiæ Maiestatis Varsauiæ, feria 5. ante Luciæ Anno 1556.

Inscriptiones qualem habent præscriptionem?

Inscriptiones coram Actis Castrensibus non perpetuis factæ ad annum tantum durant: & si non transportantur ad acta perpetua, intra annum, euanescunt. Herb. f. 116. Ad eiusmodique Inscriptiones, tanquam ad Chyrographum necesse est agere coram Iudicio Terrestri: propior tantus

men Actor circa eas debitum comprobare. Verum si obtentus esset processus ad talem Inscriptionem, ante expirationem fataliorum; talis Inscriptio processu roboratur. Si enim inscriptione ad validam recto iuris ordine obtentus est processus, validum eum esse, oportet docere fatalibus triennalibus: extinguetur enim processus validitas, tum & Inscriptio tanquam fundamentum. Similiter possessione triennali firmatur inscriptio non perpetua.

Inscriptiones vero vxori per maritum coram actis non perpetuis factæ, vtrum fatalibus extinguuntur?

RESP: Quod non. Nam vxor contra maritum agere non potest. Et Regula Iuris est. Non valenti agere non currit præscriptio. Qua propter talis inscriptio perpetuo durat, absque transportatione. Sic Iudicium Tribunalis Regni adinuenit.

Inscriptiones coram actis perpetuis factæ, habentnè aliquam præscriptionem?

RESP: Quod sic. Inscriptiones enim omnes quæcunque in se bonorum appræhensionem continent, si intra triennium & trimestre ad effectum non deducantur præscriptione, siue non vsu euanescunt. Ista Praxis confirmatur Decreto in Conuentu Petricouien: Feria 2. post Lætare. Anno 1538. Æquiparantur enim priuilegio & rei iudicatæ. Regula autem iuris est. Lex decernit eos amittere Priuilegii authoritatem, qui sibi concessa non vtuntur facultate. De Inscriptione vero super summa facta sub vadio, quidam volunt aliter intelligi debere: eandemque non nisi quietatione tolli: verum cum obligatio habet

præscriptionem trium annorum; & pro euictione sese inscribens, iuxta formam Statuti, per præscriptiones Terrestres tueri tenetur, nam omnis Inscriptio perpetua Triennali præscriptione firmatur: inscriptio quoque diuisionē firmans, tantùm ad Triennium valet, donec diuisio ipsa præscriptione roboretur: certè & inscriptionem super debitum factam, sub vadio necesse est habere aliquam præscriptionem, licetque inscriptio penitùs non tollatur, tamen ipsius conditiones & ligamenta, post triennium, & trimestre euanescunt; ita vt non iuxta eas debitor sit trahendus in Iudiciū, sed tanquam pro simplici debito. Quod & illa Regula iuris probari potest, quæ est supra. Lex decernit. Itaque inscriptio super debitum tollitur præscriptione; sed quoad ligamenta. Decretum Petricouiæ in Vigilia Circumcisionis, Anno 1539.

A quo incipiunt currere eiusmodi præscriptiones?

Ad expirato tempore conditionis alicuius explendæ, aut solutioni præfixo. Negligentibus enim, non nisi ab eo tempore agnoscitur currere, à quo sese aperuit, in cuius odium præscriptio est introducta. Decretum in Conuentu Cracouiensi, Sabbato ante Oculi, Anno 1539.

In Obligationibus, Donationibus, & Resignationibus, & aliis perpetuis Inscriptionibus, ab adempta intromissione.

Fatalia Processu ad inscriptionem vtrum procedunt?

RESP: Quod sic. Est Decretum in Conuentu Petricouien: ante Catharinæ, 1558. Ex hoc Decreto apparet, quòd

quando coniuges ad Inſcriptionem mutuo factam citantur, & litè pendente alter eorum moritur; ſi Actor ſucceſſores mortui intra annum & tres menſes non adcitat, quantùm ad intereſſe mortui pertinebat, amittit.

OBSERVATIONES.

Cautiones fideiuſſoriæ verbales ratione reſignationis, condeſcenſionis perpetuæ bonorum hæreditariorum immobilium obligatoriorum, & quorumuis aliorum ſimiliũ contractuum, locum in Iudiciis non habent, nec habere poſſunt perpetuò & in æuum.

Dum aliquis alicui condeſcendit de Inſcriptione, eam transfundendo in alium, in qua contineretur tuitio, omneque ius proprietarium inſcriptionis, vna cum tuitione in alium transfunderet; ex tunc ille qui habet ius quæſitũ transfuſionis, tuitionem quærere debet in illo, qui vendidit bona, non in illo qui transfudit ius.

Onera perpetua hæreditatum & Fundorum ſunt, à quibus euictio licet ſit hæreditas vendita, eliberare poſſidentem non poteſt.

1. Expeditionis bellicæ ſeruitium.
2. Fumalium ſolutio Mageſtati Regiæ.
3. Decimæ Parochialis.
4. Debitum cenſus perpetui, alias Widerkauf, in eiſdem bonis inſcriptum,

Pro his omnibus vendens, donans, obligans bona hæreditaria alteri, euictionem inſcribere non poteſt. Quoniam ea quæ fundo annexa ſunt, circa fundum & circa poſſidentem remanere oportet.

In Concluſione cuiuslibet Inſcriptionis, maximè eſt neceſſarium, omnes conditiones, clauſulas, ex parte cuiuslibet inſtantiæ corroborari vadiis expreſſis. Nam exinde

ambi-

ambiguitas oritur, magnamque trahit disputationem. Dicunt enim quidam, illa quæ sunt vadiis expresse ligata valere, illa vero quæ non sunt, simplicia dicunt esse.

Cum clausula hæc in inscriptione scribitur; Nec debet eum iniuriari. Addendum est; Iudicialiter, nec extraiudicialiter, quod si non esset, intelligitur de simplici iniuria.

Inscriptiones in quibus Conditiones sunt annexæ, vadia non lucrantur.

Cùm tuitio alicui inscribitur ita (debet eum tueri ab omnibus impedimentis, iuxta iuris formam) hæc tuitio semper refertur ad citationes positas, à quibus pars partem tueri debet. Sed, tuitioni firmatæ vadio (sub quo vadio pars partem tueri se inscripsit) non satisfaciens, luit vadium, pro quo vadio citari debet.

Per Cessionem, Transfusionem, Quietationem, Cassationem, & Resignationem personalem, inscriptiones sistuntur, mortificantur, cassantur.

Si recognoscens fuerit ignotus, tunc potest in inscriptione sic scribi. Licet de persona præsenti officio ignotus, at tamen iuxta professionem nominis sui ab eodem officio susceptus.

Ligamenta Interciſæ

Eam interciſam in omnibus generaliter & ſingulis ſpecialiter, conditionibus, contentis, modis, punctis, clauſulis, & articulis, ligamentiſque ac nexibus, tam in toto, quam in quauis minima parte, firmiter tenere, complere, & inuiolabiliter obſeruare, & id quod ibidem deſcriptum eſt perficere & exequi totiens quotiens opus fuerit, interciſam & contractum præfatum ad inſcriptionem præſentē & inſcriptionem præſentem ad contractum præfatum, ſeu

interciſam præfatam referendo. Idque ſub vadio, &c.

Cum aliqua ſumma adiungitur ad priorem, tum ſcribendum in Inſcriptione: Cum omnibus conditionibus in priore inſcriptione contentis, ſub vadio tam prioris ſummæ (expreſſe ſcribenda ſumma) quàm & poſterioris.

Vbi firma eſt Inſcriptio, & is cui Inſcriptio ſeruit, citaret poſtea, pro non ſatisfactione alicuius clauſulæ in inſcriptione contentæ pro vadio; in termino vero proueniente, pars citata perſonaliter comparens, actorem abſentem in euaſione condemnaret, petens ſe liberum à citatione, & à cauſa pronuntiari: extunc non debet fieri liber niſi à citatione & progreſſu iuris, ſalua actione. Agat denuo actor.

Quælibet Inſcriptio, vel Contractus, non compræhendens in ſe tuitionem, vel etiam præſcriptionem, eſt mala: & tantùm valet, quantum illa citatio, in qua non eſt deſcripta taxa iniuriæ. Vbi enim citationi non inſeritur taxa, non videtur in quo pars actorea deberet condemnare partem citatam. Contractus etiam perſonalis, vel priuilegium perſonale, non referens ſe in ſuis punctis & clauſulis ad ſucceſſores, extinguitur ſemper cum perſona.

Chyrographo nemo poteſt renunciare Iuriſditioni Terreſtri, & ad reſpondendum ſe obligare in Caſtro, non obſtanteque expreſſa conditione inſcriptionis ac reſponſionis, ad ius Terreſtre citari debet.

Contractus ſimplex at tamen inſcriptus, in quo nulla ſucceſſorum mentio eſt facta, tranſit etiam ad ſucceſſores. Regula autem illa. Priuilegium perſonale cum perſona extinguitur, non ad debita & contractus ſe refert, ſed tantùm ad crimina, aut ad libertatem, ſeu immunitates alicui perſonæ conceſſas.

Contractus etiam ratione bonorum (nimirum quando

aliquis

aliquis obligaret se in illo contractu resignare bona) factus per amicos, & interciſa ſigillata atque ſubſcripta roboratus, locum in Iudicio non habet.

In magnis ſummis, quæ Inſcriptionem nullam habent, ſed verbalia ſunt debita, pars Rea euadit actorem iuramento, ſi vult negare.

Quando Inſcriptio in actis fuerit maculata, iuramentū præſtare debet is, cui Inſcriptio facta eſt, cum duobus teſtibus, quod ſummam contentam, nec ipſe, nec anteceſſor eius recepit, neque eandem inſcriptionem fecerit caſſare vel in actis delere.

Inſcriptio in qua non fuerit prouiſa illa ſolita clauſula (non obſtante præſcriptione vlla) deſertatur poſt præſcriptionem elapſam.

Inſcriptio tàm donatoria quàm venditoria ſi debet eſſe perpetua, non debet eſſe in illa conditio vlla. Si verò fuerint conditiones, abolent perpetuam inſcriptionem, quia iuxta iuris formam, vltima antecedentia ligant. Et ideo ſi conſequerentur aliquæ conditiones, extinguunt ius donatorium. Quia in Statuto continetur, quod licet antecedens generalitate ſit concluſum, & quando poſtea ſpecificatio deſcribitur, extunc non ad generalitatem antecedentem, ſed ad ſpecificationem conſequentem inſcriptio quæuis referri debet.

Contractus perſonalis extinguitur ſemper cum perſona contrahente ſimul, præſertim ſi illud priuilegium contractuale nullibi in ſuis continentiis extenditur, ad conſanguineos contrahentium.

Item, contractus non ligati vadiis pro voto partium ſemper reſcindi poſſunt ſine aliqua pœna.

Debitum accomodatum ſine Inſcriptione, quatuor annorum ſpacio præſcribit.

In Contractu si quid non exprimitur ad ius commune recurritur.

Inscriptionis longo tempore roboratæ, vadium transformatur in damna, sic quod iam ad eandem inscriptionem non pro vadio, sed pro taxa damni agere competit.

Successor licet sit per patrem obligatus coram officio Capitaneali, extra districtum parere, tamen post mortem patris non tenetur respondere coram officio nisi in proprio districtu, sed terminum peremptorium etiamsi ad eam inscriptionem obligatus fuerit, non habebit. Recedere enim á districtu, & abscribere se omnibus iuris remediis quantumuis iuridicis est contra iuris formam. Cùm itaque tales obligationes sunt personales cum persona extinquuntur.

Inscriptio super debitum facta, sub danda intromissione in campum, vel in titulum obligatorium, si infra tres annos & tres menses intromissio assequuta nisi fuerit, tandemque post tres annos debitor citatus fuerit, liber euadit à citatione & causa. Quia inscriptio ista non simplicis debiti, sed priuilegium esse censetur, quod abusu euanescit Inscriptiones autem debiti obligati, specificè in bonis non nisi quietatione tolluntur. At tamen putant alii, quod & simplicis debiti inscriptio post tres annos & tres menses desertatur.

Inscriptio Conditionalis legem non soluit, id est, non derogat formulæ in Statuto descriptæ, & iuri communi.

Inscriptio Castrensis donatoria, commutatoria, venditoria, & obligatoria, etiamsi ad acta Terrestria non transportaretur, modo intromissione, & post intromissionem Terrestri præscriptione firmata extiterit, valida permanet.

Inscriptio tuitionis, non obligans successores ad tuitionem, non onerat successores ad tuendum. Tuitio

Tuitio per præscriptiones Terrestres inscripta, tantùm per præscriptiones durat: sed si ponatur (nulla obstante præscriptione Terrestri) ex tunc semper permanet tuitio.

Tuitio tamen fieri non debet aduersus personas à latere iniuriam possessori facientes, sed ipsemet possessor agat cum iniuriantibus, nisi fortasse & ab iniuriis tuitio sit cauta.

Interceſſio in Iudicio facta tantùm personam intercedentem obligat, sed non successores.

Si successores tantùm obligantur ad respondendum, vel aliquod præstandum, non tenentur successores respondere. Si autem obligantur & bona & successores, tenentur successores respondere.

Mulier cum consensu mariti habens bona sua hæreditaria, si ea remouet à filiabus, & filiis inscribit, debet esse Inscriptio donatoria de facto cum intromissione, alias remouenda.

Inscriptionis lapsus Practici existimant non posse obtinere perpetuitatem, nisi creditor citaret, ad decernendam sibi intromissionem in lapsum, iuxta inscriptionem.

Cum aliquis habens Inscriptionem obligatoriam in vim lapsus, antequam tempus lapsus venerit, illam inscriptionem transfuderit, ille cui transfunditur, conditionem lapsus assequi non potest, tantum simplicem obligationem.

Inscriptiones, recognitiones, relationes, & protestationes per Ministeriales factæ, in rem Officii & Iudicii cuiuscunque tàm Terrestris quàm Castrensis, coram eodem Officio & Iudicio obtentæ, nullius valoris censentur, nisi coram sub delegato inscriptæ debent esse factæ. Decretum Lublini 1582.

Inscriptiones non se extendant ad iniurias simplices, sed tantum ad impedimenta iuridica. Ideo citati non te-

uentur

nentur respondre Actori ex sua inscriptione, pro iniuriis illa illatis, tantum pro impedimento iuridico. Ideo & in Inscriptione addendum est: Nec debet eum iniuriari iudicialiter, nec extra iudicialiter.

Inscriptiones donatoriæ vxori aut cui alio factæ non referuntur ad futura, tantum ad præsentia. Decretum inter Dąbrowska, cui vir donauit omnia debita obligatoria, habita, & habenda: post inscriptionem hanc factam, dedit mutuo ad inscriptionem Domino Kosika aliquot centena, tunc post mortem illius Dąbrowski, vxor illius illo intuitu inscriptionis voluit sibi hanc summam appropriare; quod Iudex Terrestris illi adiudicauit. Deuoluta itaque causa ad Regni Tribunal. Eam retractauit. Et decreuit. Inscriptionem quamlibet extendere se ad præsentia iam habita, non tamen habenda. Agant successores hæreditarii in iure & foro competenti, pro summa prædicta, quia iure naturali concernit Successores.

Iam nunc ad formas Inscriptionum in Statuto descriptas est accedendum: & de singulis aliquid est annotandum. Inter quas inprimis est posita. COMMVTATIO.

DE COMMVTATIONE.

Quid est Commutatio.

Est Contractus antiquissimus, in quo certa res pro re, certaque species pro specie datur, & quodammodò per compensationem accipitur.

Formula Commutationis talis

est in Statuto Herb: folio 118. Com-

COmparens personaliter coram Iudicio præsenti Nobilis N. hæres de N. ex vna, & Nobilis N. de N. partibus ab altera, sani mente & corpore, compotesque rationis existentes, publicè & per expressum recognouerunt: talem inter se fecisse bonorum hæreditariorum, perpetuam & irreuocabilem commutationem; dantes sibi inuicem bona pro bonis, & terram pro terra: quod videlicet prædictus N. dedit & commutauit sua bona hæreditaria, videlicet villam N. cum ipsius villæ totali hæreditate, cum omni iure, dominio, & proprietate, ac titulo hæreditario, cum prædicto N. de N. qui pro eiusdem N. hæreditariis bonis, videlicet villa N. etiam cum totali ipsius villæ hæreditate, illi dedit & commutauit bona sua hæreditaria præfata: videlicet villam N. cum ipsius villæ totali hæreditate, cum omni iure, dominio, & proprietate, ac titulo hæreditario: ita quod præfatus N. prædicta bona, videlicet villam N. cum successoribus tenebit, habebit, & hæreditariè possidebit: ita latè; longè, circumferentialiterque; prout dicta bona, seu hæreditas, præfatæ villæ N. in suis metis & limitibus, ab antiquo est distincta & limitata, cum omnibus ad ipsa bona spectantibus & pertinētiis, nihil excipiēdo. Et similiter prædictus N prædicta bona sua, videlicet villam N. cum ipsius villæ totali hæreditate, cum omni iure, dominio, & proprietate, tituloque hæreditario, & cum legittimis suis successoribus, tenebit, habebit, & hæreditariè possidebit, ita latè, longè, circumferentialiterque prout dicta bona, seu hæreditas villæ N. in suis metis & limitibus ab antiquo est distincta & limitata, cum omnibus pertinentiis ad ipsa bona spectantibus, nihil excipiendo. Et iam præfati commutantes, dederunt sibi inuicem in præfata bona commutata, realem intromissionem, & actualem possessionem:

sionem: & debent, tenebunturque, se & eorum successores, inuicem, occasione præmissorum bonorum, tueri, defendere, & inuicem se eliberare, pacificareque ab omni impetitione iuridica, ab omnibus personis per præscriptiones terrestres, prout ad aliquam personam præscriptio pertinet, sub damno terrestri, toties quoties alteri ipsorum cõmutantium, vel eorum successoribus opus fuerit. Sigism: Petricouiæ 1523. folio 45.

OBSERVATIONES.

Bona titulo commutationis inscripta eximi non possunt iure propinquitatis.

Nec eis collusio aliqua obiici potest, præsertim cum vtraque pars coram Iudicio recognouit commutationem cum additamento fecisse.

Commutatio seu venditio bonorum in perpetuum per amicos coram officio recognita, parte cui interest commutationem, seu venditionem negante, nihil valet. Cùm pars propior est euadere contra amicorum recognitionem, quòd bona sua nunquam commutauit neque vendidit.

DE VENDITIONE.

Quid est Venditio.

Est contractus, in quo pro rebus datur certum pretium, siue resignatio Dominii, & proprietatis ac vsus fructus, in personam alterius pro certa pecunia. Res autem in venditionem veniunt, quæ naturales leges, moresque, patiuntur esse in commercio hominum.

Forma venditionis bonorum talis est in Statuto Herb: f. 118.

COmparens personaliter coram Iudicio Nobilis N. hæres de N. sanus mente & corpore existens, publicè & per expressum recognouit, quia bona sua hæreditaria, videlicet villam N. cum totali ipsius villæ hæreditate, & omnibus ad eam pertinentibus, & quouis modo spectantibus & prouenientibus, nihil iuris, Dominii, & proprietatis, & quorumuis vsufructuum, prædictus N. in præfatis bonis N. pro se & suis Successoribus reseruando seu excipiendo: ita latè & longè circumferentialiterque prout præfatorum bonorum villæ N. hæreditas, se in suis metis & limitibus extendit Nobili N. de N. pro centum Marcis pecuniæ monetæ & numeri Polonicalis vendidit perpetuè, & in æuum: ita, prout solus habuit tenuit & possedit, nullis exclusis, per præfatum N. & eius successores cum omni iure, dominio, & proprietate, ac titulo hæreditario, perpetuè & in æuum tenenda, possidenda, & ad vsus beneplacitos conuertenda. Et iam ex nunc prædictus N. præfato N. dedit realem intromissionem, & actualem possessionem per ministerialem Terrestrem N. de N. in prædicta bona, videlicet villam N. & eius hæreditatem totalem, & debet prædictus N. & eius successores, præfatum N. cum suis successoribus, occasione præmissorum tueri, euincere, & eliberare, pacificareque ab omni impetitione iuridica, ab omnibusque personis, per præscriptiones terestres, prout ad quamlibet personam præscriptio pertinet, totiens quotiens sibi N. opus fuerit, sub damno Terrestri, nulla re exquisita ipsum euadendo.

Pro quibus damnis sub vadio &c. vt supra. Etsi vendi-

tor haberet vxorem, cuius reformatio extenderet se ad talia bona vendita, constituetur per maritum ad Acta, & cum consensu amicorum, ad minus duorum ex linea paterna consanguineorum, consentiet ad talem inscriptionem, quoad eius reformationem. Sigismundus Petricouiæ 1523. folio 44.

De eodem

Si verò is, qui venderet, obligaret, aut quocunque alio modo inscriberet, alienaretque bona sua, habuerit vxorem: tum eandem tenebitur cum amicis suis ad renunciationem doti eidem inscriptæ, adducere, quæ adducta recognoscet, se inscriptioni suæ Dotali renunciare, cum amicorum cõsensu. Sigism: Craco: 1543.

Quæ in hoc contractu requiruntur?

RESP: Vt species rei vendentis, certo demonstretur numero, pondere, & mensura comprehendatur, venditorque certam summam pecuniæ, & non alias species pro pretio constituat. Nam empti & venditi fides, sine quantitate pecuniæ expressa, nulla est. Post venditionem commodum & incommodum ad emptorem pertinet, nisi aliter sit conuentum. Emptor si à contractu recedit, nulla legitima causa habita, causam perdit. Si verò venditor rem venditam tradere recusauerit, fas est eum in duplum, & in pœnis vallatis condemnari.

Quod modis venditio rescinditur?

Primo. Ex consensu vtriusque partis.

Secun-

Secundo. Si intra sex menses emptor aliquod vitium in re empta deprehenderit, & nullo modo empturus fuisset, si compertum id habuisset: isto enim casu emptori actio redditoria datur.

Tertio. Rescinditur emptio, inuito emptore, si conditionem pacti non præstiterit.

Quarto. Propter pactum conditionis in diem, vt si quis ita vendat fundum, si inter duos menses conditionem meliorem, quis pro eo non obtulerit.

Venditiones verò de iure invalidæ, refusione non indigent, quoniam ipso iure sunt nullæ.

Quod modis de iure venditio inualida efficitur?

Primo. Si res vendida est, quàm per leges, vendere nõ licet.

Secundo. Si per eum vendita est, qui sic obligare non potuit.

Tertio. Si interuenerit dolus Emptoris vel venditoris: præsertim si quis dolo inducat, quod alioquin facturus non esset propter eius persuasionem. Leges tamen prouiderunt, vt si quis decipiatur, vltra medietatem iusti præcii, possit illi actio dari contra decipientem.

Venditio bonorum vtrum possit per amicos probari absque officiosa recognitione?

RESP: Quòd non. De bonis enim immobilibus verbales contractus, non proceduut: sed propior ea pars est ad probandum, quod bona sua non vendidit. Decre-

tum in Conuentu Cracouien: 1553. Similiter omnes fideiussiones verbales, pro bonis hæreditariis quomodocunque factæ, contractusque verbales, vulgò interciſæ roboratæ non valent. Decretum in Conuentu Cracouien: Feria quinta ante Oculi 1539. Inde apparet, quod lex quæ est lata de testificatione venditionis, per consanguineos est abusu sublata. Herb: folio 287. similiter lex quæ est lata de præscriptione limitum emptori per venditorem, & de præscriptione triennali limitum, quæ apud Herb: folio eodem continetur, non est in vsu. Nam limites nullam habent præscriptionem.

OBSERVATIONES.

Si quis vendit rem cum alio communem, valet venditio pro illa parte, quæ illi competit ex diuisione rei.

Vendens aliquis bona aliena, non tenetur eum tueri pro graniciebus, excepto, si speciali inscriptione id facere obligaretur.

DE INSCRIPTIONE CENSVS IN VIM REEMPTIONIS.

Inscriptionis census in vim reemptionis talis est forma apud Herb: folio 118.

COmparens personaliter coram Iudicio, Nobilis N. de N. hæres, sanus mente & corpore, publicè per expressum recognouit: Quia honorabilibus, viris N. de N. &c. Mansionariis Ecclesiæ Cathedralis Cracouien: modernis & pro tempore existentibus, duodecem marcas pecuniæ census annui pro trecentis marcis pecuniarum, monetæ & numeri Polonicalis, perpetuè & in æuum, in vim tamen re-

emptio-

emptionis, aliàs na Widerkauf, vendidit & inscripsit: & vendit & inscribit, in & super bonis suis hæreditariis: videlicet villa N. ac Kmetonibus, Tabernatoribus, & aliis quibusuis incolis præfatæ villæ N. Quas quidem duodecē marcas pecuniarum prædictus N. & eius successores tenebitur seu tenebuntur singulis annis, pro quolibet festo S Martini, præfatis Honorabilibus viris Mansionariis N. & N. modernis & pro tempore existentibus, per proprium nunciū mittere: & ab illis etiam quot annis, post solutionē, quietationem recipere. Et tenebitur præsentibusque se obligat præfatus N. cum Kmethonibus eiusdem villæ incolis, ad Acta Spiritualia, Vicarii, siue Officialis in Spiritualibus Cracouien: vel N. pro festo Sancti Andreæ proximo stare: & se ad solutionem cum præfatis Kmethonibus, præfati census annui duodecem marcarum, sub censuris Ecclesiasticis obligare. Etiam præfatus N. obligat se, & suos successores, occasione præfati census, ab omnibus inscriptionibus prioribus, si quæ sunt, & omni impetitione Iuridica, prædictos Mansionarios modernos, & pro tempore existentes, tueri, euincere, & eliberare; ab omnibus personis: ita quod præfati Mansionarii moderni, & pro tempore existentes, possent pacificè, & integrè quolibet anno præfatum censum duodecem marcarum: sicut præmissum est percipere sine quouis impedimento. Quæ omnia superius expressa, & in præsenti inscriptione contenta, præfatus N. tenebitur, & sui successores tenebuntur complere: sub vadio centum vel N. marcarum præfatis Mansionariis, & eorum successoribus soluendo. Pro quo vadio, citatus, vel successores eius citati in primo termino, tanquam peremptorio, stare debet, siue debent, nulla re exquisita siue iudiciaria, siue extraiudiciaria illōs euadendo; vel terminum

diffe-

differendo; sub amissione suæ causæ. Sed in eodem termino tenebitur & tenebuntur prædictos Mansionarios, ab omnibus impedimentis, euincere, eliberare; & omnibus in præsenti inscriptione contentis, satisfacere. Quod si noluerit, aut neglexerit: vel eius successores neglexerint, extunc in instanti pro præfato vadio satisfacere tenebitur, siue tenebuntur. Et satisfaciendo pro præfato vadio, vtique omnia contenta in præsenti inscriptione, complere debebit, toties quotiès præfati Mansionarii censum præfatum, ad tempus prædictum habere non possent: & illis dedit realem intromissionem in præfatum censum, per ministerialem Terrestrem N. de N. Sigism: Petricouiæ f. 45.

Ad einsmodi inscriptionem, cōsensus Sacræ Regiæ Maiestatis antiquitus obtinebatur. Nunc absque consensu Regio eiusmodi Inscriptio firma & valida est, & apud Herb nulla mentio eius habetur.

Ex eandem formula id quoque apparet, quod pro eodē censu sese in foro spirituali obligans, debeat respondere sed iam non solet hoc obseruari.

Census autem duplex inscribi potest, siue in vim lapsus perpetui, & vocatur perpetuus, redimique non potest: quod intelligendum est de eo censu qui est inscriptus pure, & nulla summa pro eo est data. Talis vero census, sola diuturna possessione, & circa venditiones mentione probari potest. Alter vero pro quo summæ data est, redimique potest.

Pro retentis Censibus vtrum currit præscriptio?

RESP: Quod non. Nam eiusmodi census fundo inhærent, & plerūque Ecclesiasticis personis seruiunt, qui-

bus

bus non currit præscriptio. Practicatum est tamèn, in iudiciis Tribunalis Regni Lublini 1594. quod possessor à longiori tẽpore nõ debet cẽsum soluere, nisi à tẽpore possessionis suæ, aliter autem est intelligendum, si cum antecessore actio esset eo nomine iustituta. Idque fortè ex ea ratione, quod euictio pro eiusmodi censu non procedit, nisi expresse cautum sit: & alter pro altero soluere non tenetur, nec quisquam in sua re debet esse uegligens. Huius contractus frequens est vsus apud nos in Polonia. Tamen nũc contractum sit formari, vt obligatio bonorum formari solet: Nam exemptio pro certo tempore assignatur, & ab anno ad annum currit, & ex praxi elicitur, quòd non plus dominii in possessorem transfert, quàm in obligatione. In hoc enim contractu scribitur: Quia vendit bona. sua cum omni iure, dominio, & proprietate, in perpetuũ Hoc addendum: In vim tamen reemptionis, aliàs na Widerkauf. Est enim Decretum inter Lupinskie, & Paschowskie, in Iudiciis Tribunalis Regni 1594. prolatum: vbi adinuentum est, quod Lupinski, qui in vim reemptionis bona tenebat, non potuit actionem limitum sine hæredibus perficere. Quodsi id potuit, tunc neque alias quæstiones hæreditarias poterit peragere.

In iure autem communi, alia est natura huius contractus ab obligatione, per eum enim totum Dominum transfertur in possessorem, & omne damnum ad eum spectat; per obligationem verò tantum vtile Dominii in possessorem transfertur, dominium verò ac periculum in bonis oppignoratis, præter culpam possessoris, ad directum dominũ spectat. Propterea iste contractus, in vim reemptionis magis probatur, quòd in eo nulla est suspitio vsuræ, in obligatione verò vsura reperitur.

Vt autem vsuris & peccatis occur

ratur, Formula contractus iustæ venditionis bonorum stabilium cum pacto de retrouendendo, hoc modo, secundùm Theologos, fieri debet, vt sequitur.

NObilis N. coram Iudicio & Actis Terrestribus &c. palam & expressè fassus est. Quia Nobili N. Filio olim N. & eius successoribus bona hæreditaria: videlicet pagũ N. decem milibus florenorum monetæ Polonicalis, quemlibet florenum triginta grossis computando vendidit & inscripsit, cum omni iure & proprietate, vsque ad retrouẽditionem Nobili N. vel eius successoribus, & non alteri sub quocunque prætextu, si consensum non præstiterint. Quibus Nobili N. se obligat, sartatecta conseruaturum, etiam ædificia ad ipsa bona spectantia, & sepes reficere, & alia omnia, quæ tempore suæ possessionis fuerint distructa, vel antiquitate consumpta Nobilis N. tenebitur reparare, sumptus metiendo ad arbitrium practici boni viri Pomaria verò & hortos conseruare, syluas defendere, & custodire, ipse tantum modò in prædicto pago N. pro reficiendis domibꝰ atque aliis ædificiis & sepibus, suoque vsu moderato, vti syluis, non prohibetur. Colones autem ad labores, & census nouos subeundos, nulla ratione coget: etsi meliorationem agrorum non fecerit, ad minimum ne steriles efficiantur prouidebit. Aggeres quoque lacuum & stagnorum, ne sua negligentia ob impetum aquarum rumpantur. Nobilis N procurabit. Argenti fodinas, salis fodinas, æris fodinas, plumbi fodinas &c. piscationes, prata, pascua, arbores fructuferas tuebitur (& si quid aliud opus fuerit in contractibus erit commemorandum) mobilia verò quæ illi tra-

li tradentur æquè bona conseruabit (ea quæ sunt in declaratione infra posita seruentur omnia) Nulli casus ex parte N. vt est, occisio hominis, bannitio, famæ priuatio, debita, vel perlucra, si euenerint prædictis bonis obesse, vel ea onerare poterunt: quò minus ad Nobilem N. vel eius successores perueniant. Cum his ergo conditionibus ex nunc Pagum N. Nobilis N. Nobili N. tradit per realem intromissionem cum omnibus vtilitatibus & fructibus. Nobilis N. quoque se obligat Nobili N. quod bona prædicta ab omni impetitione iuridica sit defensurus, atque vindicaturus.

Declaratio quorundam in hac formula contentorum.

Dicitur non alteri) Ne venditor damna ab aliquo iniusto emptore patiatur.

Sarta tecta) Est enim de iure, qui habet vsumfructum, multò magis cùm rem ad tempus emerit reparare ædificia (excepto contractu locationis) tenetur quocunque modo destructa.

Census nouos) Ne grauamina augeantur, & coloni molestiis afficiantur.

Casus) Ne aliquibus perlucris res venditæ implicentur.

Bannitio, famæ priuatio) Talia bona ne cedant fisco, & ne quis occupet illa, venditorque suis bonis spolietur.

Vsque ad retrouenditionem) Obligatio stabilia bona vendendi.

Ad arbitrium practici boni viri) Ne si damna facta fuerint, venditor ad omnia reficienda emptorem adigat, cùm secundum prouentum expensæ debeant fieri.

Hoc autem in ipsa formula notandum est.

Primo. Non omnia esse in formula posita, nec omnia quæ in ipsis sunt expressa, in singulis Inscriptionibus, & contractibus sunt collocanda, sed solùm ea quæ fuerint propria illorum bonorum. Cætera verò sunt omittenda: vt verbi gratia: Si non sunt stagna, iacus, syluæ, coloni &c. non debet istorum mentio fieri in contractu. Si autem prata, molendina, in illis bonis, vel piscationes magni momenti, vel aurifodinæ fuerint, exprimenda sunt, & sic de aliis.

Secundo. In hac venditione, debet esse recta intentio venditoris, vtpotè, quod ex animo vendat: similiter emptoris, vt vere emat, non autem bona prædicta more solito in oppignorationem accipiat.

Tertio. Tempus vtrique parti licebit statuere, vt ipsi voluerint longius, vel breuiùs. Iustum autem tempus est per triennium possidere, pro minori autem tempore, minorem summam venditor accipiet. Meliùs autem est tempus non determinare.

Quarto. Summa in huiusmodi bonorum emptione vltra medietatem pecuniæ illius, qua ipsa bona in perpetuũ venderentur, potest fecurè exigi.

Quinto. Si aliquo casu bona perierint, vel subditi vastati ab inimicis fuerint, possessori periisse, & deuastati esse censebuntur.

Sexto. Si prædictis formulis aliquid malitiosè adiunctum fuerit: siue ab emptore, siue à venditore, siue à Iudice, Notario, vel à quouis alio, in conscientia, liber nõ erit.

Septimo. Emptor non potest repetere pecuniam, quam pro bonis numerauit: nec Venditor potest dicere Emptori: Tuæ summæ pecuniam accipe, & meam mihi restituas villam. Sed debet dicere: Villam, domum, &c. quam vēdideram tibi, obligatus es mihi eandem ratione contractus retrouendere.

OBSERVATIONES.

Inscriptus Wide kauf semper est annexus solo, vel fundo. Ideo expresse in Inscriptione venditionis, vel donationis emptor, vel acquisitor cum omnia diligentia inspicere debet, si alienator bonorum excipit, vel si in bona emptionis, vel acquisitionis suæ emptor, vel acquisitor censum Widerkauf recipit; aliàs illud debitum Widerkauf perpetuo remanebit circa fundum, vsque ad exemptionem vel satisfactionem.

Inscriptio quæuis reemptionalis alicui facta: aliàs na Widerkauf, non præscribit. Et similiter inscriptio facta eo modo: Ioannes inscribit Michaeli bona sua in centum marcis, vsque ad exemptionem; non exprimendo tempus à festo Natiuitatis ad alia festa tenen: possidem: haben: talis etiam inscriptio censetur reemptionalis, cui præscriptio non potest obiici. Sed obligatio facta, seu inscriptio à festo Natiuitatis Christi ad aliud festum: tenens aliquis ea bona in obligatione pecuniæ per triginta annos, non renouata inscriptione iuxta Statutum; talis inscriptio habet præscriptionem triginta annorum.

Tenutarius quilibet bonorum, censu reemptionali oneratorum, pro non solutione census, forum habet & in Terrestri, & in Castrensi Iudiciis. Quia tenutarius tanquā factor, neque terram, neque districtum habet; citatusque pro censu reemptionali retento, præscriptionem obiicere

non potest, quod actor ferò agat, etiamsi iure quæsito, ea bona nouus possessor possideat: quia eiusmodi census est fundo annexus.

DE DONATIONE.

Formula donationis perpetuæ

talis reperitur apud Herb: f. 119.

COmparens personaliter coram Iudicio, Nobilis N. hæres de N. sanus mente & corpore existens, publicè & per expressum recognouit: Quia bona sua hæreditaria, videlicet villam N. cum totali ipsius villæ hæreditate, ac cum omni iure, dominio, & proprietate, tituloque hæreditario, necnon cum omnibus ad ipsa bona pertinentibus, & quouis modo spectantibus, & vtilitatibus vniuersis, nihil iuris, dominii, & proprietatis, & quorumuis vsufructuum, ac vtilitatum, in prædictis bonis, pro se & suis successoribus reseruando, seu excipiendo: ita latè & longè, circumferencialiterque prout præfatorum bonorum hæreditas se in suis metis & limitibus extendit: & prout ea solus tenuit, habuit, & possedit: Nobili N. de N. nepoti suo ex fratre germano, dedit, donauit, perpetuè & in æuum, irreuocabiliterque per præfatum N. & eius successores tanquam veros & legitimos hæredes, prædicta bona, tenenda, habenda, & perpetuè possidenda, ad vsusque ben: placitos conuertenda.

Et iam prædictus N. prædicto N. exnunc dedit realem intromissionem, & actualem possessionem, per Ministerialem Terrestrem N. de N. in præfata bona, videlicet villam N. & eius hæreditatem totalem: & debet prædictus

N &

N. & eius successores præfatum N. cum suis successoribus occasione præmissorum tueri, euincere, & eliberare, pacificareque ab omni impetitione iuridica: ab omnibus personis per præscriptiones Terrestres: prout ad quamlibet personam præscriptio pertinet: toties quoties sibi N. opus fuerit sub damno Terrestri: nulla re exquisita ipsum euadendo.

Donationes quorum effectus post mortem dantis suspenditur, siue in quibus vsusfructus bonorum ad vitam reseruatur: vtrum valent?

RESP: Donationes in futurum in rebus mobilibus valent in rebus fundi, non: nam æquiparantur testamento, quod de rebus immobilibus fieri non potest.

OBSERVATIONES.

Donatio debet esse ex mera liberalitate; & propterea illi nulla apposita est obligatio tuitionis: at nunc in Praxi est. Quia omnes inscriptiones bonorum præter exemptionem, fiunt per modum donationis, quibus sese donator ad euictionem cum suis successoribus onerat, & inscribit sub damnis Terrestribus.

Si quis villam suam venderet, & inscriberet, vna eademque inscriptione, videlicet medietatem villæ huius, dono perpetuo, & aliam medietatem venditione perpetua; fieretque summa in eadem inscriptione pro altera medietate villæ specificata, & vtramque vno firmaret vadio, censent Practici hæc bona esse exemptibilia, iuxtã summã in eadem inscriptione contentam, & possunt redimi per propinguos.

Inscriptio donatoria debet esse perpetua: nec debet esse in illa conditio vlla. Si verò fuerint conditiones, abolent perpe-

perpetuam inſcriptionem: quia iuxta iuris formam vltima antecedentia ligant: Et ideò, ſi ſequerentur aliquæ conditiones, extinguunt ius donatorium.

Tuitio donationis ſub damnis fit Terreſtribus non ſub vadio.

DE OBLIGATIONE.

Forma Obligationis talis eſt apud Herb: folio 119.

COmparens perſonaliter coram Iudicio, Nobilis N. de N. hæres publicè & per expreſſum recognouit: Quia Nobili N. de N. bona ſua hæreditaria: videlicet villam N. in trecentis marcis pecuniæ, bonæ monetæ, numero Polonicalis, obligauit, inſcripſit, & præſenti inſcriptione inuadiat, obligat, & inſcribit, ad Feſtum Natiuit: Chriſti, & ſic ab anno ad annum, annis ſe ſequentibus, vſque ad plenariam & integram præfatæ ſummæ trecentarum marcarum exſolutionem, & prædictorum bonorum N. exemptionem, per ipſum N. de N. prædicta bona N. tenenda, habenda, & poſſidenda, cum omni iure, dominio, & proprietate, modo obligatorio, nihil iuris, dominii, & quorumuis vſufructuum vel vtilitatum, in præfatis bonis N. pro prædicto N. & eius ſucceſſoribus, vſque ad debitam exequutionem, penitus reſeruando ſeu excipiendo: ſed ita latè & longè, prout ſolus prædictus N. tenuit, habuit, & poſſedit. Et iã ſibi prædictus N. dedit, & dat exnunc in præfata bona N. realem intromiſſionem, & actualem poſſeſſionem, per Miniſterialem Terreſtrem N. de N. Et debet, tenebiturque præfatus N. & ſui ſucceſſores tenebuntur ipſum N. & eius ſucceſſores, occaſione prædictorum bonorum, ab omni im-

petitione Iuridica, & quibus fuis Inſcriptionibus & iuribus prioribus, tueri, defendere, euincere, & eliberare, toties quoties ſibi aut eius ſucceſſoribus opus fuerit, vſque ad exemptionem bonorum prædictorum. Nec debet prædictus N. & eius ſucceſſores prædicto N. & eius ſucceſſoribus, in præfatis bonis obligatis iniuriari, aut quouis modo pacificam poſſeſſionem præpedire, ſub vadio aliarum trecentarum marcarum. Pro quo vadio, ſi ſe citari permiſerit, aut ſucceſſores permiſerint, in primo termino, tanquã perẽprorio, parere tenebitur & tenebũtur. Et in illo termino, intercedere, euincere, eliberare, iniuriãq; per ſe, vel ſubmiſſas perſonas, in præfatis bonis illatam reſarcire. Quod ſi in præfato termino intercedere, euincere, eliberare, damnumque reſarcire noluerit, aut neglexerit: ex tũc pro præfato vadio ſatisfacere tenebitur, in eodem termino, nulla re exquiſita, nec colore excogitato, nec iudicialiter, neque extraiudicialiter ab renunciando omnibus iuris, remediis, & dilationibus, nulliſque euaſionibus, modis, vel cautelis terminum præfatum differendo, nec quouis modo ipſum N. vel eius ſucceſſores euadendo. Quod vadium, debet conuerti in ſummam eſſentialem, ſine corporali iuramento, nec poterit quicquam in auxilium ſibi contra ipſum N. & eius ſucceſſores accipere, ſub amiſſione ſuæ cauſæ, videlicet ſolutionis præfati vadii: quo ſoluto, vtique Inſcriptioni præſenti, & in ea contentis ſatisfacere, toties quoties ſibi N. & eius ſucceſſoribus opus fuerit tenebitur. Sigiſmundus Petric: 1523. folio 47.

Additur aliquando ad formulam ſupraſcriptam Rumatio, per certum temporis ſpatium cum obedientia. Additur etiam & hoc: quod ante certum tempus, & in certo loco debet poni citatio ad eximendum. Præcuſtoditur & libera

collectio frugum conseminatorum post exemptionem: aliæ verò conditiones, videlicet, quòd colonos ad labores & census nouos subeundos nulla ratione coget, quod res omnes iuxta Inuentarium reddet, & alia huiusmodi, interciſa ſolent roborari.

Si vero hæres viderit ſuam hæreditatem ab obligatorio poſſeſſore eſſe deſertam: vtrum poſt exemptionem, aut ante, poſſit illi actionem eo nomine inſtituere?

RESP: Si obligatio facta eſt ſimpliciter cum omni iure, dominio, proprietate, ac omnibus vtilitatibus, vſibus, fructibus, prouentibus, & commodis, abſque quibuſuis conditionibus; non poteſt hæres nec ante exemptionem, nec poſt exemptionem, ratione damnorum deſertæ hæreditatis ex vſu illius prouenientium actionem obligatorio poſſeſſori inſtituere; cum illi liberum erat hæreditate obligata ſic vti; prout ſua propria vſus fuiſſet, & prout illa poſſeſſor vtebatur. Similiter intelligendum eſt de damnis caſu fortuitò accidentibus. Damnum verò ex caſu fortuito accidens, non ſpectat ad poſſeſſorem; verùm ad hæredem. In quo genere damnorum, pono fugam Kmethonum, ſi facta eſt ex malitia & temeritate illorum, non verò ex cauſa poſſeſſoris. Secus exiſtimo, ſi poſſeſſor obligatorius re obligata abuteretur, cum damno proprietarii: videlicet, ſi vſus eſſet re obligata, vt illa res propter vſum aut omninò pereat, aut fructus ſuos amittat: cum alioquin hæres aliter re illa vtebatur, & ille ſi fuiſſet eius propria, aliter ea vſus fuiſſet; & poterat ea vti abſque eius depopulatione, aut exterminatione: videlicet, ſi ſyluam exſcin-

deret,

deret, aut venderet. Obseruatur Praxis: quod etiam pro iniuriis & Kmethonibus post exemptionem, solet obligatorius possessor citari nulla mentione obligationis factæ, nec tempore expresso.

OBSERVATIONES.

Bona obligatoria cum quis tenet, nihil quidquam in detrimentum fundi domini hæreditarii facere debet: vt fossa per eius bona facere, & aquam in proprium suum fundum per eas ducere, qua aqua ducta, si destrueret littus obligātis bona, vel fundum illius, citatus á domino hæreditario, obligatorius, illorum bonorum damna resarcire tenetur. Si modo dominus hæreditarius non præscriberet, de hac iniuria agere.

Cum quis bona obligat, & ille cui sunt obligata, reassumit omnia debita soluere principalis sui, tandem mortuo principali, tantum in bonis citationes poni debent, requirere verò debita creditores debent à successoribus principalis. Successores verò agere debent cum illo, qui se inscripsit debita soluere.

Obligatio quæ non continet in se hanc clausulam (de anno in annum tenere.) talis etiam intromissione firmata præscriptione Terrestri, triginta annorum non perpetuatur: cum in ea stat simpliciter ad exemptionem: extunc semper exemptibilis esse debet, ita putant alii.

Ius Obligatorium vigore Inscriptionis Castrensis, alicui personæ factum, sine transportatione inscriptionis Castrēsis ad Acta Terrestria præscriptione vnius anni & sex septimanarum desertatur: tamen possessione bonorum, statim post factam inscriptionem illorum assequuta approbatur. Et si non apprehendit possessionem pars, tunc illa

inscriptio decursu vnius anni & sex septimanarum desertatur. In Maiori tamen Polonia stylus aliter seruatur, quia ibi omnes inscriptiones Castrenses introductæ, sine quauis transportatione sunt firmæ.

DE JNSCRIPTIONE DEBITI AD CERTVM TEMPVS.

Inscriptionis debiti ad certum

tẽpus, forma eiusmodi reperitur apud Herb: f. 120.

COmparens personaliter coram Iudicio, Nobilis N. de N. publicè & per expressum recognouit: quia Nobili N. de N. centum marcas pecuniarum certi & liquidi debiti siue mutuatæ pecuniæ, monetæ & numeri Polonicalis tenetur, & præsentibus obligatur, hinc ad Festum Natiuitatis Christi proximè venturum soluere & complere. Casu quo non soluerit, aut soluere neglexerit, extunc in crastino eiusdem festi Natiuitatis Christi proximè venturi, debebit, tenebitur, præsentibusque se obligat sibi N. dare realem intromissionem, & pacificam possessionem, in Villam suã hæreditariam, siue obligatoriam, dictam N. per Ministerialem, quemcunque sibi præfatus N. elegerit, etiam sine alicuius additione officii. Et data sibi intromissione, & pacifica possessione, debet & tenebitur ipsum, tueri, & defendere, & eliberare: ita quòd præfata bona, pacificè & quietè, ab omni impetitione iuridica, quarumcunque personarum, posset tenere, & possidere, quæ tenebit, habebit, possidebit modo obligatorio, in præfatis centum marcis, à præfato Festo Natiuitatis Christi: vel potiùs ab acceptione possessionis, ad aliud Festum Natiuitatis Domini proximè

ximè venturum: & à Festo Natiuitatis Christi proximè ventu-
turo, ad aliud annis sequentibus, vsque ad plenariam so-
lutionem prædictarum centum marcarum, cum omni iure
dominio, & proprietate, ac cum omnibus vtilitatibus, ex
eiusdem bonis, seu villa prædicta, prouenientibus, nihil
excipiendo: & tenebitur dictus N. præfatum N. occasione
præmissorum, tueri, defendere, & eliberare, sub vadio alia-
rum centum marcarum. Quod si tueri, & defendere, & e
liberare noluerit, aut neglexerit, vel in præfatis bonis, per
se, vel submissas personas, quouis modo iniuriatus fuerit,
& se occasione præmissorum, pro præfato vadio citari
permiserit, vel sui successores permiserint, extunc in primo
termino parere tenebitur, & tenebuntur, & in illo termi
no, tueri, euincere, eliberare, bonaque præfata pacificare,
ab omnibus personis, prout ad aliquam personam præ-
scriptio pertinet. Quod si in præfato termino præmissa
non fecerit, seu facere neglexerit, aut iniuriam si quam
intulerit, resarcire nollet, extunc in eodem termino, pro
præfato vadio, satisfacere tenebitur, & tenebuntur, nulla
re exquisita, nec colore excogitato: neque iudicialiter
neque extra iudicialiter, terminum præfatum differendo,
neque quouis modo ipsum vel eius successores, pro præ-
fato vadio euadendo: quod vadium debet conuerti in
summam essentialem, siue principalem, sine corporali iu-
ramento, nec quicquam sibi contra ipsum aut eius succes-
sores recipiendo, sub amissione suæ causæ. Nihilominus
soluto vadio, præsenti obligationi, & in ea contentis, satis-
facere eidem N. & successoribus eius tenebitur, toties quo-
ties sibi & eius successoribus opus fuerit. Sigismundus Pe-
tricouiæ 1523. folio 48.

Inscriptio hæc solet firmari & roborari diuersis modis.

Quædam enim fieri solent sub vadio, quædam sub danda intromissione. Idque dupliciter. Etenim intromissio fit, vel in summa principali & vadio simul iuncto, in defectu solutionis, in summam principalem conuerso (vocatur talis inscriptio Zapis Ryczaltowey) sub vadio summæ simul iunctæ correspondenti: siue in summa principali tantum, sub vadio simili: in qua inscriptione suat apponendæ clausulæ intromissionis, tuitionis, exemptionis, de anno ad annum, & aliæ, vt in actione obligationis fieri solet. Nihil enim talis inscriptio differt ab obligatione, nisi quod in ea post non solutam summam de facto intromissio petitur. Tales verò inscriptiones triennio & trimestri, vbi ad exequutionem non fuerint perductæ, extinguuntur.

Quædam verò fieri solent sub lapsu. Quia in defectu solutionis tenebitur dare intromissionem cum possessione in bona sua (videlicet in villam N. per Ministerialem quẽcunque sibi elegerit, iam exnunc per officium præsens additum, propter non solutionem præfatæ summæ ad tempus prædictum) iure hæreditario vigore lapsus perpetui tenendam, habendam, & possidendam.

Vbi hoc est considerandum, quod intromissio non datur in summam; sed propter non solutionem summæ: nam lapsus non potest extendi vt obligatio.

De Inscriptione autem sub lapsu hoc est annotandum. Quia necesse est adcitare ad Officium, vt lapsus perpetuus vigore inscriptionis officiosè decerneretur, & intromissio cum possessione vigore lapsus perpetui adiudicaretur. Si verò citatus fuerit contumax, nihilominus debebit officium citatum in lucro condemnare, & in vim lucri lapsum perpetuum eorundem bonorum actori decernere, intromissionemque cum possessione in eodem lapsu, vigore in-

scri-

scriptionis actori adiudicare. Apparent ista in Decreto in Conuentu Cracouien: Feria secunda post Iubilate 1553.

OBSERVATIONES.

Si vxor cum duobus amicis ad Inscriptionem debiti de reformatione consentit, ad solutionem medietatis debit tenetur.

Debitum cui non est dies in inscriptione præfixus, omn die potest repeti. Sic leges Imperiales do[illegible]

DE INSCRIPTIONE LOCATIONIS, SEV ARENDÆ.

Inscriptionis, locationis, seu arendæ: talis Formula est apud Herb: f. 120.

COmparens personaliter coram Iudicio, Nobilis N. de N. hæres siue Tenutarius, publicè & per expressum recognouit: quia bona sua hæreditaria, siue obligatoria; videlicet Villam N. Nobili N. de N. pro decem marcis pecuniæ, bonæ monetæ, & numeri Polonicalis arendauit, ad tres duntaxat annos, à Festo Natiuitatis Christi proximò, continuè se sequentes: quas decem marcas, præfatus N. prædicto N. tenebitur soluere ad quolibet Festum Natiuitatis Christi, seorsum in loco N. & præfatus N. tenebitur præfatum N. quietare, ad Acta Castrensia, districtus illius: & sic quolibet anno, vsque ad expirationem præfatæ Arendæ. Quæ quidem bona præfata, videlicet villam N. prædictus N. arendator tenebit, possidebit, illisque vti fruetur, vigore præfatæ arendæ, & nullo alio iure, cum omni iure, dominio, omnibusque vsufructibus, ad prædicta

bona

bona quoquo modo ſpectantibus & vtilitatibus ex illis prouenientibus, vſque ad decurſum trium annorum, à receptione poſſeſsionis, vel potius ad certum tempus, prout ſupra. Et iam præfatus N. dedit ſibi arendatori realem poſſeſsionem in præfata bona, tenebiturque ipſum tueri, protegere, in præfatis bonis arendatis, ab omni impetitione Iuridica, vſque ad expirationem præfatæ arendæ, [illegible] Et hic idem ſtans præfatus N. arendator etiam recognouit ſe [illegible] apud præfatum N. iuxta continentiam præſentis inſcriptionis. Quæ bona recognouit, non alio genere, tantummodò in re arendæ prædictæ, ſe tenere & poſſidere. Sigiſmundus Petricouiæ 1523. folio 49.

In hac forma arendæ, exprimitur ſumma & ratæ, pro quibus ratis ſolutio eius debet fieri: arendator verò, ſeu conductor, id tantùm recognoſcit, quod arendauit prædicta bona, iuxtam continentiam inſcriptionis, & non alio iure, tantummodò arendæ tenere debet. Quiddam verò addit: Poſt cuius arendæ expirationem præfatus N. vel eius ſucceſſores, inequitabunt in ea bona violentiam non facientes.) Ex hac forma id videre licet: Quia ſi conductor, ſiue arendator arendam non ſoluiſſet, non poſſet pro ratis, ad forum Caſtrenſe peremptoriè citari. Nam nec vlla mentio non eſt in hac inſcriptione, nec ligamenta in ſcriptionibus apponi ſolita, conductor in ſe vltrò, recedendo à foro ſuo aſſumpſit. Proinde vſus obſeruat id: quod ſimpliciter arenda inſcribitur eam ſummam non exprimendo, & eo appoſito, quod iam de illa ſatisfactum eſt. Conductor verò debitum ſeorſiua & ſpeciali Inſcriptione recognoſcit nulla facta mentione arendæ pro ratis, vt inter eos eſt conuentum ſoluendi. Vel ſaltem in eadem in-

ſcriptio-

scriptione locationis, conductor, siue arendator, recedendo à foro, super se, ac bona sua, ac successores suos assumit; & ratas se soluere obligat sub vadio. Clausula vero de foro & responsione in fine Inscriptionis additur, quæ tàm in locatorem quàm conductorem imponitur: quod post expirationem arendæ non debebit possessionem locatori denegare sub vadio: Et hoc vtilè est propter imbecilliores, qui inequitare non possunt; & pro bonis in Iudicio Terrestri longum esset agere. Casu fortuiti spectant ad locatorem, siue arendatarium, præsertim magni & generales: Vt incursio hostium, aquarum inundatio, pestis, cæli intemperies, ex qua caritas magna annonæ sequitur. Quod etiam in contractibus arendæ cauetur. Verùm hoc plerũque fit in interciſis, vbi & Inuentarii rerum describuntur: quæ interciſæ in hoc contractu plerumque fiunt, licèt sit & inscriptio locationis iuxta Statutum: nam multæ solent in hoc contractu à contrahente obseruari clausulæ & conditiones. Si verò casus fortuiti non essent neque inscriptione neque interciſa præcustodiri, eorum iusta habenda esset ratio; æquitate ipsa suadente: secus, si per Inscriptionem remouerentur. Nam leges latæ sunt, ut seruentur illis qui nolenter, non qui vltrò in se bonaque sua grauem cõditionem iuris accipiunt.

Bona in quibus aliquis ipsum vsumfructum habet, potestnè in arendam locare?

RESP: Quòd sic. Ita enim natura vsusfructus quod in alium transferri potest, quod simplex vsus non habet. Idem de bonis Regalibus est intelligendum. Quidam enim existimant consensum Regium, ad hunc contractum esse

esse necessarium, & probatur id ex lege de Scultetis & Aduocatis. Herb: fol: 249. quæ præcepit ne Scultetias & Aduocatias absque consensu Dominorum alienent, sub amissione summæ. Et obseruatur id, quod consensus à Regia Maiestate á nonnullis accipitur. Verùm lex ista de Scultetis ad hunc casum non seruit; nam illic habetur de uenditione & obligatione, non de arenda. Item solos Scultetos afficit. Potiùs ergo consensus Regiæ Maiestatis ad id requiritur: vt si is qui habet vsumfructum aduitalitium in bonis, decesserit, ante tempus expirationis arendæ; arendatarius, siue locator vsque ad expirationem arendæ, ex possessione bonorum non remoueretur. Verùm si consensus simpliciter est datus, vt posset aduitalis possessor bona Regia in arendam locare alteri; & Regia Maiestas nõ promittit conductorem interueniente morte locatoris in eius arenda conseruare; talis conditio, non nisi ad vitam aduitalitii possessoris durat. Decreta sunt Regiæ Maiestatis multa, & præsertim Cracouiæ in relationibus 1590. inter Popowski de bonis post mortem Regulski.

OBSERVATIONES.

Domina aduitalis quemadmodum obligare; ita arendare bona aduitalitati suæ subiecta potest. Et ratio huius est. Quod ex mera liberalitate ius habent quo aliter vti nõ debet nisi prout est ei concessum.

Casus fortuiti præsertim magni & generales in arendæ contractibus interissa cauentur.

DE ADVITALITATE.

De Aduitalitate inter coniuges facta. habes Formulam talem apud Herb: f. 121.

COmparentes personaliter corã Iudicio Nobiles N. de N. & N. de N. coniuges, sani mente & corpore existentes, & vsi amicorum consilio, publicè & per expressum recognouerunt: quia omnium bonorum suorum hæreditariorum, & obligatoriorum, mobilium & immobilium, quæ nunc habent & in post habebunt, inuicem & mutuo concesserunt sibi vsumfructum, ad tempora vitæ, tali videlicet modo: quod si præfatum N. prius quam prædictam N. mori contigerit; extunc ipsa N. bona omnia, tàm mobilia, quàm immobilia prædicti N. obtinebit, & possidebit: cum omni iure, dominio, & proprietate, nihil excipiendo; illisque vti fruetur ad tempora duntaxat vitæ suæ. Post mortem verò prædictæ N. bona præfata, tàm mobilia, quàm immobilia, totaliter pleno iure ad successores prædicti N. deuoluentur, sine quouis impedimento, & contradictione successorum præfatæ N. Et similiter si contigerit prædictã N. prius mori quàm ipsum N. extunc præfatus N. bona omnia, tàm mobilia, quàm immobilia, præfatæ N. obtinebit & possidebit, cum omni iure, dominio, & proprietate, & omnibus eorundem bonorum pertinentibus, illisque vti fruetur, ad tempora vitæ dontaxat suæ. Post mortem verò prædicti N. bona præfata, quæcunque ipsam N. concernebant, ad successores totaliter deuoluentur, sine quouis impedimento, & contradictione successorũ præfati N. Sigismundus Petricouiæ 1523. folio 46.

Ista autem est natura aduitalitatis mutuæ. Quia maritus per eam non præcludit sibi viam ad dispositionem bonorũ, donec vixerit absque consensu vxoris, faciendam. In bonis verò post mortem illius relictis, extendit se ius aduitalitiale.

Quando maritus habens cum vxore mutuam aduitalitatem, consentit illi ad faciendam Inscriptionem resignationis dotis, si rursus ab illa ad eum peruenerit vtrum ius aduitalitatis amittit nec ne?

RESP: Quod sic. Decretum in Conuentu Cracouien: Feria quinta ante Oculi 1535.

Debita vtrum successores an Domina aduitalis soluere teneatur?

RESP: Si Domina Aduitalis manere vult in iure suo aduitalitio, tenetur illud emundare à debitis mariti. Debitores verò in eam ius transfundere tenentur. Post iuris transfusionem, potest talis Domina aduitalis successores citare vigore transfusionis, qui licet ad solutionem stringi non debeant, tamen tenentur intromissionem in bona antecessoris admittere: propterea vt magis ius aduitalitatis dominæ corroborari possit. Quo pacto bona illa, tàm vigore aduitalitatis, quàm iuris quæsiti Domina aduitalitatis, tenebit, & post mortem successores eius erunt in exemptione. De hoc videndum Decretum in Iudicio Tribunalis Regni Lublini 1593. inter Ducissam Slucensem & Reginski.

Aduitalitas ad quæ bona se extendere potest?

RESP: Ad bona omnia mobilia & immobilia, hæreditaria & obligatoria, summasque pecuniarias habitas & habendas. Si verò de manibus Dominæ aduitalitatis bona eximuntur, summæ illius habet vsumfructum ad vitam, datis

tis fideiussoribus, qui successoribus mariti cauerent de indemnitate.

Si Maritus apud creditorem habuit summas, & in Inscriptione aduitalitatis non sunt expressè positæ summæ pecuniariæ, licet sunt nominata bona mobilia & immobilia, non puto aduitalitatem super eiusmodi summas se extendere. Debita enim nec sunt bona mobilia, nec immobilia, sed tertium genus bonorum Iurisconsulti ponunt. Secus tamen intelligendum de summis, nomine quarum bona sunt in possessionem tradita; nam hæc pro bonis immobilibus reputantur. Sunt quidam qui id affirmant, quòd licet sit aduitalitas facta in summis pecuniariis, tamen ius aduitale non potest se extendere ad debita, quæ nondum maritus viuens numerauit.

Aduitalitas in bonis indiuisis vtrum valeat?

RESP: Quòd sic. In quibus enim bonis diuisio perfici debet, sors vna sub diuisionem cadens, debet Dominæ aduitalitiali dari. Decretum in Conuentu Petricouien: Feria 2. post Agnet: 1549.

Aduitalitas præter formulam Statuti scripta vtrum seruanda?

RESP: Si conditiones aliquæ inusitatæ in rem vxoris seruientes esset appositæ, quibus grauarentur Successores, non sunt seruandæ. Nam maiori beneficio vxores vti non possint, nisi vt lex permittit. Verùm solent quædam addi: Quod aduitalitas tantùm valere debebit, donec ad secundas nuptias non transierit; quæ conditio tanquam successoribus vtilis seruari solet.

Aduitalitas vicissitudinaria sed tantum per maritum vxori facta, vtrum valeat?

RESP: Quòd non. Talis enim aduitalitas est contra formulam Iuris.

Domina aduitalis quomodo potest vti bonis?

RESP: Quòd pro suo commodo fructus ex illis percipere potest, absque tamen damno aliquo illorum: imò si damnum in bonis notabile faceret, vel si ius suum in alium transfunderet, vel illa bona obligaret, vel arendaret, vel ligna in aliam hæreditatem veheret, aduitalitatem suam violat, & per consequens perdit, successoribusque ad bona recuperanda lata patet via. Hæc praxis obseruatur. Quidam tamen existimant posse arendare, modo nō per Inscriptionem officiosam: quod quidem rationi est consentaneum, etiamsi arenda esset officiosè inscriptas, habet enim vsūfructū cū omni iure, dominio, & proprietate.

Mulier habens reformationem dotis, & inscriptionem aduitalitatis sibi per maritum inscriptam, circa vnum remanere debet, vel circa dotem, vel circa aduitalitatem, præsertim cum ipsa marito non inscripsit aduitalitatem reformationis suæ: prout est Decretum inter Andream de Tenczyn Castellanum Sendomirien: & Annam consortem olim Ioannis de Tenczyn, Succamerarii Terræ Cracouien: Quodsi eadem aduitalitas inter coniuges fit mutuò inscripta, mulier circa vtrumque remanere debet. Sed cum inter coniuges nulla mutua inscriptio facta fuerit, circa vnum remanebit mulier.

Aduitalitas in bonis Regalibus concessa, quæ valeat,

quæ

quæ nō videatur, in Constitutionibus Petric: 1560. & 1562.

OBSERVATIONES.

Dominus Aduitalis non potest citari pro ademptione fundi, sed ipsemet hæres. Si autem aduitalis possessor citatur, extunc actor tenetur deportare citationem. Pro ademptione quoque agri Plebanalis hæres citari debet.

Cessante post mortem possessoris aduitalitate, datur regressus successoribus ad bona illorum propria.

Domina aduitalis non potest magis extendere aduitalitatem suam, nisi ad hæc bona quæ post mortem mariti sui libera sunt relicta; neminique obligata. Cum in libero arbitrio viri existat, facta aduitalitate. obligare, vendere, bona. Reformatione tamen illæsa.

Aliquis habens aduitalitatem in aliquibus bonis non potest ex illis in alia bona ligna euahere, solummodò eis in eisdem bonis vti. Nihil ominus pro eo citatus, cùm id sub prætextu iuris aduitalitii fecit, abusu borreæ dunta- xat abiudicatur, sed à damnis liber, excepto si id sine intermissione feceret.

DE REFORMATIONE.

Reformatio est Inscriptio qua dos à marito vxori inscribitur. Inscriptionis huius forma in Statuto non reperitur. Secundum tamen vsum antiquum, iste est sensus illius: quod maritus tàm magnam summam, quam post vxorem recepit, illi in medietate bonorum omnium suorū hæreditariorū & obligatoriorū, mobiliū, & immobiliū habitorū & habendoru ratione dotis; & aliam summam similem, ratione dotalitii inscribit, reformat ac dotaliter assecurat. Quæ bona illa habebit, tenebit, & possidebit, in summa

dotis

dotis & dotalitii, iuxta vim & continentiam aliarum reformationum in Regno hoc obseruatarum. In antiquis inscriptionibus, non additur intromissio, nec eiectio; quæ tamen, si apposita fuerit, nihil noceret inscriptioni reformatoriæ.

Quæ bona, inscriptio eiusmodi afficere potest?

Hæc inscriptio secundum Praxim & vsum communem fit in medietate bonorum mariti. Iste vsus probatur ex lege Casimiri Herb: folio 254. Quod pueri ex communi vsu medietatem bonorum portionis maternæ à patre tollunt. Idem colligitur ex Statutis Iagelonis Herb: folio 287. Si verò in villa aliqua integra, maritus vxori reformationē facere vellet, debet similem aliam villam pueris suis relinquere. In quibusdam verò reformationibus hoc additur præsertim in Maiori Polonia: vt in Curia, prædiis, pecoribus, pecudibus, equis, equireis, summis pecuniariis, & suppellectili domestica reformatio se extendat. Hoc iuxta præscriptum iuris improbari potest. Ex lege Iagelonis apud Herbortum folio 287. Quæ dicit: Declarando insuper quòd talis mulier circa omnia pecora, & quæuis alia, quæ in dote sua & indotalitio fuerunt, remaneat. Quod Statutum licet thesaurum spectando, argentum, equos magnos, cum omnibus armis, & equireas, à parafarnalibus excipit, non tamen à reformatione. Imò ex eadem lege apparet: Quia circa omnia pecora, & quasuis res mobiles, quæ in dote eius & dotalitio fuerint, remanebit: vestes tamen mariti, & equos paruos valoris trium marcarum, cum pueris defuncti diuidet: licet fuerit reformatio in iis omnibus assecurata. Quæ vero in reformatione

sunt

sunt nominata, sub ius paraformaliorum non cadunt. Paraformalia enim vocantur propriè illæ res quas mulier in ædes mariti intulit: vt sunt vestes muliebres, & instrumẽta ad vsum muliebrem pertinentia, quasi iuxta dotem datæ: cætera verò vocantur illa omnia instrumenta & ornamenta domestica quibus pro vsu quotidie vtuntur, & quæ materfamilias plerunque in sua cura habet.

Prærogatiuæ dotium & dotaliciorum quæ sunt?

Dotalicia fuga & crimine viri non vitiantur. Statutum Casimiri Magni. Herb: folio 82.

Vxor de bonis suis nihil viro inscribere neque super venditionem bonorum, in quibus reformationem habuerit, consentire potest, absque consensu amicorum duorum, de linea paterna consanguineorum. Herb: 36. alias inscriptio per maritum cuicunque facta, etiam cum consensu vxoris (saluis iuribus eius) non nocet.

Mulier non potest eximi de bonis reformatoriis ei subiectis nisi prius ad secundas nuptias transuolet, Lex Sigismundi. Herb: folio 82.

Dotalicii tamen vsumfructum ad extrema vsque tempora vitæ suæ habet, licet secundo nubat Herb: ibidem.

Onera dotis & dotaliciorum quæ sunt?

Dos non reformata nulla. Herb folio 81.

Reformationem vxor si in alium transtulerit euanescit dotalitium; & bona illa sunt in exemptione persoluta dote: mutatur enim reformatio in obligationem. Sic Praxis retinet.

Quando vidua secundo nubens eximitur, tenetur darè fideiussores, quod dotalitium ad successores primi mariti deuoluetur. Herb: fol: 82.

Idem est intelligendum, quando vxor reformationem habet in summa, dum summam à creditore percipit. Quòd si cautionem non præstiterit, successores eius de dotalitio respondere non tenentur.

Vsus dotis & dotalicii non nisi post mortem viri, vxori seruit. Apparet hoc ex Statuto Alexandri Herb: folio 82.

Dos si mulier sterilis decesserit cui debetur?

RESP: Reuertitur ad consanguineos ipsius, sexus virilis, idque eo modo: si mulier præmortua marito esset, consanguinei mulieris à marito non bonorum possessionẽ; sed dotem iure mediantè repetere debent. Si verò maritus præmortuus esset, & mulier, bona sibi per virum reformata ad extrema vsque vitæ suæ tempora possideret; possessio bonorum reformatorum consanguineis prædictæ mulieris debetur, quibus intromissio per loci Capitaneum in illa bona absque iuris strepitu est danda: quæ bona illi possidebunt vsque ad exemptionem. Herb: folio 82.

Circa hoc quæritur: Si successores mariti illa bona occuparent, antequã intromissio successoribus vxoris daretur: qua via dotem suã repetere debebant?

RESP: Pro restitutione. Pro expulsione enim agere non possunt, cùm non erant in possessione: nec pro diuisione: cùm non habeant par ius cum successoribus mariti. Is verò qui reformationem transfusam à muliere habuit,

pro

pro summa agere debet. Si verò præter dotem aliqua bona vxor sua opera acquisiuit: existimant quidam: quod inter fratres & sorores conuerti debent.

Quando in reformatione additur

Euictio, vtrum successores pro dotis restitutione vigore illius Inscriptionis agere possunt in Officio Castrensi?

RESP: Quòd non. Nam euictio tantum vxori seruit; verum iure mediante in Iudicio Terrestri pro dote. In dotem verò aurum, argentum, computatur. Parafarnalia verò non possunt repeti; nam in iure tantum de dote cautũ est.

Si dos aut bona in quibus illa

esset inscripta aliquo casu pereant, periculum ad quem pertinet?

RESP: Quia ad maritum: Dos enim planè transit in contractum venditionis. Nam maritus fit debitor summæ vel pretii æstimati dotis. Et quia stante matrimonio, dos in eius vtilitatem cedit; ita ad quem spectat commodum, ad eum etiam & damnum.

Si vero vxor a viro plures re-

formationes habuerit, vtrum omnes valebunt?

RESP; Quòd non, Sed tantum vna quam sibi elegerit.

In vnis & eisdem bonis, vtrum

stare potest reformatio, & obligatio vxori per maritum facta?

RESP: Quòd non. Sed in vno debet esse contenta.

Decretum Regiæ Maiestatis inter successores Rylski, & Nouercam illorum, feria tertia post Trium Regum 1557. Secus intelligendum est, si in bonis à reformatione liberis, maritus vxori reformationem fecerit. Rex tamen Sigismundus decernere solebat, non posse vxores quicquam titulo donationis á maritis vltra dotem, & dotalitium, ipsorumque aduitalitatem habere, nisi forte ab inscriptione dotaliciali recederet; ipsoque dono potiri mallet.

Vtrum aliquibus conditionibus maritus dotem vxori suæ onerare possit?

RESP: Quòd non. Decretum in Conuentu Petricouiensi feria sexta ipso die Conuersionis S. Pauli. A. 1559.

Dos reformata vtrum testamento legari possit?

RESP: Quòd non. Nam pro bonis immobilibus censetur: de hoc est Decretum in Conuentu Petricouiensi 1536. Propterea & possessionem reformatio facit.

Si maritus facta reformatione vxori primæ, in medietate omnium bonorum, pueris cum illa procreatis secundam duxerit, & similiter in medietate omnium bonorum reformationem illi fecerit, in quota parte bonorum remanere nouerca debet, & vtrum illam pro diuisione bonorum, reformatione mtern a oneratorum, successores primi matrimonii citare poterunt?

RESP: De iure communi pater ad nuptias secundas conuolans, in bonis quidem suis remanere debet, sed tenetur primæ vxoris liberis portionem, quam post matrem

eorum

eorum ratione dotis seu nuptiarum tulit, assignare. Herb: folio 254.

Ex qua lege idem collegere licet, quod in primis tantũ bonorum paternorum filiis primæ vxoris est assignandum, quantum dos post illam recepta æquiualet. In reliquorũ verò bonorum (quæ supererunt) medietate, vxoris secũdæ reformatio se extendet. Proinde non pro diuisione medietatis bonorum reformatione oneratorum maternorum, sed pro assignatione partis, quam post matrem illiorũ ratione dotis pater percepit, nouerca erit citanda. Quæ si voluerit, pecunia sua dotem pueris primæ vxoris persoluere: in medietate omnium bonorum mariti reformationem suam habebit. Quod si pater aut minorem portionẽ, aut nullam assignauerit, tamen hoc pueris obesse non potest: quia agere iure cum patre non potuerunt, cum nouerca vero ius suum possunt prosequi.

Quando vxor nullam reformationem habet, quid petere potest?

Si est virgo à marito accepta, non vidua, potest peters crinile, videlicet 30. marcas. Herb: folio 851. quæ de bonis mariti cedere non tenetur, donec ei 30. marcæ persoluẽtur, aut possessio assignabitur, ex qua tres marcæ prouentus, seu census proueniant.

OBSERVATIONES.

Domina reformatoria post mortem mariti inuentarium facere debet, auri, argenti, margaritarum, lapidum præciosorum, ac quorumuis elenodiorum, summarum pecuniarũ, ac equirei, exceptis rebus aliis omnibus, quæ vsu consumi possunt.

Reformatorialis domina bonis reformatoriis liberè po-

est vtifrui, & illis pro libitu disponere, id est inscribere, dare, obligare, vendere reformationem suam alteri, in quantum sese summa reformationis extendit: & nihil plus. Limitare tamen bona, sine pro iniuriis fundi agere, ac pro illis respondere non potest. Hæc enim omnia ad hæredem pertinent: itaque cum hærede citari & citare debet.

Reformatio licet sit facta non coram Actis perpetuis non extinguitur: quia vxor non potest citare, & non valenti agere, non currit præscriptio.

Iure reformationis si non repetuntur bona intra decem annos, à maritata; amittuntur.

Dos & dotalicium, debent in quantitate concordari.

Cùm vxor cum duobus amicis mariti ad inscriptionem debiti certi consentit, ea tunc de reformatione sua non totam summam inscriptam, sed tantum medietatem soluet.

Dos euasione non tollitur.

Dos in bonis reformata testamento legari non potest.

Domina dotaliciata, si reformationem habet in medietate omnium bonorum & debitorum, per maritum suum inscriptam, ex tunc recipiet medietatem debitorum mariti: sed tamen fideiussores recipiendo statuet; quod post mortem suam successores sui hoc debitum successoribus mariti restituent.

Domina reformatoria pro debito mariti vigore suæ reformationis ad Officium Castrense Capitaneale citare non potest; sed ad Iudicium Terrestre.

Si maritus faciendo reformationem vxori inscripserit se cum successoribus pro tuitione in Officio Castrensi, & superuiuens illum vxor, moritur; ex tunc successores vxoris non possunt ad Officium Capitaneale citare de possessione successores mariti, iuxta inscriptionem; sed ad Iudicium Terrestre pro dote.

Si

Si vxor reformatione sua consentiens marito, ad inscriptionem aliquam sine duobus amicis, citata fuerit ad illã inscriptionem; libera fiet, quia non habuit circa se amicos. Sed si vxor de bonis suis hæreditariis inscriptionem facit sufficit mariti consensus.

Soror vterina non potest repetere apud fratrem diuisionem reformationis maternæ, sed tantùm dotem.

Dotis restitutio post vxorem defunctam successoribus eius competit, in quam ex consuetudine aurum & argentum taxatur (alias Parafarnalia) concluduntur.

Dotalicium cum dote simul per mulierem receptum, si cautione fideiussoria non fuerit assecuratum, per successores mulieris solui non debet.

Domina reformatoria, bona nomine dotis possessa, limitare non potest, neque pro iniuriis fundi sine hærede agere, neque etiam citata respondere.

Dotis & dotalicii reformatio solummodo in mediatè bonorum per maritum fieri debet.

Si autem aliquis in integra villa, prædio curia, reformationem facit vxori, ex tunc hanc conditionem apponet: quod villam, prædium, curiam, æqualem, liberam, successoribus suis respectu istius reformationis relinquet.

Mulier, cùm pro expulsione dotis agit, non est illi necessaria inquisitio.

Dos in præsentia amicorum assignata de qua testimoniũ, aut interciſa amicorum constat, solui debet per fratres sorori, aut sors eam concernens in dote exdiuidi.

Domina dotalicialis non præscribit, intentione bonorũ reformationis suæ in dote & dotalicio inscriptorum; & si illam dotem donauerit, inscripserit, vel suum ius transfuderit, in aliquem, ille habens ius transfusionis, vel dona-

tionis

tionis illius dotis ab ea, similiter in possessione eadem bona tenens & habens præscribere quoque non potest.

Vbi inscripta est dos, & non expressa parafarnalia, non restituuntur, nisi sola dos.

Domina dotalicialis non tenetur soluere debita mariti sui, sed soluant successores, qui succedunt iure hæreditario in bona.

Omnes Tenutari cuiuscunque dotalicii, non alio iure dotalicium tenere possunt, nisi eo iure prout domina dotalitialis tenuit in dote. Et bona quæcunque in dote, & dotalicio inscribuntur, nulla præscriptione ab hæredibus alienari possunt.

Dos & dotalicium testamento legari non potest á muliere sterili, suo cognato vel alienæ personæ.

Dos amicis, mulieris sterilis restitui debet. Sterilis intelligenda est, quæ moriens nullos liberos relinquit; etiamsi ante habuerit.

Maritata dum abrenunciauit de omnibus bonis paternis, maternisque: sciendum, quod hac abrenunciatione bona hæreditaria non concernuntur, nec istiusmodi abrenunciatione amittit bona hæreditaria materna. Tamen illa bona quæ matri suæ ratione dotis sunt reformata, amittit; nam bona hæreditaria non nisi per condescensionem amittuntur, per abrenunciationem verò amitti non possunt.

DE CESSIONE.

Cessionem formam habens apud Herb: folio 121. quæ est talis.

COmparens personaliter coram Iudicio præsenti Nobilis A. de A. sponte publicè ac expresse recognouit, quia de omni

omni iure suo ac inscriptionibus suis perpetuis, vel obligatoriis, in Actis quibuscunque contentis, à quibuscunq; personis, quacunque ex causa, in & super bonis C. habitis vna cum tuitione, in eodem iure, ac inscriptionibus contenta, latius in se contente nihil iuris, dominii & proprietatis ac vsuumfructuum, ex eisdem iuribus ac bonis prædictis, sibi & suis successoribus relinquendo: sed prout ea solus habuit, tenuit, & possedit, Nobili D. & eius successoribus cessit: prout iam exnunc cedit & resignat: aliaque omnia ipsius iuris, ac inscriptionum suarum beneficia, bonorumque dominium, ac vtilitates vniuersas, in eundē D. dat realem intromissionem, & actualem possessionem, tàm in hoc ipsum ius seu inscriptiones, quàm in bona prædicta per Ministerialem Terrestrem, quemcunque iam exnunc de iure additū ad intromittendum in præfata bona C. vigore ipsius iuris cessi, ac inscriptionum originalium tenenda, habenda & vtifruenda, perpetuo, ac in æuum, vel alioquin vsque ad exemptionē eius, vel successoribus ipsius realiter faciendam.

Natura cessionis ea est. Quia per illam ius hæreditariū in bonis immobilibus non alienamus; sed tantùm possessionem bonorum, iuraque & inscriptiones quascunque nobis seruientes, in alios transferimus. Quando verò inscriptio aliqua in alium transfunditur, debet hoc fieri cū tuitione possessione, intromissione, vadio, ac omnibus inscriptionis ligamentis; intromissio quoque est danda, quæ in inscriptionibus fit traditionis & acceptionis. Tuitio autem per transfundentem non cauetur: Etenim cum parata tuitione inscriptiones solent transfundi, ex quo is qui inscriptionem originalem fecit, tenetur pro euictione. Solet tamen hoc aliquando caueri: quod transfusor tene-

tur pro euictione ab impedimentis, ex re & occasione ipsius emergentibus.

Quæ res in alium transferri non possunt?

Res dubiæ, litigiosæ, ac incertæ, quorum finis est iuramentum, & ratio huius est: Quia nemo pro altero iurare potest.

Transfusio etiam iniuriæ vel perlucrorum incertarum, minùs iuridica esse censetur, quia neque iuris, neque rei transfusio est. Inscriptiones autem debent esse reales.

De Processu verò iuris, hoc est intelligendum: Quia processus per controuersiam obtentus optimè in alium potest transferri: in contumatiam verò perductus, tam diu iuris quæsitori serait, quam diu per iure victum non fuerit abnegatus, aut iure annihilatus, quo cadente res litigiosa reuertitur ad principalem actorem.

Depositi transfusio in aliam personam fieri non potest: quia fidele depositum censetur esse causa personalis.

Aduitalitatem suam, Domina in alium transferre non potest; alioquin illam amittit.

In prosequutione causæ & termino pendente, dum citatus cedit alteri de suo iure: quis debet adcitare?

RESP: Quòd nouus iuris quæsitor, vt actor certus sit, cum quo terminum suum prosequi deberet; aliter in termino citatus per iuris transfusionem liberari non potest nam hoc fieret in elusionem Actoris. De hoc est Decretū in Conuentu Petricouien; feria 3. post Oculi 1563. Cùm autem vnus ex Actoribus cedit cuiquam de suo interesse,

alli

alii nihil ominus iuris comparticipes habent terminum.

Quando verò pater nomine suo & filii cedit alicui de actione, filius verò hoc nomine approbat; habet nihilominus pro suo interesse terminum. De hoc est Decretū in Conuentu Cracouien: feria 4. post Inuocauit, A. 1553.

Post cessionem autem iuris, adcitatio fieri solet, ad paratas citationes, ad omnesque continuationes terminorū & ad omnem Processum Iudiciarium, & ad omnes gradus Iudiciarios, in quibus causa indecisa stetit. vt habes infra sub titulo de citationibus, in obseruationibus Par. Condescendens.

Quando aliquis habens inscriptionem in vim lapsus, eam in alium transfert, antequam tempus solutionis peruenit: vtrum iuris quæsitor vigore eius inscriptionis potest lapsum lucrari, nec ne?

RESP: Quidam existimant quod non potest. Ex ea forte ratione, quia ius hæreditarium in bonis immobilibus per iuris transfusionem non lucratur; sed tantum simpliciter obligationem illam posse lucrari putant.

DE INTERCISA.

Roboratio Interciſæ.

Recognouerunt & quilibet eorum recognouit pro parte sua. Quia se & suos successores super boni, suis omnibus.

Iuxta terminationem.

Vna pars alteri inscribunt & obligant præsentibus; interciſam certam ratione quarumcunque rerum & conditi-

orum in ea descriptarum de actu & data N. in eadem inter se confectam.

Iuxta terminationem.

Subscriptam, sigilisq; obsignatam in omnibus & singulis eiusdem interciſæ conditionibus punctis, clauſulis, & ligamentis firmiter tenere, eidemque tam in toto quam in parte totiens, quotiens opus fuerit, interciſam prædictam ad inſcriptionem præſentem, & inſcriptionē ad interciſam viciſſim in toto referendo, ſub vadio N. per partem parti, & ſucceſſores vtriuſque ob non completionem contentorum interciſæ, tam in toto quam in parte, totiens quotiens opus fuerit ad ſoluendam ſuccumbendo. Proquo quidem vadio ac re aliqua principali citata exiſtens pars vna, aut ſucceſſores eius ad inſtantiam partis alterius, ſucceſſorumque ipſius ad Officium vel iudicium &c.

Iuxta terminationem ſcribatur forum: & liga iuxta formam generalem.

Roboratio interciſæ per vnam partem pro ſuo intereſſe.

Recedendo &c. Recognouit. Quia N. & eius ſucceſſoribus ſe ac ſuos ſucceſſores, de & ſuper bonis ſuis omnibus

Iuxta terminationem.

Inſcribit præſentibus interciſam certam, inter ſe recognitam ab vna & præfatum N. parte ex altera, occaſione quarumcunque rerum & conditionem in ea deſcriptarum de actu & data N. A. B. (Iuxta terminationem) per ſe ſubſcriptam & obſignatam in omnibus ipſius punctis, conditionibus, clauſulis ſe reſpectiuè ſtringentibus adimpiendi,

eidemque interciſæ tam in toto quam in parte, totiens quotiens opus fuerit pro ſuo intereſſe ſatis facere, interciſam prædictam ad inſcriptionem præſentem, & inſcriptionem ad interciſam viciſſim in toto referendo, ſub vadio M. per eundem recognoſcentem & eius ſucceſſores, ipſi N. & eius ſucceſſoribus ob non completionem præmiſſorum omnium & ſingulorum, tam in toto quam in parte ad ſoluendum totiens quotiens opus fuerit ſuccumbendo.

Forum iuxta terminationem, & liga iuxta formam generalem ſcribatur.

Ligamenta interciſæ.

Eam interciſam in omnibus generaliter & ſingulis ſpecialiter conditionibus contentis, modis, punctis, clauſulis, & articulis, ligamentisque ac nexibus, tam in toto, quam in quauiminima parte firmiter tenere, complere, & inuiolabiliter obſeruare, & id quod ibidem deſcriptum eſt perficere, & exequi, totiens quotiens opus fuerit, interciſam & contractum præfatum ad inſcriptionem præſentem, & inſcriptionem præſentem ad contractum præfatum ſeu interciſam præfatam referendo.

Aringa Transportationis literarum granitialium Succameralium ad acta Terreſtria.

Ad poſtulationem Nobilis N. componaliter comparentis, nomine G. N. domini ſui factam, iudicium præſens Terreſtre literas granitierum inter bona præfata ipſius N. hæreditaria, ab vna & villam N. hæreditariam partibus ab altera per Officium ſuccameriale terreſtre N. factarum, ex actis Succamerialibus authenticè emanatam & per ipſum offerentem oblatam, ſuſcepit, & in acta præſentia, inſcribi mandauit.

Adui-

Aduitalitatis.

Ad postulationem Nobilis N. nomine Nobilium N. coniugum iudicialiter factam, iudicium præsens terrestre, inscriptionem aduitalitatis mutuæ præfatorum coniugum ex actis Castrensibus N. authenticè emanatem, per prædictum offerentem, oblatam suscepit, & in acta inscribi mandauit.

Transportationis roborationis.

Coram Iudicio & actis præsentibus personaliter comparens Noblis N. sanus mente & corpore existens, á iure iurisditione sua quauis competenti, atque Palatinatu, terra, districtu suo quovis proprio recedendo, præsenti verò iurisditioni se cum bonis ac successoribus suis incorporando libere & publicè recognouit. Quia inscriptionem roboratoriam infrascriptum, ex actis Castrensibus: N. authenticè emanatam pro obtinendo debito firmitatis robore, ad acta præsentia suo pro interesse transportat & recognouit, hæc in verba.

DE VADIO

Vadium inscriptionibus apponitur, propter corroborationem inscriptionis; alias minus valida esset inscriptio, si esset arbitraria. Interdum loco vadii, damna Terrestria in inscriptionibus apponuntur. Herb: folio 117.

Semper autem vadium æquale summæ apponi debet. De hoc est Decretum feria secunda post S. Floriani, A. 1539.

Damna verò sine iuramento taxantur, quæ tamen nō debent excedere valorem rei inscriptæ, Decretum Trib: inter Paris & Chinowski.

Vadium nobili contra Nobilem & Ciui contra Nobilem modo de nomine specificetur dari potest: ratione verò vadii forū in Iudicio Terrestri, salua appelatione ad Tribunal

Vadii Regalis interpositio.

Titulus Capitanei scribatur. Tibi Nobili N. &c. Innotescimus oblatas nobis esse literas ad officium & acta nostra CCC, infra scriptas S. Maiestatis Regiæ per Nobilem N. sub titulo ipsius Maiestatis Regiæ æditas, & sigillo minori eiusdem, Maiestatis Regiæ munitas, omni prorsus vitio, & suspitione carentes, idque interpositionem vadii Regii (specificetur suma) inter te & eundem N. vallati quarum quidem literarum Sacræ Maiestatis Regiæ tenor de verbo ad verbum sequitur talis.

Sigismundus III. Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ Mazouiæ, Samogitiæ, Liuoniæque. Nec non Suecorum Gottorum, Vandallorumque Hæreditarius Rex.

Generoso N. Capitaneo, vel in absentia illius Vtceca pitaneo fideliter nobis dilectis. Gratiam nostram Regiam Generose. Fid. nob. dil. Expositum est nobis nomine Nobilis N. N. apertas illi innimicitias in eius vitæ discrimen à Nobili N. denunciari. Quod nos paci publicæ & legibus Regni contrarium esse animaduertentes, nolentesque vt partes eædem de iniuriis si quæ inter ipsas intercedunt, non vi neque armis, sed iure mediante inuicem experiantur, vadium nostrum N. floren. pecuniæ Polonicalis inter easdem partes interponendum esse duximus, vti quidem interponimus hisce literis nostris. Mandamus itaque Fid. Tuæ vt hoc ipsum vadium nostrum in &a sua Castren. N. prius inscribi, ac deinde per Ministerialem de more in domos ambarum partiũ deferri & ap notitiam illarum deduci mandet: certificando easdem quod si aliqua ipsarum hoc ipsum vadium nostrum tam per se quam per submissas subordinatasque personas

transf

transgressa fuerit, illius nos medietatem pro fisco nostro, alteram verò partem illud tenenti, à parte in eo succumbẽti ieremissibiliter esse exacturos. Quod quod quidem vadium tam ad omnes generaliter quam ad vnam quamque personam, sigillatim referri volumus. Quod si verò alicuius partium bona non fuerint æqualia summæ, seu vadio supra expresso, tum ea ipsa pars cautionem fideiussoriam sufficientem de parendo iuri & soluendo eodem vadio, alteri parti, per idoneos fideiussores præstare tenebitur. Factura id Fid. T. pro gratia nostra, & debito officii sui. Datum.

OBSERVATIONES.

Quando aliquis inscripsit se facere aliquid sub vadio, si vult soluere vadium, abinscriptione liberatur: verum quãdo additur (sub vadio, quo soluto, nihilominus rei principali satisfacere tenetur, totiens quotiens) non liberatur per vadii solutionem.

Quando in inscriptione multæ clausulæ & conditiones sunt contentæ, & tota illa inscriptio, vno roboratur vadio, & hoc non additur: (Quod vadium tàm ad omnes, quàm ad vnam quamcunque conditionẽ sese referre debebit,) tunc ob ad impletionem conditionis vnius, non potest lucrari vadium, sed tantum pæna trium marcarum.

Similiter pro debito inscripto, sine tali conditione, quod vadium debeat conuerti in summam essentialem, citatus non vadium, sed pænam 15. alias trium marcarum luit.

Sed si quis alicui se inscripserit soluere certam pecuniæ summam, pro tempore certo, sub vadio similis summæ, quod quidem vadium, nisi summam principalem pro tempore inscripto reposuerit, in summam essentialem conuerti deberet, & tandem pro tempore illo debitum non soluerit;

extunc

extunc citatus non potest in termino vadium euadere, sed illud in summam vna conuersum, cum summa principali iuxta inscriptionem soluere tenetur. Quoniam quisque ex obligatione omnibus oneribus sit obnoxius.

Quando quis aliquam summam soluturum, aut rem aliquam præstiturum se inscripsit sub vadio pro tempore præfixo, & inscriptioni non satisfecit: non statim succumbit vadium, sed citatus pro eadem re, cum pæna vadium præstare tenetur.

De Debito verò talis est Praxis: Si illud in instanti in primo termino loco responsionis citatus soluit, à pæna liber efficitur. Si se soluturum pro futuris submittit, cum pæna decernitur solutio. Hæc Praxis confirmatur Consuet: Cracouien: Herb: folio 123.

In bona, intromissio nonnunquam, ex iuris beneficio, offerenti se soluturum, cum pæna ter trium marcarum decernitur. Tertio verò cum pæna 14. marcarum: vltra verò non potest differri solutio. Est Decretum Regiæ Maiestatis Warsauiæ Sabbatho ante festum sancti Andreæ 1556 inter Czarnkowskie & Dominum de Koscielec, vbi Sacra Regia Maiestas, ex eo quia Dominus de Koscielec summam inscriptam, nec pro tempore persoluit, nec citatus circa minus Iudicium, nec etiam coram Regia Maiestate eandem summam reponebat, ideò condemnatus est in vadio, ad summam originalem adiuncto iuxta inscriptionem solutionemque tam summæ quàm vadii, in quatuor septimanis assignauit, & in defectu ad loci Capitaneum remisit. Similè inter Gwiazdowski & Przylepski, feria quarta post Purificationis 1565. Sed iam non adeò strictè ista vadia decernuntur.

Vadium lucrari nemo potest, nisi prius illa iniuria, si

quæ illata fuerit ex qua ambigitur vadium, iure Terrestri vel Castrensi super parte aduersa lucretur.

Vadium inscriptioni commutatoriæ, donatoriæ, venditoriæ, diuisoriali appositum post elapsum terrestrem præscriptionem trium annorum & trium mensium euanescit, Iamque tandem in casu contrauentionis inscriptioni, partes non ad vadium, sed ad damna terrestria sese conueniri debent.

Si intromissio vigore inscriptionis cum pæna ter trium mensarum suscipitur: iam vadium ab actore lucrari non potest.

Vadiis quæ sunt ex contractibus, nemo sibi potest appropriare ius hæreditarium, quia in voluntate est cuiuslibet, luere vadium ex sua voluntate & arbitrio, & obtinere licitè denuò hæreditatem suam, præsertim cum illo contractu non scribitur (totiens quotiens præfatum vadium fuerit, tenebitur contractum tenere) sed si vadium vadiaque mediante decreto, & summa fuerint adiudicata, in quibus scribitur clausula (totiens quotiens non compleuerit, totiens quotiens vadium succumbet) eadem vadia ligant ius hæreditarium. Quia inscribitur. Ex quibus bonis vadium lucrari debet.

Nemo potest maius vadium de securitate vitæ suæ obtinere, nisi in quantum taxari possunt bona ipsius: aliàs confide iubere illud tenetur cum hominibus bona vadio correspondentia habentibus. Ditiores etiam contra tenuiores, maiora vadia obtinere possunt, nisi quanta bonis ipsorum pauperum respondebunt. Aliâs ad confideiubendum illud tenuiores non tenentur.

DE QVIETATIONE

Quietatio est recognitio coram Actis, qua fatemur nobis de aliquo contractu, aut re aliqua satisfactum esse.

Forma quietationis de debito & perlucris.

Comparens personaliter &c. Recedendo recognouit. Quia summam N. accepit & in effectu leuauit à Nobili C.D. sibi A. B. per eundem C. D. in actis N. inscriptam: de ea itaque summa M. nec non de perlucris totoque processu iuris per se, & super eodem in officio N. ratione eiusmodi summæ perductis (vide in terminatione) prædictus A B. eundem C. D. quietat, præsentibus perpetuo & inscriptionem prædictam L. M. super præfatam summam M. sibi seruientem; & perlucra præfata in toto cassat & mortificat temporibus perpetuis.

Alia forma quietationis de obligatione.

Quia accepit in effectu à Nobili C. D. summam M. sibi & B. per eundem C.D. in actis CC. modo obligatorio super bonis M. inscriptam, & assecuratam: de ea itaque summa M C (si fuerint perlucra nominata scribantur) prædictus A B eundem C. D. quietat præsentibus perpetuo, & inscriptionem præfatam obligatoriam N. sibi seruientem in toto cassat & mortificat temporibus perpetuis, acde bonis præfatis obligatis eidem C D. extunc condescendit.

Videndum erit in terminario vtrum perlucra fuerint an non.

Alia forma Quietationis cum cef-

sione insimul.

Quia à Nobili CD. accepit realiter quantum pro ipsius interesse pertinet summam M per eundem CD. ac Nobilem AB. fratrem ipsius AB. in actis N. inscriptam: de eaitaque summa N. præfatus AB. eundem CD. quantum pro eius interesse pertinet quietat perpetuo. Quantum autem attinet præfatum AB. fratrem eius idem recognoscens AB. de inscriptione prænominata N. super summam eandem N. coniunctim sibi vt præmissum est recognita, & iam tantum, super medietatem ipsius videlicet summam N. se extendentem, prædictumque AB. pro parte ipsius N. generaliter cùm omnibus eiusdem inscriptioni ligamentis & beneficijs respective se extendentem; nec non & de residuitate summæ prædictæ, videlicet de N. floren cum totali ipsius summæ proprietate: nihil excipiendo; iam ex nunc prædicto CD. accepta ab ipso N satisfactione, successoribusque suis legitimis perpetuo cedit & condescendit omneque & integrum ius suum residuitatis summæ præfatæ, in eundem CD. successoresque eius totaliter transfudit & incorporat perpetuò, per ipsummet successoresque eius, summam prædictam à prædicto debitore leuandi & percipiendi ad vluíque suos & suorum successorum beneplacitos quosuis, tanquam suam propriam conuertendi, vigore prædictæ inscriptionis originalis & præsentis condescensoriæ.

Quietatio cum euictione.

Comparens personaliter coram &c. Nobilis AB. Recedendo &c. Recognouit. Quia numine Nobilis CD. pro cuius ratihabitione cauet præsentibus, accepit realiter à No-

bili

bili C. D. ſummam M. per prædictum CD. in actis N. inſcriptam, de qua ſumma M præfatus AB. prædictum CD. nomine eiuſdem N. quietat perpetuo, & inſcriptionem prædictam N. ſuper eandem ſummam prædicti CD. ſeruientem

Perlucra ſi in terminario apponentut ſcribantur.

nomine ipſius caſſat ac mortificat, inſcribens ſe ac ſuos ſucceſſores de & ſuper bonis ſuis omnibus prædicto AB. ſucceſſoribuſque eius prænominatum CD. aut ſucceſſores eius ad approbandam per eum & ſimilem faciendam de prædicta lumina M. & perlueris.

Si appoſita fuerint in terminatio.

quietationem & inſcriptionem prædictam ſuper eandem ſummam ipſi ſeruientem caſſandam & mortificandam in decurſu N. ad acta N. adducere & perſonaliter ſtatuere, ac ab eo vt præmiſſa exequatur effici ad tempus vero ſtatuitionis præfati CD. vel ſucceſſorum eius ipſum AB & poſteros eius. ab impetitione iuridica prædicti CD ſucceſſorumque eius ratione ſummæ præfatæ per ſe recognoſcentis ad præſens nomine eius leuatæ exoriundæ. in omni Iudicio & offidio Regni totiens, quotiens opus fuerit tueri. euincere. eliberare. ac vbilibet indemnem & indemnes reddere ſub vanio ſimilis ſummæ ob non completionem præmiſſorum omnium & ſingulorum tam in toto quam in parte per prænominatum N. & poſteros ipſius prænominato CD. ſucceſſoribuſque ipſius toties quoties opus fuerit ad ſoluendum ſuccumbendo. Pro quo quidem vadio ac pro re aliqua ex præmiſsis non completa, citatus exiſtens prænominatis recognoſcens Nobilis A B. ſiue eius poſteri ad inſtantiam CD. vel ſucceſſorum.

Scribatur Liga iuxta formam.

OBSERVATIONES.

Quietationes coram non perpetuis Actis factæ, habent vim perpetuitatis. & transportatione non indigent.

Quando tutor nomine pupillorum quietat. pupillis non datur actio contra debitorem, sed contra tutorem eorum. Cautio tamen in eiusmodi quietationibus solet addi Frater tamen non obstante quietatione fratris, agere potest pro suo interesse cum debitore: ita quidam sentiunt. Atsi frater senior ex obligatione debitorem quietauerit, & bona illi tradiderit, non potest violentam depulsionem lucrari tantum summam,

Inscriptiones officiosæ non nisi quietationibus Officiosis cassantur.

Dum aliquis inscriptam cuipiam certam summam soluit quæ prius incripta est, sine specificatione. quod ad rationem illius summæ soluat, & quietatur. si tandem pro residuo citato sobijcitur, quod non iuxta hanc inscriptionem hoc soluit debitum: extunc cum alia ab actore non producitur inscriptio, iurabit citatus, se ad rationem eius summæ hoc debitum iuxta quietationem soluisse.

Quietatio mænualis & chyrographica, contra inscriptionem authenticam nihil valet.

Satisfactionis conditiones, non quietatione. sed satisfactione. & tolluntur & probantur.

TITVLVS II.

DE ACTIONIBVS ET CITATIONIBVS.

Diuisio Actionum?

Actiones aliæ sunt — Ciuiles. / Criminales.

Ciuiles quædam sunt — Iuris. / Facti.

Iuris, aliæ sunt possessoriæ, quibus intromissio & possessio bonorum adiudicatur, vt sunt.

Occupationis & Ademptionis
Exemptionis
Potioritatis iurium.
Bonorum nullo iure receptorum.

Aliæ in quibus tantum de iuribus vel facto proprietatem fundi tangentibus tractatur, vt

Granicierum
Diuisionis
Restitutionis dotis post sterilem.
Solutionis dotis ac prouisionis
Citationum importationis
Scopulorum dissectionis
Receptionis retium vel aliarum rerum in fundo controuerso.

Prati

Prati confalcastrationis & similiter coarati-
Frugum depastionis. (onis.
Syluæ excisionis.
Aruipirij.
Kmethonis profugi.
Constructionis sepis in fundo alieno.
Obstaculi facti in fluuio nauigabili.
Contra Officiales impossessionatos, & possessionatorum, prærogatiua.

II. Facti autem actiones in quibus simplicis facti cognitio tractatur, vt

Expulsionis.
Non præsentationis pecoris ad forestam.
Regiam eiusdemque macerationis.
Depositi seu concrediti.
Mutui seu commodati.
Simplicis debiti.
Proprij laboris.
Capitis solutionis.
Vulnerum.
Administrationis iustitiæ;
Diffidationis.
Euocationis ad duellum.
Nobilis captiuationis.
Eiusdem eliberationis
Deductionis Nobilitatis.
Calculi.
Fideiussionis. (ptionis.
Famuli absq; literis testimonialibus susce-
Damnorum.
Contra ciues, subditos arestantes.

Rece-

Receptionis alienæ rei.
Prohibitionis emptionis equorum Nobilitati in nundinis.
Ad inscriptionem tam pro summa quam pro transportatione, & aliis non adimpletis conditionibus.
Grauaminis.
Prosequutionis motionis seu appelationis: & similiter ad Tribunal ad cassandam appellationem.
Non factæ exequutionis.
Portationis pixidum.
Exacti Thelonei.
Verborum scurrilium &c.
Contra ciues bona terrestria possidentes aliosque extraneos &c. & similia.
Vagorum & laicorum susceptio,
Et multæ aliæ actiones simplicis facti

Criminales actiones aliæ Publicæ. Priuatæ.

I. Publicæ sunt.

Læsæ Maiestatis
Perduellionis.
Peculatus. Iudiciorum
Violatio. Conuentuum.
Falsæ monetæ.
Thelonei absque priuilegio exactionis.
Hæresis.

II. Priuatæ sunt, quæ priuatos afficiunt.

Quarum aliæ sunt — Ex delicto, aliæ Ex iure.

Ex delicto, vt.

Homicidij insidiosi,
Procurationis veneni
Raptus.
Incestus.
Stupri.
Falsi alieno nomine recognitionis.
Pænæ talionis.
Salui conductus violationis
Ministerialis in officio violationis.
Guerræ
Quatuor articuli Iudicij Castrensis.
Criminis recentis
Turpiloquij seu diffamationis
Calumniæ
Furti.
Prædæ.
In turri pro homicidio non sesionis.

Sacrilegij, quæ etiam est & mixti, & non directè priuatorum, quæ itidem dupliciter abcipitur, & violatio personæ sacræ, etiam de consensu; & rerum sacrarum ablatio.

Ex iure

Ex iure sunt.

Complicitatis bannitorum: ipsa quæ decretæ bannitionis, quæ in tantum afficiunt & aggrauant, in quantum & quo ad actori iureuictori non fuerit satisfactum.

Complicitatis infamium

Conseruationis philistinorum.

Defensionis bonorum per fautores absceſſorum.

Contra extraneum dignitatem seu castrum in Regno suscipientem.

Contra suscipientem donationem aut obligationē super terram Sendomirienſem.

Contra suscipientem donationem in Liuonia præter alternatam.

Contra famulum à Domino in arctiori tempore quam decem septimanarum ante bellicam expeditionem discedentem.

Contra seruum furem domini non prosequensem.

Contra sponsionem fidei frangentem.

Contra corthesanos.

Et similes multæ.

MODVS PROCEDENDI IN ACTIONE FAMILIÆ HERCISCVNDÆ Hæreditatis diuidendæ coram Officio Castrensi.

Actio diuisionis quid est?

Est actio realis quando cohæredes, & par ius successionis habentes agimus pro diuisione bonorum communium in quibus nulla diuisio interceſſit.

Quæ ad eam requiruntur?

1 Vt sit vniuersalis, hoc est pro vniuersis bonis communibus diuidendis in quibus nulla facta est diuisio. Quemadmodum enim actio expulsionis pro particula fundi non datur, ita nec diuisionis. Si verò in aliqua particula cohæres post diuisionem factam & approbatam, se intrusum esse censeret, alia actione pro ea iniuria agere debet.

2, Vt actor cum citato habeat paritatem iuris, paritas verò iuris esse dicitur, quando Actor in pari gradu cum citato est, vel quando ius acquisiuit ab eo, qui in pari gradu erat & par ius successionis habuit. Est decretum in Conuentu Petricouiæ Feria 4. ante Pascha Anno 1549. Alias si actor non agnoscetur esse cohæres, aut titulus ipsius, aliqua ex causa impugnaretur, primum in Iudicio terrestri paritatem iuris probare deberet, vel possessionem vigore tituli sui & iuris quæsiti euincere per actionem occupationis. De hoc est Decretum in Iudicio Tribunalis Regni Lublinen: Anno 1594. in Vigilia S. Laurentii, Idem colligitur ex lege Sigis: Herb. 52. Euincere verò possessionem, actor prius tenetur, quando citatus iure suo tota & integra possidet bona, & actor acquisita parte aliqua eorundem, à quo quam diuisionem petit, non producto titulo suo ad debitam perfectionem, nempè ad possessionem. Alias si citatus tantum ius hereditarium allegat, & illum à quo actor titulum acquisiuit cohæredem suum fuisse non negat; non tenetur Actor alio modo euincere possessionem nisi per actionem diuisionis, cum in bonis indiuisis, tertia possessio apprehendi non potest, sufficitque actori, si illa data est intromissio in sortem, quæ illi diuisione cessura est; quam ille per assecutam diuisionem firmabit, quæ ex decreto supradicto colligere licet. De paritate verò iuris, actor primo docere tunc

debebit:

debebit: quandò verò nullam partem hæreditatis possidet, hac actione à possessione repelli non potest. Item quando hoc illi est obiectum ante litis contestationem, & quando vel ordinatione paterna vel diuisione amicabili, vel alio modo diuisio facta fuit, id in instanti probare poterit.

Forum quod? Officium Castrense ad quærelas.

Herb. 220.

Potest hæc actio prosequi etiam in Iudicio Terrestri vt patet ex forma citationis, & marginalibus annotationibus Przyl. Fol. 619. Similiter coram Commissariis à S. R. M. deputatis diuisio peragi potest. Herb. 52. Tit. Commiss. Reg. Pro diuisionae verò bonorum Regalium in summa possessorum coram quo iudicio agi debet?

RESP. Si hæc actio in bonis Regalibus aliquo casu competeret, non in alio Iudicio, nisi Regiæ Maiestatis prosequenda esset. De hoc decretum est in Iudicio Tribunali Petricouiæ inter Plockie. At mea sententia, si vnus frater iure aduitalitio possidet, reliqui non diuisionem sed partem summæ ac respectantem repetere possunt: si verò non haberet aduitalitatem, & alios fratres tamen repelletet à bonis, potius pro expulsione agere deberet. Quando verò vel de iuris propinquitate, vel de titulo, vel de præscriptione controuersia intercedit, tam ab Officio Castrensi, quàm ab Commissariis actione principali suspensa, controuersia talis pro cognitione ad iudicium Terrestre remittenda: de quo supra in secundo requisito.

Actor quis? Par ius successionis habens siue naturale, siue acquisitum.

Quod si actori obiiceretur illegitimas vtrum causa diuisionis esset suspendenda donec de natalibus doceret?

RESP. Quod non. De hoc est Decretum in Iudicio Tribunali

bunali Lublinensi Anno 1589, Et ratio est, quia ille tantisper pro gaudere: etiamsi & causam legitimitatis ob defectum sumptuum prosequi non posset.

Domina aduitalitialis vel reformatoria, vtrum ea actione agere posset?

RESP. Quod sic, talis enim diuisio hæredi & ipsius iuri nocere non potest, quod etiam & in decreto, vtlle præcustoditur.

Sorores suæ aliæ fœminæ, vtrum ea actione agere possunt?

RESP, Quod sic: & contra fratres quidem non nisi post elocationem earum in matrimonium, in defectu persolutionis dotis pro dote videlicet vel pro ex diuisione sortis, eas concernentis, vt manifistè apparet ex Constit. 1588. Ista tu vero virginali existentes contra fratres ea actione agere non possunt vt manifestè ex suprascripta Constitutione colligitur. Et ratio est quia ipsæ in statu virginali existentes bona tenere non possunt. Contra extraneas verò personas, quæ à fratribus illarum quocunque iure bona haberent, licet cùm fratribus suis ratione sortium suarum contractum aliquem feciſſet. non obstante illo contractu etiam in statu virginali possunt agere pro diuisione sortis suæ. De goc est Decretum S. R. M. in Conuentu Petricouien: ipso die Conuersionis S. Pauli Anno 1559. Et ratio ista est, quia extraneus non potest esse tutor, & per consequens bona illarum tenere non potest. (Hoc procedit in bonis maternis.) At si sunt bona paterna, in quibus sorores tantum dotem habent, etiam contra remotas personas illa bona possidentes; non possunt pro diuisione agere antequam nubãt, sed tantum pro diuisione sua cum illis agere possunt, quemadmodum & cum fratribus germanis: apparet hoc ex Constit.

stit. 1588. Pro dote vero inscripte, suo modo agere debent.

Quando mater filijs suis bona sua inscribit, remouendo á filiabus, aduitalitatem verò sibi reseruauerit, vtrum filiæ pro diuisione sortis maternæ agere possunt?

RESP. Quod sic, Nam donationes debent esse de facto; & in futurum non valent.

Soror vterina, vtrum sortem bonorum suorum reformatione materna oneratorum accipit, an dote debet esse contenta ?

RESP. Quod non, Nisi fuerint bona materna, tunc filiæ in eisdem bonis succedere possunt. Herb. 23.

Filius, vtrum potest citare matrem pro ex diuisione sortis paternæ, à reformatione eius libera, ad Officium Castrense?

RESP. Quod sic: etiam sit minorennis cum assistentia tutoris, nam sine diuisione sortem suam tenere non potest, ad quam tenendam propior est quam mater.

Habens ius reformatorium à domina acquisitum, vtrum agere pro diuisione potest?

RESP. Quod non. Per cessionem enim iuris, mutatur ius reformatorium in debitum simplex, etaimsi bona quæ in dote possideret, essent in exemptione: itaque pro dote agere deberet, non pro diuisione: successores tamen si vellent possent illi medietatem bonorum in summa dotis offere, & exdiuidere.

Vtrum ius possessorium alterius, in bonis, impedire potest diuisionem successoris iuris perpetui siue directi.

RESP. Quod non, modo diuisio nihil noceat iuri possessorio. Possessor tamen adcitandus est, ad attentandam diuisio-

diuisionem ratione iuris ipsius. Decretum in Conuentu Petricouiensi Feria 4. ante Purificationem Anno 1549.

Citandus quis? Cohæres iuris paritatem habens, siue possideat siue non. Item ius possessorium, ius aduitale habentes qui sortem & diuisionem facere nolent.

Possessor ius quæsitum habens, vtrum à cohærede citari potest?

RESP. Quod sic. Nam hæc actio est possessoria. Apparet hoc ex Constit: 1588. Tit. O Siostrach.

Quis est scopus huius actionis?

RESP. Vt diuisio bonorum communium decerneretur & perficeretur. & fors vnicuique seruiens traderetur, ac vadio centum viginti marcarum possessio ratificaretur.

Si vero post factam diuisionem in aliqua parte actor ad possessionem non peruenerit, vtrum ea actione agere debet?

RESP. Quod non. Nam hæc actio natura & æquitate sua est vniuersalis: veram pro ea iniuria in foro competenti agere debet, nempè actione occupationis.

Post diuisionem peractam potest ne fieri commensuratio?

RESP. Quod ante lapsum præscriptionem triennalem & trimestrem potest. Eius autem actionis est frequens vsus in Palatinatu Mazouiæ & Podlachiæ quæ etiam in alijs Palatinatibus non immerito fieri potest. Reperitur ea in re decretum post curiam Feria 2. post festum S. Floriani Anno 1525. in qua causa Iudicium Terrestre Lublinense commẽsurationem decreuerat; Iudicium assessorum Rentream sententiã retractauerat, ex ea ratione. Quod in Palatinatu non sunt huiusmodi commensurationes Regia vero Maiestas retractata sententia assessoriali sententiam iudicij Terrestri approbauit ex ea ratione. Quia nemo debet suo patrimonio &

nio & forte ad illum pertinente defraudari, decreuitque vt pars vtraq; in quatuor septimanis Officium Castrense Lubinense deducat ad locum fundi, & per vnum amicum ex vtraque parte adiungant; quod Officium cum amicis facta commensuratione, æqualem diuisionem facere debebat. Si verò vna pars Officium deducere & amicum statuere neglexisset; extunc pars altera id faciens, perficere debuit, id quod erat faciendum. Ego existimo hic necessario adiungendum esse Geometram, nec non Ministerialem & vadium interponendum, ne citatus impediat huiusmodi commensurationem actori & intromissionem in possessionem vllo modo, sub vadio.

Vtrum cohæres potest cogi vt adæquationem pecuniariam accipiat?

RESP. Quod non. Quilibet enim re sua vti debet pro sua voluntate.

Si verò res essent quæ diuidi non possent?

Tunc adiudicantur vni & alijs in pecunia datur, quàm Iudex ex æquo & bono adiudicare potest, cui vult, vel licitate & plus offerenti dare potest, tamen cohæres si ipse esset pauper, alterum iussum precium non offerentem, tertium extraneum substituere potest. Nam secundum leges Saxonum. minor habet facultatem eligendi si aliquam rem circa se retinere vellet: quod etiam in nostra Praxi obseruatur.

Vtrum in bonis diuisione cessio euictio venit à cohærede?

RESP. Si diuisio per patrem sit facta tunc non venit euictio à cohærede, nisi ex culpa cohæredis res euincatur, aut nisi probaliter intelligatur. patrem de impedimentis in illis bonis nesciuisse. Si verò per iudicem aut ex compositione; cohæres tenetur ad euictionem pro parte sua, nisi in contra-

rium aliter sit conuentum. aut nisi bona petantur ex culpa possessoris. Hoc probari potest ex Constitut: 1565. Titul. O Zastepcy. Similiter decreto supra allegato. In diuisione verò quicquid competit antecessori, id & successoribus; Nisi aliter diuisio in se contineat.

Probationes. Probationes in ea causa non aliæ esse possunt, nisi quod sit cohæres. & par ius successionis habens siue quod à tali ius acquisierit, id vero per deductionem Genealogiæ & propinquitatis in Iudicio Terrestri probatur: vel si de validitate tituli controuersia agitur, tunc similiter in Iudicio Terrestri de iuribus fit disputatio. Si vero allegatur diuisionem esse factam: probatur id vel decreto alicuius Officij vel testimonio amicorum, siue diuisione aliquo scripto illorum. Et ita propior erit citatus ad comprobandum. Quod si diuisionem allegaret, citatus verò eam nec decreto nec testimonio diuisorum, nec scripto aliquo probaret. propior erit actor contra hoc euadere.

Quando diuisio per amicos est facta ac vadio roborata præscriptione triennali & trimestri nondum elapsa, vtrum cohæres alios cohæredes pro diuisione ad Officium Castrense citare potest?

RESP. Quod non. nisi voluerit vadium per amicos de tenenda diuisione interpositum soluere. Pacta enim & transactiones vadio firmatæ sunt tenendæ.

Quod si diuisione vnus ex cohærede læsus vel iniuriatus esset, qua ratione id prosequi deberet?

RESP. Quod antequam triennalis & trimestris præscriptio fuerit elapsa, ad Iudicium Terrestre cohæredes pro ea iniuria potest citare. Quia meliorem seu potiorem partem bonorum paternorum teneat quam ipse; in damnum ipsius. Quod si probauerit læsionem siue iniuriam, solet diuisio denuo

nuo decerni: id probari potest ex statuto Casimiri Herb: fol. 80. Tit. Diuisio. Idem intelligendum est, etiam si diuisio esset coram Iudicio & actis recognita & inscripta quod etiam ex statutis colligitur. Nam videtur hoc statutum diuisionem per solos amicos factam comprobare, ad notitiam principalis deductam, hoc est, coram actis recognitam. De hac re etiam sunt decreta in Iudicio Tribunalis Regni Lublinensi Anni 1590. Vel si fundi sunt contigui vnius hæreditatis; per commensurationem iniuriam suam vindicare potest; de qua decretum est supra. De diuisione verò ex decreto facta, sic est intelligendum: si diuisores eam diuisionem ex decreto perficiebant & terminabant. Similiter pro iniuria in diuisione accepta, ante elapsum præscriptionem agi potest. Si vero per Officium ipsum esset determinata, quod non seiunctim sortes plerumq; diuidit, verum per laneos & mansos, stadia vel iugera, aut etiam argulas vicissitudinarie assignat; sic etiam in Kmethonibus facit; qualis diuisio quoad æqualitatem non quoad commoditatem sit apta & vtilis tunc pro iniuria & damno in tali diuisione accepto actio dari non potest. Nam talis modus diuisionis non potest esse cum iniuria magna, & quod semel Officium decreuit, non est necesse amplius renouare, alioquin nullus esset finis litium.

Processus in ea actione talis obseruatur vt in actione expulsionis mutatis mutãdis in eo videlicet: Quod illic intromissio hic verò diuisio decernitur. Ibi Ministerialis cum Nobilibus ad intromittendum; hic diuisiores cum Ministeriali certo, ad faciendam diuisonem deputãtur. Illic vadium primarium ob non præpediendam re intromissionem interponitur; hic ob non præpediendam diuisionem, & post diuisionem factam, ob non præpediendam pacificam possessio-

nem similiter interponitur. Intromissio in perlucris fit in bona propria citatorum vt etiam in actione expulsionis. Quando verò in Iudicio terrestri decernitur diuisio inter vicinos vnius hæreditatis; dies debet specificari ad faciendā diuisionem, & diuisores cum Ministeriali addendi, taxa in citatione posita interponenda, de non præpedienda diuisione. In defectu autem diuisionis, causa pro exequutione ad loci Capitaneum remittitur, pro determinanda diuisione debito iuris ordine seruato. Similiter decernitur in eodem iudicio in contumaciam in termino peremptorio in vim lucri, neque in ea causa concitatio est necessaria. Quando verò diuisores discordes in aliquo fuerint, Officium descendere debet, ad diuisionem perficiendam.

Euasio in hac actione, tantùm à termino & processu citatum liberat, non verò à causa. Nam hæc actio æquiparatur actioni limitum, vel exemptioni, quæ euasione non tollitur Herb. 3. Et maioris momenti esse videtur, nam hic agitur, vel vigore iuris naturalis, vel vigore inscriptionis.

Dilationes hæ conceduntur. Vera infirmitate nam est peremptoria, ad munimenta specificata, nam hæc actio est simplicis iniuriæ, nisi de non facta diuisione, quæ ferè sit in omnibus actionibus Castrensibus: in causa autem simpliciū iniuratum non datur dilatio tantummodo ad munimenta specificata, iuxta Constit. 1588. Pro maiori in ea actione dilatio non datur, nam nulla taxa in citatione ponitur. Ad Euictorem similiter dilatio non procedit, sed possessor diuisionem facere tenetur. & cum principali salua actio eidem reseruatur. Probatio iuxta Constit. 1588. Tit. o Stostrach.

Hoc tamen intelligendum de *illis* bonis, quæ creditores in perlucris suis tenerent, & quando dos reperitur, de qua nullum extat dubium. Hoc manifestè colligitur ex Constitutio-

tutione memorata. At quando aliquis, iure emptionis bona possidet, & alter iure propinquitatis petit partem bonorum, citatque pro diuisione; citatus vero euictorem monstrat, petitque sibi concedi dilationem ad euictorem danda, illi erit dilatio cum ea conditione: vt cum euictore sine intermissione agat, assignandusque terminus, pro diuisione, in duabus septimanis, post determinationem causæ cum euictore. De hac re est decretum in Conuentu Petricouiensi Feria 5. post Agnetis. Anno 1449. Secus est existimandum quando hæres proprius diuisionem petit de cuius successione nullum est dubium, iuxta constitutionem suprascriptam.

Præscriptio. Quemadmodum effectus præscriptionis est duplex, & enim confirmat ius possessionis & destruit petitoris seu actoris, viam illi ad agendum præcludendo: ita etiam in eadem causa post diuisionem quidem factam, omnem viam ad infringendam diuisionem præcludit actori præscriptio triennalis & trimestris iuxta Statut. Herb. fol. 80. Tit. Diuisio. Ante diuisionem verò factam si actor est iuris naturalis successor, & hæreditatem petit, nulla illi obesse potest præscriptio in linea videlicet descendenti, in qua linea successores naturales, siue sui dicuntur. Successori verò ex linea collaterali & ius propinquitatis se habere existimanti, & non certò scienti, præscriptio triennalis & trimestris obest. Similiter actori qui iure quæsito diuisionem petit præscriptio triennalis & trimestris obest, propterea quia ius suum siue titulum ad effectum non deducebat, quod præscriptione tanti temporis euanuit. De filiabus verò dotem petentibus ea est praxis: quod si nullam reformationem habuerint, nulla eis obest præscriptio: si reformationem factam à viro habuerint, & post elocationem in matrimonium intra decem annos tacuerint, præscriptio tanti tem-

poris illis obest, & præcludit illis viam ad agendum: præsumitur enim ante eas dotem accepisse, dum reformationem habentes tacuerint: secus existimandum si in reformatione expressè mentio facta: quod non ratione acceptædotis, verum ex mera liberalitate reformatio est facta.

Appelatio est admissibilis ad Tribunal modo non ab accessorio. Citatio si fit ad Officium Castrense, fit per modum quærelæ sic. *Quia tu sibi ad diuisionem bonorum omnium & pari iure successionis spectantes consentire non vis*: Et concludi potest sic *Ideò ad præfatam diuisionem per nos ex Officio nostro diuisores dari, & vadio Capitaneali eandem firmari, sis attentaturus: quam habes infra inter formulas Citationum.*

Quando verò fit Commissorialis innotescentia, scribatur iuxta formam talium Innotescentiarum quæ sequitur. *Ideo præfatam diuisionem per nos in bonis præfatis iudicialiter fieri, & in deffectu ratihabitionis eiusdem, ad loci Capitaneum remitti propter exequutionem ipsius faciendam, iudicialiter sis attenturus & respensurus* Fol. 619. Quando vero fœminæ pro dote citant forman da est citatio, ad modum quærelæ. *Quia vos tenetis bona ex quibus eadem N dote competenti & paraphernalibus non est debita ex dotata & dotem eandem soluere, nec diuisionem sortis eius consentire vultis. Qua propter &c.* Vt infra in forma citationis ad querelam. In qua citatione taxa non ponitur. In omni autem citatione hoc est maximè considerandum, vt bona pro quorum diuisione agitur exprimantur, alias citatio erit mala.

MO-

MODVS PROCEDENTI IN ACTIONE violentæ expulsionis coram Officio Castrensi.

Actio violentæ expulsionis de bonis, quid est?

Est actio personalis qua agimus contra illum, qui violenter nos de possessione deturbauit, & eiecit, vindicamusque nostram possessionem.

Requisita. Vt hæc actio instituatur pro bonis integris non autem pro particula aliqua bonorum, vt agro, prato, & aliqua particula vniuersorum bonorum, in eaque frumenti receptionis. Cracouiæ 29. 542. Expulsio de tamẽ curia, molendino, & agro cum Kmethonibus per hanc actionem vindicatur, nam hæc non intelliguntur pro parte bonorum, sed pro integris: in vna tamen domo manentes pro expulsione agere non possunt, sed pro diuisione. Requiritur titulus possessionis: nullo enim titulo probato, citatus liber pronunciatur simpliciter. Requiritur possessio hæc enim actio est possessoria nempè amissæ possessionis, vt siue hac actio nullo modo institui possit. Herb. fol. 222.

Quæ est differentia inter actionem occupationis & expulsionis?

RESP. Actio expulsionis non datur, nisi prius quis esset in pos-

in possessione bonorum. Occupationis vero datur absque possessione. Deinde actio expulsionis ad Officium Castrense pertinet; occupationis ad Iudicium. Deinde in hac re de facto: in illa de iuribus disputatio intercedit. Demum ex actione expulsionis damna sequuntur, ex occupatione non.

Forum Castrense. Herb. 22. 222. Si bona de quibus pro expulsione agitur, sunt in diuersis districtibus; coram vno tantum Capitaneo sub quo potior pars illorum bonorum consistit agi potest, ne pro vna iniuria plures actiones instituere sit necesse. Decretum Regiæ Maiestatis in Conuentu Feria 4. post Elizabeth. 1521.

Actor quis? Expulsus de possessione bonorum qualicunque titulo etiam si ex decretis bona illa possidebat, cuiuscunque sit conditionis & sexus; & eius posteri etiam minorennes cum assistentia tutorum. Tenutarij quoque: item Arendatores bonorum, & alij vsui fructuarij possunt pro expulsione de possessione agere: de hoc Decretum Cracouiæ Feria quarta post Iudica 1553.

Minorennis dum ad annos venerit potestne agere pro bonis hac actione, per tutorem alienatis?

RESP. Quod sic: iuxta Statutum Sigis. 1543. Her. 222. Quod est reassumptum per Constitut. Anni 1588. Fol 30.

Iste qui alteri bona sua inscribit, & alienat, possessionem verò eorundem bonorum vltrò non mittit, sed exinde expellitur, vtrum agere pro expulsione potest?

RESP. Quod sic. & probationem facere debet, rota tali: quod semper fuerit in possessione bonorum suorum, neque intromissionem in ea bona dedit & admisit, vsque ad tempus violentæ expulsionis. De hoc Decretum in Conuentum Anni 1553. Et ratio huius est. Quia possessor quam diu non

eijci-

eijcitur è possessione per decretum legitimũ; aut quamdiu non concesserit alteri vltro possessionem non est violenter eijciendus de possessione. Nemini enim rem etiam suam violenter adire licet. Tamen hoc fieri posset, quando illius inscriptionis, sine possessione ostendi posset nullitas.

Quando quis in aliqua bona ex iuris processu intromittitur, possessor verò illorum bonorum non agit pro deportatione citationum, vtrum pro expulsione agere potest?

RESP. Quòd non: præsertim si intra annum & sex septimanas passus sit citationes in illis bonis fieri. Da hoc Decretum est in Conuentu Petric. Feria 4. post Remin. 1565.

Quando vxor à marito vltro præter eius voluntatem discedit & sese separat, vtrum contra eius successores post mortem illius pro expulsione agere potest?

RESP. Quod non. Nam per separationem habitationis desertauit possessionem suam, in actis supradictis de hac re.

Actori obiecta illegitimitas, vtrum actionem violentæ expulsionis suspendit?

Est decretum inter Ioannem à Tarnow Castellanum Cracouiensem & Swiętek, vbi R. M. decreuit, vt prius Actor de natalibus in iure spirituali vel coram Commissarijs doceat, tandem violentam expulsionem comprobet: Verum hoc minus iustum & iuridicum esse videtur. Nam expulsus ante omnia in possessionem est mittendus, licet sit male fidei possessor de iure, & æquitas hoc non patitur. Nam si spoliabitur bonis, non habebit suspensionem ad iure procedendum ratione natalitiorum. Ita iudicatum est in Iudicio Tribunalis Regni in causa diuisionis inter Ostrowskie Anno 1589 Si autem in causa diuisionis obiectio illegitimitatis, actionem non suspendit, multò magis in actione expulsionis suspendere non debet.

Subdito contra Dominum vtrum actio expulsionis seruit?

RESP. Quod non. Sed si habuit tabernam, pro restitutione summæ agere potest.

Obligatorius scribens se in citatione hæredem, vtrum causæ violentæ expulsionis præiudicat?

RESP. Quod non. Nam in hac actione non est cognitio iuris sed facti.

Daturne hæc actio contra successores?

RESP. Quod sic. Nam rationi consentaneum est, vt in id daretur, quod ad eos peruenit, aut etiam quod dolo malo factum est: quo minus ad eos perueniret. Et ratio est, quia actio hæc est personalis, nec successor ex delicto, sed ex commodo quod ad eum peruenit, respondere tenetur. Verum iure nostro contra successorem proceditur in ea actione quemadmodum contra antecessorem eius procedere debebatur, licet antecessor non fuit viuens adcitatus. Idque ex eo. Quia ex dilecto antecessoris onerantur bona, quæ successores eliberare debent, si volunt succedere.

Contra minorennes, vtrum hæc actio datur?

RESP. Quod sic. Et enim hæc actio tanquam possessoria non patitur moram.

Vtrum ex facti serui hæc actio contra Dominum datur?

RESP. Quod sic. Nihil enim refert, an per se vel familiã suam quis deijciat, vimque inferat, modo factum ratum habeat, & in rem eius deiectio fiat Przyl. 141.

Contra Complices vtrum hæc actio procedit?

RESP. Quod non. Nam in ciuilibus actionibus complices liberantur, nisi velit agere contra complices in Iudicio terrestri, pro rerum suarum recuperatione.

Quis est Scopus Actionis?

Est in possessionem pristinam restitutio, recuperataque

per

per officium Castrense possessione, res quoque omnes mobiles quas in fundo vel in domo ex quacunque causa, tunc cum dejceretur habuit, vel postea ex actione dejectionis ibi illi perierint, & omnes fructus quos dejectus percipere potuisset, si dejectus non esset, cum omnibus rebus ex quacunque causa ad se pertinentibus, Iudicio Terrestri recuperari possit. Przyl. fol. 14 Herb. 222. Hic autem damna generaliter taxari & æstimari solent, in citatione terrestri: alioquin si specificè essent posita, citatus propior esset ad euadendum, quod hanc vel illam rem non recepit. Quando verò generaliter damna taxantur, actor erit propior damna iuramento suo comprobare, si iuramento violentam expulsionem comprobauerit; aliter actio damnorum non datur, si videlicet actor non comprobata expulsione, ad possessionem bonorum peruenerit.

Quod si hæres obligatorium possessorem expulerit, & demum illum pro exemptione citauerit, vtrum per hoc expulsionis actio cessabit?

RESP. Quod non. Nam expulsus non tenetur ad exemptionem procedere, nisi prius in possessionem restitutus fuerit. itaque actionem expulsionis prosequi potest.

Si vero arendator expulsus ex arenda fuisset. finita arenda, vtrum ea actione agere potest?

RESP. Quod non. Licet adhuc durante arenda actionem instituerit, nam sublato titulo, actio desinit: nam huius actionis finis intromissio, quæ sublato titulo sequi non potest. Itaque arendator expulsus, instante tempore expirationis arendæ, melius citabit pro vadio, ad inscriptionem arendatoriam, siue pro damnis ad Iudicium Terrestre.

Probationes. Probatio violentæ expulsionis fit cum sex testibus: cum tot similiter euasio decerni solet. Antequā

tamen ad tale decretũ perueniat, necessitate exposcente, vel parte aliqua postulãte, debet Iudex ad bona illa controuersa descẽdere, & scrutiniũ seu inquisitionẽ de expulsione facere iuxta statut. Sigis. A. 1529 quod est reassumptũ Const. Anni 1588: Quæ inquisitio per solum Officium absque partibus propter Officij informationem esse debet. Et non ex speciali aliqua citatione expedire debet, sed ex controuersia partium in causa principali facta: vbi se neque citatus ad euasionem, neque actor ad probandum trahit, simpliciter reintromissio actori est decernenda. Si vero citatus negaret se expulisse, diceretque se nullum ius ad ea bona habuisse, nec habere velle, trahereque se ad euasionem; propior erit ad euadendum per talem exceptionem: quandoquidem simpliciter negat, & iuri renunciat, nec actori ius imminuit, aut de illo vllam controuersiam facit, nec illud produci ab actore petit. At si se ad euasionem non traxerit, sed simpliciter liber esse voluerit, & actor probare vellet: propior erit ad probandum Actor.

Si Domina aduitalitatis citat pro expulsione, vtrum est necessaria inquisitio seu scrutinium?

RESP. Quod non, Etenim hoc tantum in dubijs requiritur. At dum actrix monstrat reformationem, nullum esse dubium, vxorem in bonis mariti post mortem eius relinqui debere, & vsus bonorum non nisi post mortem mariti illi seruit, facileque posset iniuriam pati, si statim post mortem viri bonis priuaretur: nam illorum possessio non potest per inquisitionem demonstrari. Proinde nostra informatione dicitur restituendum post præstitum per eas iuramentum, est Decretum in Varsauiensi Conuentu Feria 6 post Iubilate Anni 1553. Simile decretum in Conuentu Cracouien. Sabbato ante Reminiscere Anni 1519. Quando verò citatus

tus producit iura sua, præsertim verò ab actore acquisita, aut aliquo modo prioritatem aut potioritatem iuris probat relationem Ministerialis de accepta possessione profert.

Quis erit ad iuramentum propior?

RESP. Quòd ad euadendum citatus simpliciter, tum liber esse non potest. Decretum in Conuentu Petricouiensi Feria 4. post Matthiæ Anno 1565. Item Feria 6. post Purificationis Anno 1551 post curiam.

Quando citatus non satisfacit dilationi, vtrum actor probare debet expulsionem?

RESP. Quod sic. Licet enim ius dicat, quod causam suam amittere debet, tamen hoc vtile est actori; & hoc propter damna, pro quibus nisi iurauerit, agere non potest Decretum in Conuentu Cracouiensi Sabbatho post Purificationis. Anno 1532.

Quando in solitum agunt, vtrum sex testes habere possunt?

RESP. Quod sic. Omnes enim pro vna reputantur persona.

Citatus conuictus de violenta expulsione, vtrum ius suum amittit?

RESP. Quod non. Nam in ea actione non iuris sed facti fit cognitio. Proinde, causa citato cum actore est reseruanda ad experiendum de iuribus in foro competenti. Decretum in Conuentu Cracouiensi Feria 4. post Epiphaniam, Anno 1530.

Quando actor nullum titulum probat, tunc citatus liber absque iuramento est pronuntiandus, hæc enim actio absque titulo legitimo intentari non potest.

Quæritur si Domina reformatoria inscriberet alicui tantum summam ad tempus, quanta est in illius reformatione: in-

terea autem obligat alicui rotam ſuam reformationem de facto, obligatoriuſque poſſeſſionem aſſecutus eſt; poſt modum verò ille creditor perductis ad inſcriptionem perlucris, in reformationem illam ſe intromittit nemine impugnante, & tandem obligatorius citaret hunc poſterius intromiſſum pro expulſione; cui incomberet poſſeſſionis probatio?

RESP. Quod citato. (Omnis enim qui agit pro expulſione debet habere iuſtum titulum) quia domina reformatoria onerata reformatione ſuo primo creditori, ſecundo nihil inſcribere potuit. Quod confirmari poteſt illa lege quæ docet inſcriptiones priores, potiores poſterioribus, licet quis expoſteriori inſcriptione poſſeſsionē aſſecutus fuerit Conſtit. 1565. Tit. O waznoſci zapiſow. Niſi eſſet triennalis poſſeſſor vt hæc Conſtitutio docet.

Proceſſus in ea actione eſt communis & in contumatiam quidem ſic proceditur. Terminus primus non eſt peremptorius. Obtinenda aſticio termini ſecundi & in vim lucri decernenda intromiſsio actori in bona expulſa; Miniſterialis cum Nobilibus addendus & vadium primarium de non præpedienda intromiſsione interponendum. Si intromiſsio denegaretur, citandus eſt reus ad ſatisfaciendum pro condemnatis in lucro, in quo termino ſi non comparet, obtinenda eſt aſtitio termini tertij concitatorij, vadiumque decernendum: Miniſterialis addendus ad intromiſsionem tam in vadio primario in bona propria citati quam in bona ex quibus eſt expulſus, vadijſque triplicata, vadio primo correſpondentia ſunt interponenda ob denegatam vtramq; intromiſſionem denegaret, citandus eſt ad videndum vadia triplicata ſuper eum interpoſita, ob non admiſſam vtramque intromiſsionem ſuper illo decerni & Officium ad rumandum deſcendere & ſe offerre debet.

Ex

Ex controuersia verò sic est procedendum, vt docet Stat. Sigismundi 1514. Fol. Constitutione 1588 reassumptum.

Si verò actori ex controuersia partium decreta est iuratoria comprobatio in futuris terminis aut in instanti; post eandem factam, decernenda est reintromissio in bono expulsa, vadium interponendum de non præpedienda siue impugnanda reintromissione: Terminus indefectu non admisse aut quouis modo præpeditæ in futuris assignandus. Hoc idem faciendum erit, si citatus euaderet curamente & liber pronunciaretur.

Quod si actor intromissus & vadio pacificatus expulsorem ob impedimentum tale quod fundum non tangeret citaret ad Officium Castrense, citatus libera foro erit. Nam pro iniuria coram Iudicio Terresti est agendum.

Suspensio donec de iuribus cognitum fuerit vtrum in ea actione locum habet?

RESP. Quod non. Facile at talem suspensionem procedendum est. Nam hic fit cognitio facti non iuris. Et nemo de possessione est deturbandus (licet malè possideat) nisi iure. Tum quia expulsus ante omnia est in possessionē restituendus. Si tamen possessio est incerta & dubia actoris, vel si conuicti possiderent, & titulus præterea dubius vel deterior citati: tunc hoc casu interueniente eiusmodi suspensio fieri posset. De quo Decretum S.R.M. Feria 6. post Matthæi Anno 1559.

Euasio in hac actione quid valet?

Liberum citatum ab actione violentæ expulsionis facit: nihilominus salua actio Actori de proprietate fundi remanet.

Dilationes conceduntur: vera infirmitate: Talis enim dilatio est peremptoria; & ad munimenta specificata iuxta statu-

statutum Sigismund 1563 Herb. 222. Pro maiori dilatione non conceditur nam in hac actione non ponitur taxa; similiter ad Euictorem: nam hæc actio est facti, non iuris, nec quis ratione facti alium defendere tenetur, nisi talem in termino statuisset, qui onus causæ in se susciperе vellet; non obmittitur tamen principalis quicquam in euictore defecerit: principalis tamen in ea actione facile inueniri potest, nam necesse est eum possidere & bonis occupatis disponere. Si tamen possessor pro principali in ea actione conuenitur, & ex munimentis constat de euictore: siue cum pupillus agit pro bonis per tutorem alienatis, dum ad annos peruenit; danda est citato pilatio ad conueniendum euictorem, non obmisso principali si quid in euictore defuerit. Decretum R. M. Varsauiæ Feria 3. post Oculi. Anno 1530.

Peremptorijs dillationibus quando citatus non satis facit in hac actione, vtrum debet Actor expulsionem iuramento comprobare.

RESP. Quod hoc est vtile Actori propter damna lucranda. Non comprobata enim expulsione iuramento, damna lucrari non poterit. Hac de re decretum in Conuentu Cracouiensi Sabbatho post Purificationem Anno 1532.

Præscriptio qualis in ea actione?

Præscriptio est duodecem septimanarum iuxta statutum Sigismundi Augusti Anni 1538. Herb. 222. Vbi expresse dicit quod intra mensem debet expulsus Officium Castrense adire & protestari, & inquisitio non debet esse longinquiori tempore, nisi quis ante mensem eorum bonorum fuit possessor. Si verò quis allegaret hoc statutum esse annuale & proinde sublatum: respondendum est quod est reassumptũ Constit. anni 1588. Quæ etiam si ad solam inquisitionem se extendere deberet, tamen inquisitio hoc in se habet, vt

dictum

dictum est. Hac enim de re decretum in Conuentu Cracouiensi Anno 1553.

Appellatio est admissibilis ad Iudicia Tribunalis Regni, quæ singulis ferijs quintis ex foorsiuo Regestro iudicari debet, iuxta Constitutionem 1611. Fol. 13. post factam tamen inquisitionem; vt instructa causa esset, & finem suum sortiri posset.

Citationis huius formam habes infra inter formulas Citationum, in qua citatione non est necesse poneret & ademptionem bonorum: est enim alterius generis hæc actio vt dictum est: alias diuersæ essent propositiones in citatione. Est Decretum in Conuentu Cracouiensi Feria 2. post Oculi Anno 1539.

MODVS PROCEDENDI IN Actione Inuasionis domus in Iudiciis Castrensibus.

Actio inuasionis domus quid est?

Est actio personalis, qua agimus contra illos qui pacem & tranquilitatem domesticam violauerunt.

Quæ requiruntur ad actionem?

Vt violentia nat in domo propria alicuius Nobilis. Inuasio enim domus committitur tantum in domos Nobilium non in domos Cmethonales & tabernas; nec in iugera & prata, licet sunt Nobilium in bona hæreditaria committi non potest. Lex etenim Ioannis Alberti fol. 124. Sic dicit:

Si quis intrans domum alicuius (quod vsus & praxis sic interpretata est) propriam, cuius praxis meminit Szczerb. Fol. 283, Incolæ Ducatus Mazouiæ habent specialem legem in suis exceptis Const. Fol. 173 quæ dicit quod is qui personã alicuius Nobilis in templo vel Cemiterio, vel in hospitio, in villa, vel ciuitate, vbi ipse personaliter esset, inuaderet, ac ipsum ibidem vulneraret, aut occideret aut verberaret, tanquam inuasor eius domus propriæ, conueniendus, iudicandus & puniendus est.

Hic quæritur. Vtrum in domo quam aliquis à Rege iure aduitalitio tenet, inuasio procedit?

Respondetur quod procedit. Proprietas enim hic non solum pro hæreditate siue dominio directè, sed etiam pro vsu fructu libero & dominio vtili accipitur, quod etiam intelligendum est de domo quam quis modo obligatorio possidet, aut arendatorio, in tali enim domo tanquam sua propria habitamus & actio expulsionis violentæ ex eiusmodi domibus nobis datur.

Requiritur. Vt ingressio fiat violenta, hoc est eo animo, vt ei Nobili qui in domo illa habitat aliquam violentiam ingressor faceret vade si in domum veniret, tanquam amicus aut hospes in domo illa sederet, commoraretur, & familiariter conuersaretur, deinde ex contentione aliqua ventum est ad arma & seditionem vulnera & necem, non posset talis homo actione violenta inuasionis domus conuenire. Quando quidem lex dicit. Si quis intrans domum alicuius, manu violenta: nam & intentio in omni facta spectanda; verum alia nempè vulnerum quod quidem augeret factum si in domo propria alicuius hæc essent: nisi essent præsumptiones & documenta vera, licet amicum se in prima instãtia ostendit, attamen eo animo & intentione, vt accepta occa-

occasione violentiam hospiti domus aut eius famulis inferat, intrasse, quod non ita difficilè cognoscitur.

Requiritur. Vt in illa inuasione hospitem aut vxorem, eius, vel filium vel familiarem interficiat, aut enormiter vulneret. Quoniam grauem pœnam lex quæque velit, cum ex leui occasione violationem securitatis domesticæ aliquis prætenderet, quod lex expresse dicit Fol. 124. & 222.

In exceptis Ducatus Mazowiæ hoc additur vt non solum occasio enormis vulneris, verum & verberum, ac etiam rapina rerum, efficiat causam & pariat inuasiones Constitut: Folio 123. Enorme autem vulnus dicitur, ex quo turpitudo corporis, ac etiam inualiditas sequitur alicuius membri.

Quod si inuasor aliquibus subtilibus tormentis aut aliqua insigni ignominia afficeret aliquem Nobilem in domo eius propria; vtrum daretur ei actio Inuasionis domus?

Respondetur quod sic. Sensus enim legis est iste, & ea mens vt Nobiles in domibus suis secure viuant, nec quis in domo alicuius audeat quicquam violenti intentare, & cum singulas species violentæ lex comprehendere non potuit; præcipuis & in Regno vsitatiores, posuit, videlicet necem, & enormem vulnerationem, ad quas duas species aliæ violentiæ referri possunt & connumerari, alias satis malè esset prospectum paci & tranquillitati domesticæ, quæ etiam per illas violentiæ species multo grauius possunt violari.

Forum quod? Iudicium Castrense. Articulus enim est inter quatuor, quos Capitanei iudicare debent, positus. Fol: 133. Lex quoque Ioannis Alberti de inuasione domus ostēdit forum huic actioni in Iudicio Castrensi. Fol. 124. 222.

Actor quis? Hospes siue possessor illius domus in quâ violentia facta aut successores minorennes hac actione agere possunt, & eius conuictionem facere.

Item respondetur quod conuictionem facere possunt in tali casu cum tutoribus. De hoc vide Decretum Petricou: inter Korzynski & Gawin post Trium Regum Anno 1579. Idem probatur Constitutione 1588.

Contra potest ratio esse. Quod tutores agere & conuictionem facere pro pupillis non possunt, quia iste conuenire debet, cui actio competit. Quia citatus probata innocentia pro pœna talionis agere potest, minorennes verò cum nec cõuicere nec causam promouere possunt, pro pœna talionis conueniri non potuerunt. Ad has rationes decretum inter Korzynski & Gawin potest allegari vt supra. Demum quoad conuictionem: rectè tutores pro pupillis conuincere possunt. Nam actio pupillis cum tutoribus competit, & conuictio suspendi potest, ad annos successorum vt in Constitutione 88: continetur. Quod verò ad pœnam talionis attinet, citatus innocentia declarata minorennes cum tutoribus conuenire poterit. Ergo talio non prohibetur, & decretum inter Gawin firmiter statutum.

Si hospes domus tunc dum inuasio in domum eius facta est, non sit in domo præsens pro inuasione domus an agere potest?

RESP. Quod sic. Nam lex dicit, quod securitas domestica non solum in persona hospitis, sed etiam vxoris ipsius filij aut familiarijs notari potest, sub qua comprehendũtur omnes aliæ personæ quæcunque in domo illis continentur, vt patet in exceptis Mazouiæ Const. 173.

Vxor habens maritum vtrum potest pro principali in hac actione conueniri?

RESP. Potest. Decretum S. R. M. inter Sirakowska & Bogucka Feria 5. post Iudica 1557. quod tamen citius procedet æstimo, cum maritus dignoscitur esse ab ea alienus &

pro

pro complice non ponitur, citandus est iste, & eius complices qui inuadit domum alterius & securitatem domesticam violat.

Quæritur si Dominus citatur pro inuasione domus facta per seruos, vtrum respondere tenetur?

RESP. Quod non. Sed ex seruis tenetur administrare iustitiam?

Quæritur an Dominus pro administrãda iustitia ex eiumodi famulis est citandus; an verò pro inuasione domus per famulos ipsius facta?

RESP. Quod vtraque via citari potest, verum compendiosior & aptior via, qua Dominus citatur quod eius scitu, voluntate, & mandato, seruus ipsius domum inuasit. Lex enim dicit Si quis inculpatus fuerit. vide Herb. 222. Vnde colligitur mens legis quod Dominus culpari pro excessu serui potest. Idem colligitur ex alia lege. Si quispiam aliquem citauerit quia scitu voluntate mandatoq; suo per seruos iniuriam sibi intulerit. Herb. fol. 242 taliter citatus non alio modo à responsione liber esse poterit, nisi se iustitiam administrare cum suis seruis obtulerit. Si autem iustitiam administrare principaliter requisitus denegauerit ex hinc pro eo respondebit secundum iuris ordinem, hoc est, ita citandus & iudicandus erit quemadmodum ille citari & iudicari debuit. Herb. 222. Quod intelligendum est de famulo per Ministerialem & per duos nobiles apud Dominũ arestato

Si verò talis familiaris a fugerit, & arestatus non fuerit, Dominus suus pro ipso citatus non aliter se tali crimine purgabit, nisi iuramento per eum à cum duobus testibus simul præstito, quod videlicet nec suo scitu, neque mandato aut voluntate, crimen id est commissam, neque dedit occasionẽ fugiendi seruitori. Talis verò expurgatio pro seruo non a-

restato Domino non competit, nisi in his casibus: Quod attinet violentiam domus & personæ inuasionem, vel nobilis alicuius necem vel vulnerationem: Pro his verò quæ ad inuasionem non spectant, puta vulnerationem plebeij, frugũ demessionem, & similibus, seruus apud Dominum arestatur impossessionatus, possessionatus verò in foro fori conueniatur. Herb. 242.

Arestatio quomodo & vbi debet fieri?

RESP. Quod per Ministerialem & duos Nobiles, non autem apud alium nisi suum Dominum, videlicet si circa Dominum esset personaliter præuentus, & apud eum arestatus. non enim valet arestum quando non apparet seruus, hanc enim rem arestamus, quam videmus. Demum si in domo Domini sui attestatur, domino tunc longè absente, tale arestũ non valet, nam apud Dominum debet arestari; hic enim Dominus non posset retinere illum & fuga ipsius minimè reus esset, verum seruiet illi beneficiũ expurgationis, vt supra.

Si verò Dominus citatus est non facta arestatione serui Dominusque in termino offeret se iustitiam administrare, ius iustitiæ administrandæ terminus per Decretum præfigeretur, & ante illum terminum aufugeret famulus, an euasio Domino competeret, vel si pro seruo respondere teneretur?

RESP. Quod talis oblatio Domini iuridica valet pro aresto, arestum enim ad hoc est vtile, vt Dominus haberet notitiam excessus serui, deinde vt constaret, quia tunc temporis cum istam notitiam accepit Dominus, seruus fuit in ipsius potestate, & illum detinere potuit: Ex tali verò iuridica & officiosa submissione pro ipso respondere tenetur, nisi talis submissio per plenipotentem fieret citati, & citatus negaret se id plenipotenti suo commisisse, vel si condicio-

cionaliter citatus submissionem facere, hoc est, si illum dominus præueniet, vel si copiam illius habere potero, tunc euasio iuratoria competeret citato. Proinde submissionem huiusmodi causæ, sunt faciendæ. Quod enim semel placuit, amplius displicere nequit. Et in iure nihil frustra.

Quis est scopus huius actionis?

Pæna contra inuasorem & violatorem securitatis domesticæ lucrorum. Pro vulneribus enim & damnis circa inuasionem illatis in foro Terrestri seorsiuis actionibus est agendum. Pæna autem inuasionis domesticæ est priuatio vitæ. Si vero violator aufugerit, infamia, vt patet ex lege Alberti. Herb. Fol. 127. 222. In exceptis Mazouiæ currit & priuatio bonorum Const. Fol 173. Ex quibus bonis debet primo fieri satisfactio parti lesæ, reliquum ad fiscum S. R. M. pertinebit

Probatio qualis perscrutinium fieri debet?

Patet ex lege Ioannis Alberti Fol. 124. 222. & Const Fol. 140. In Palatinatu Mazouiæ secundum exceptionem illorũ fit per inquisitionem, hoc est, Capitaneus ex Officio suo debet mittere Ministerialem cum duobus Nobilibus ad videndum damnum & violentiam domesticam & ad inquirendum: Si inculpatus & actor, laborant publica infamia de accusato & patrato scelere. Hoc autem scrutinium & inquisitio debet fieri ante conuictionem vt patet in Const. Fol. 190. & in exceptis Mazouiæ Fol. 173. Nihil tamen refert si tam ante causam inceptam, quàm iam cæptam scrutinium & inquisitio expediatur, hoc est in initio causæ: si se aliquæ partium ad scrutinium vel inquisitionem traherent; debet illis dari dilatio ad deducendum scrutinium vel inquisitionẽ faciendam pro proximis terminis iudiciorum. Hæc autem scrutinia iuxta Const. 1588. fol. 33. fieri debent.

Si vero

Si vero Actor ante initium cauſæ ſcrutinium ſuum deduceret, citatus vero incæpta cauſa peteret dilationem ad ſcrutinium; vtrum conceſſibilis talis dilatio?

RESP. Quod ſic. Licetque Conſtitutio memorata doceat, quia in vno termino ambæ partes ſcrutinia ſua debent expedire, non trahendo ſe ad ſeorſiuã expeditionem illius, tamen hoc in cauſa principali non obſeruatur: nam ſemper ante conuictionem conceditur dilatio ad deducendum ſcrutinium parti potenti. Conſtitutio enim memorata præcipuè dicit, in ſcrutinijs cauſa necis, vbi debet celer fieri proclamatio, & conuictio, propter vindicandam pœnam publicam, ſeſſionem turricam, quod in hac actione non requiritur; tamen ad Conſtitutionem illam ſic vſus interpretatur, quod in cauſa necis ſi citatus ex ſeorſiua citatione deducit ſcrutinium ante terminum pro capite ſibi præfixum; tale ſcrutinium eſt inualidum & impugnari poteſt.

Hoc ſolum per ipſam Conſt. præcauendum, quia in termino reſponſionis pro capitæ, non poteſt ſe trahere ad deducendum ſcrutinium ex ſua ſeorſiua & ſpeciali citatione, ſed ex ſcrutinio Actoris parato iudicatur. Poſt eiuſmodi ſcrutinium vel inquiſitionem ſequitur conuictio aut euaſio. Conuictio autem fit cum ſex teſtibus Nobilibus bonæ famæ & poſſeſſionatis illius deſtrictus aut Palatinatus vbi crimen fuit patratum, ex decem octo teſtibus nominatis electis, vt patet ex ſtatuto Ioan. Alber. Fol. 222 124. Nominatim verò teſtes vt verbum ipſum declarat nihil aliud eſt, niſi quod nomina & cognomina illorum referre debet, pars conuincens ſeu euadens: Aduerſa verò ex nominatis teſtibus debet eligere ſex, cum quibus debet in proximis terminis iuramẽtum præſtare: pars illa teſtes nominans. Quod ſic fuiſſe pra-

practicatum decretis S. R. M. probari potest, inter Sirakowska & Bogucka. Sunt alia Decreta vbi loco nominationis, statuitio testium decernebatur, & ex statutis 18. electio sex testium fiebat, quod in decreto Gawin vt supra, forte ex ea ratione solet fieri, quando testes nominati parti aduersæ sunt incogniti. In exceptionibus verò Mazouiæ habetur, quod conuictio fit cum testibus integris, honestis, bonæ famæ. Vsus autem interpretur quod sex testes sunt adhibendi. Si verò decreta fuerit euasio citatio de crimine obiecto, periuramentum similiter cum tot testibus & taliter electis euadet. Si verò in termino non posset habere testes, non in euasione condemnandus est, sed actor ad probandum contra illum erit admittendus si videlicet non fuerit contumax. Est Decretum hac de re Tribunalis Regni Petricouiæ latum. Idque inhærendo huic legi: Quod nemo condemnandus est nisi iure victus aut confessus. Herb. Fol. 7. T. 4.

Quando citatus propior est ad euadendum?

Respondetur. Quando testes sunt ambigui non oculati, vulneraq; non enormia sunt subsecuta. Ius enim debet esse fauorabilius citato quàm vnum innocentem condemnare. Post conuictionem inuasionis, scrutatores non dentur, sed conuictus puniatur. Constitut. 1578. Fol. 190.

PROCESSVS.

Processus in ea actione talis obseruatur. In primo termino fit Contumacia, in secundo fit lucrum, in vim autem lucri decernitur pœna turris in instanti sub pœna infamiæ subeunda. Post citatur Reus ad satisfaciendum pro condemnatis. In eo termino seruiunt exceptiones, quæ contra lucrum infamiæ pugnant. Si verò in eo termino fuerit contumax, pœna infamiæ super ipso decernitur, & remittitur ad Capitaneos, sub quibus citatus iure præuentus fuerit.

Euasio verò in ea actione tollit causam inuasionis: nihilominus pro vulneribus & damnis remanet actio. Citatus tamen post euasionem obtentam non potest Actorem pro pœna talionis citare nam eo modo, neque citatus innocens neque Actor calumniator inuenitur.

Dilationes in ea actione conceduntur ad deducendum scrutinium & super veram infirmitatem; item ad munimenta causæ pertinentia specifica. Pro maiori non datur: nam actio non instituitur pro taxa, sed pro pœnis capitis, aut infamiæ. Ad euictorem non datur: etenim secundum legis præscriptum neminem in delecto vendicat locum nec liberat delinquentem inscio Actore: sed si habet Euictorem tenetur in termino illum statuere, tum liberabitur, qui Euictor onus causæ suscipere, & in instanti respondere tenetur, alioquin primus reus respondebit. Herb: Fol. 164. Pro inuasione etiam domestica inculpatus & citatus, tanquam pro vulneribus cuilibet, potest suspensionem petere actionis ciuilis ad decimam criminalis.

Præscriptio tanquam recentis criminis. Articuli enim Castrenses sunt recentis criminis. Huius autem præscriptionis est annus & sex hebdomadæ Herb. Fol. 601. 220. alioquin iam non potest actio citata ad decernendas pœnas legum dari; aliter si poneretur taxa, efficitur causa ciuilis & citatus erit propior ad euadendum. Nec Statuto Ioannis Alberti in tali casu subiacebit.

MODVS PROCEDENDI IN ACTIONE DISPERCVSSIONIS STRATÆ

Publicæ, seu spolij in via publica cõmissi in Iudicijs Castren.

Actio dispercussionis stratæ publicæ, seu spolij in via publica commissi quid est? Est

Est actio personalis qua conueniuntur ij, qui in via publica mercatotibus vim inferunt. Herb. Fol. 55. 393.

Addit in via publica: alia enim ratio est violentiarum in domo, aut alio loco commissarum. Addit Mercatoribus: quia in hac actione spectatur ablatio rerum violenta. Quoniam vero mercatores vijs publicis vehere solent, ita hac lege eis potissimum prouisum est. Dispercussio etiam viæ liberæ tam Nobilium quam mercatorum ex sola vulneratione censeri non potest; sed dispercussio stratæ intelligitur cum quis vulneratur & deprædatur.

Requisita actionis?

Vt id fiat animo prædæ seu spolij, & violenta rerum receptio sequatur, siue subsequentibus violationibus siue non. Quod colligitur ex verbis legis quæ dicit. Capitaneus ipse de prædatione stratæ. Herb. 59. 33. pro dispercussione viæ Regiæ vbi mercatoribus violentia infertur. Ibidem appellatur hoc crimen spolium stratæ publicæ Herb. 114. Si itaque nobis obsideret viam aliquis eo animo, vt alium vita priuaret, & in illa obsessione aliquid raperetur: non posset hæc actio dari. Nam est alia lex de obsessione viæ Herb. 465. 108. Vel si nomine thelonei vel damni dari, aut aliquo prętextu, mercatoribus res receperit, est alia via agendi eo nomine Const. 1589. Fol. 26. expresse docet, quæ est diuersa à præsenti, nam ciuiliter instituitur hæc vero criminaliter.

Requisita actionis?

Requiritur vt hæc fieret in strata publica seu in via Regia, quod manifestè ex legibus apparet 59. 33. hoc idem intelligendum est, si id in diuersorio fierat, aut in foro vel in statione, tum in villa quam in ciuitate, hæc enim omnia loca nomine stratæ publicæ & viæ Regis intelliguntur.

Forum, Iudicium Castrense, hæc enim actio est articulorum Castrensium. Herb. 59. 33.

Actor. Mercator siue iste cuius merces fuerint siue sit ipse præsens, siue id vehat per vectores ac famulos suos: vectoribus autem ac famulis datur actio vulnerum ac damnorum. Et enim præda in mercibus potest committi, alias satis esset, male prouisum mercatoribus qui rarissimè solent esse circa vecturas.

Vtrum Nobilibus personis hæc actio seruit?

RESP. Quod sic. Si merces aliquas pro necessitate sua, siue etiam causa lucri veheret, & aliquis violentiam inferret, eas rapiendo. Si enim mercatoribus personis plebeius securitas cauetur multo magis nobilibus causa esse debet.

Citandus quis? Iste qui violentiam intulit cum complicibus: potest etiam Dominus citari & delicto seruorum hoc modo quemadmodum dictum est in inuasione; tam enim per se quam per subordinatas personas crimen hoc potest committi. Lex verò dicit. Quia illi qui furibus & prædonibus patrocinantur, eadem pœna nempè infamiæ sunt puniendi Herb. 189. 209. Itaque necessario se de tali crimine expurgare tenebuntur.

Quis est scopus huius actionis?

Vt pœnæ legum contra eos extendantur. Pœna autem est hæc, quod raptores seu viarum publicarum violatores & dispercussores manifeste in ipso crimine rapti, & detenti tanquam in recenti crimine & tanquam ij quibus patrociniũ legum non seruit, capite puniendi, Her. fol. 187. 184. Lege. Quomodo fures. Idem patet ex lege Iagielonis de captiuatione Nobilis qui in furto vel publico maleficio fuerit comprehensus. Herb. 187. 133. Idem probari potest non solum ex legibus, sed etiam ex Chronicis nostris & decretis in similibus prolatis: nec non ex bonis illorum sunt confiscanda, Herb. 109. Sic furti accusatus.

Proba-

Probationes. Probatio in tali actione nulla conuenientior & certior quam per scrutinium & testes quod si citatus negaret factum; euasio debet esse cum sex testibus probatur id ex lege quæ dicit. Quod spolij accusatus æquali ordine & grauitate & testium numero, ac si Nobilitatem esset probaturus, suam innocentiã probabit Nobilitas verò probatur cum sex testibus, vt in actione Nobilitatis probandæ apparet. Herb. 167. 187.

De expurgatione vero citationum hæ sunt leges prolatæ. Vir Nobilis de quo nulla quæstio prius mota fuit, accusatus de furti vel latrocinij crimine, propter bonam præsumptionem apud vicinos de ipso habitam: proprij iuramenti præstatione à tali accusatione se expurgabat. Herb. 186. 103. Quoniam verò ex tam facili purgatione vitia crescebant, & quisque bonæ famæ criminibus obiectis per iuramentum proprium liber esse voluit: propterea talis quilibet cuiusuis conditionis existat, notatus de furto vel spolio, tenetur suã innocentiam æquali ordine vel grauitate & testium numero ac si Nobilitatem esset probaturus, purgare. Herb. 182. 104. Quia verò alij in spem euasionis à talibus criminibus non abstinerent, eadem lege est prouisum, quod illi seruit euasionis beneficium qui tribus vicibus hoc nomine accusatus, notatus vel inculpatus, de furto, vel spolio, licet rem ablatam restituerit, hoc est, licet eum actor vita donaret; tamen debet esse infamis perpetuo. Herb. 183. 103. Titulo Furti vel spolij. Hæc vero sex intelligitur, non quod non deberet prima vice conuictus quando rem non restituerit, & ab Actore liberaretur, tamen infamis remanebit. Qui vero ter essent in regestris maleficiorum descripti, lex præcipit tales vti malæ famæ, absque iuris processu, capi detinerique Her. 168. Quæ lex per Sigismundum Regem est ad biennium

prorogatu, postea ad quinque annos. Quoniam vero non est hæc lex cassata, nec in locum eius alia successit. Sczerbicz in suo Promptuario dicit vsu esse retentam, Folio 304. Hoc idem Przylusius circa hanc legem in marginibus Fol. 164. Si vero citatus in parte agnoscat, & in parte neget, Propior actor erit eum conuincere. Herb. 104.

Quæritur. Vtrum citatus pro spolio purgare sese debet cum testibus, qui essent de ipsius Genealogia seu sanguine cum hoc dicit lex. Quod facere debet cum ea grauitate ac ordine ac si Nobilitatem esset probaturus?

Respondetur. Quod hoc non requiritur in ea actione sed hoc refertur ad id, vt hoc cum hominibus bonæ famæ Nobilibus, & in illo Palatinatu possessionatis; nam se magis suspectum redderet; cum consanguinei, non admittantur nisi in certis casibus, ad testimonium.

Processus. Processus talis obseruandus, qualis in quatuor articulis. Dilationes concedi possunt de iure concessibiles vera infirmitate, ad munimenta specificata; ad cautelam nisi eum in termino statueret, non datur.

Præscriptio. Sicut aliorum Articulorum Castrensium Herb. 226.

Apellatio. Ad iudicium Tribunale concessibilis.

Citatio. Ad pœnas legum extendendas.

INCENDIVM ET IMMISSIO IGNIS.

Actio incendii quid est?

Quando aliquis domum alicuius, & quæuis alia bona voluntariè incendit, & exurit. Herb. 203. 113. Re-

Requisita actionis. Vt id fiat animo nocendi malo voluntariè, hoc enim verbum expresse in lege positum est. Her. 203. 113.

Licet verò ea quæ casu fortuito fiunt, & non à proposito nocendi proficiscuntur, præceptis remittuntur: sunt tamen quædam præcepta quæ vindicari inter est Reipūb. quod est de crimine incendij intelligendum, ne scilicet quis vel spe impunitum malitia, vel in enarrandis rebus suis, lata culpa tantum peccet, vt etiam vno momento ciuitates integras in cineres redigat, camposque quod de crimine causalis homicidij aut quod maius est, in defensione vitæ facti, in legibus nostris expresse habemus. Quod videlicet dimidium pretij capitis talis soluere debet absque turri. Herb. 194. 108.

Forum. Iudicium Castrense iste enim articulus est ex quatuor articulis Castrensibus. Herb. 33. Si vero plebeius fuerit; vel in ciuitate vel in villa sub iure Theutonico locatus residebit: de hoc iustitia ministrabitur Polonico iure coram Iudicio competenti: videlicet ciues debet locare personas tres, Iudicem, Subiudicem, Notarium qui causam audire & iudicare debent, à quibus apellatio fit ad Tribunal. Talis enim vsus est quando in ciuitate ius Polonicum locatur. Cuius Praxis Przyl. meminit in margine circa legem de incendiarijs Fol. 116.

Actor. Iste qui damnum patitur siue illius successores: tandem incensor cum complicibus, dominusque pro excessu serui, ita se iustificat, sicut in euasione domus superius dictum est.

Quis scopus huius actionis?

Pœna consequens super incensore voluntario: pœna vero priuatio vitæ siue mors crudelis. Hoc enim colligitur ex lege Imperiali, quod incendiarij domorum & aliorum quorum

uis

uis bonorum voluntarij, morte crudeli puniuntur. Hic enim est sensus huius legis, vt pœna ad normam legum Imperialium constitueretur. Sczerbic in Prompt. fol. 113. Si verò citatus non comparet: in pœna infamiæ condemnatur, vbi enim contra præsentem ex lege procedit pœna capitis; ibidem contra absentem pœna infamiæ vt in inuasione domus. Et hoc propterea vt possit capi & plecti capite, cum pœna capitis non sequitur sed damnorum recompensa, vt patet in Const. 1588. Fol. 37. *O imaniu wygnancow y wywolancow.* Idem colligitur ex ea lege vbi dicit.

Si qui boreas siue siluas incendunt, iure Polonico sicut incendiarij debent iudicari.

Tamen cauet, quod hoc illorum honori non debet derogari. Vnde colligitur, quod incendiarij honore priuantur. Hæc tamen pœna non nisi super voluntarios exultores debet extendi vt ex lege clarè constat. Si quis verò illi actionē intentare vellet, quod ex negligentia, & quadam lata culpa, per incendium damnum intulit: non potest illi talem actionem intentare, verum pro damnis eo nomine illatis in foro Terrestri cum illo agere debet. Nemo enim pœna capitis propter errorem vel negligentiam priuatur sed tantum ad recompensam damnorum tenetur, si videlicet sub sit lata culpa, & multò magis si ratione indemnitatis, cautionem præstiterit, de quo vide leges Imperiales latiùs Przyl. in præfatio: fol. 541. Przyl.

Probatio in hac actione vt in criminalibus & facti actionibus. Probatio nulla certior est, quam per scrutinia, ex quo & aliis documentis iudex discernere debet: Vtrum actori conuictio an Reo cum sex testibus euasio sit decernenda, meminit in lege de incendijs. Fol. 216.

Processus. Si citatus comparet post conuictionem, mor-

te puniendus: Si non comparet, ita proceditur vt in inuasione domus.

Dilationes. Præscriptio. Appellatio ita procedunt vt in inuasione.

Citatio ad decernendas pœnas legum, contra eiusmodi criminum patratores sancitas; est scribenda, quam habes infra inter formulas Citationum.

MODVS PROCEDENDI IN ACTIONE OPPRESSIONIS MVLIERIS in Iudicijs Castrensibus.

Actio oppresionis mulieris quid est?

Est actio personalis & criminalis qua agimus contra eum qui virginem, viduam, aut coniugatam, in sylua, campo, domo aut vbicunque vitiarit, & opprimendo vim fecit. Herb. 60. 40.

Requisita actionis?

1. Vt virgo seu mulier euadens violentiam oppressionis, ad villam veniens, seu in villa existens, intra triduum ad villanos clamaret, plorando, narrandoq; violentiam sibi illatam. Herb. ibidem.

2. Vt signa oppressoris in ea appareant manifesta,

3. Vt rectius clamorem villani protestentur. Ibidem.

Forum. Ad Iudicium Castrense. Iste enim articulus est inter quatuor quos Capitaneus iudicare debet, connumeratus. Herb. Fol. 54. 33,

Actor quis? Respond. Eadem fœmina violata vel eius successores, iniuriatus enim pro iniuria agit; tum ex lege

ipsa apparet quæ dicit. Si virgo de oppressione aliquem accusarit calumnioſe, Herb. Fol. 60. 33.

Citandus quis? Respondetur. Qui violentiam intulit, & oppressit mulierem, & eius complices. Potest hæc actio dari etiam Domino, si per seruos crimen eiusmodi patratum in persona Nobili esset, ex mandato Domini, ex qua actione non aliter se Dominus expurgabit, nisi eo modo sicut in inuasione domus. Herb Fol. 242.

Quis scopus huius actionis?

Pœnam contra violatores seu stupratores lucrandi. Pœna autem in ea actione est arbitraria, vel in gratia Regis & amicorum expressa; talis reus consistit. Herb. Fol. 60. 242. qui post conuictionem per Actricem factam, detinendus erit per Capitaneum ad informationem Regiam, qui videlicet iureuictus capi & detineri potest. Herb. Fol. 163 44.

Qualis probatio?

Probatur hoc scelus siue actio per clamorem quem virgo oppressa facit intra triduum ad villanos aut alios homines. Probatur signis violentis. manifestis, quæ plerumque fœminis ostēduntur, & demum per eas referuntur. His vero præcedentibus ipsa admittetur ad conuictionem iuratoriam cū sex testibus. Hinc apparet quod omnes conuictio in criminalibus fit cum tot testibus, quot vsus & Praxis tam in Criminalibus quam & alijs obtinuit, vt videre est ex lege de inuasione Fol 222. 242. Nam hæc lex hoc habet, quod inculpatus, videlicet vbi talia documenta & probationes suprædictæ non sunt; euadere debet cum sex testibus; Ergo è contra tot eum debent conuincere.

Processus. Si proceditur per controuersiam & citatus criminis conuincendus, nec appellat, nec capitur, in turri detinetur vsque ad informationem S. R. M. iuxta statutum de

iure

iure victis. Fol. 359. 36. 402. 262. Si verò processus per Contumaciam obtinetur in primis fit Contumacia, tandem lucrum, & in vim lucri decernitur pœna legum, sub pœna bannitionis subeunda in instanti. Deinde concitandus ad satisfaciendum illi pœnæ. Et si comparet seruit illi defensio, in termino concitatorio solita. Si verò conuincitur, fit in instanti exequutio. Quod si neque in termino concitatorio sistit se, neque mox; Iudex in pœna bannitionis condemnat & remittit ad loci Capitaneum pro exequutione. Huius Praxis meminit Przyl. 228. Quod autem bannitio & non infamia est decernenda; ideo, quia talis iureuictus consistit in gratia Regis. & amicorum: Capitaneusque nullus, potest eum vita priuare absque informatione, iuxta statutum fol. 292.

Infames autem sine mora sunt captiuandi & capite plectendi in instanti sub pœna 300. Marcarum iuxta Constit. fol. 31.

Dilationes. Potest in hac actione cõcedi dilatio ad scrutinium, si eam citatus postulauerit ad proximos terminos. Nemini enim sunt denegandæ probationes & demonstrationes: potest enim citatus docere, quod in alio loco distanti tunc temporis fuit. Ad munimenta specificata datur etiam dilatio, quibus velit ostendere quietationem de facto; & talia debent specificari. Pto maiori non quia pœnalis non pecuniaria actio. Ad euictorem non, nisi sistat eum in termino.

Præscriptio. Annus & sex septimanæ; quæ recentis criminis est. Fol. 61. 220.

Appellatio. Ad Tribunal Regni est admittenda.

Citatio. Ad extendendas pœnas legum.

MODVS PROCEDENDI IN EXEMPTIONE BONORVM NOBILIVM coram Iudicio Terrestri.

Actio exemptionis bonorum Nobilium quid est?

Est actio personalis qua bona Nobilium de manibus eorum apud quos erant quoquomodo obligata eximuntur. Nobilium verò propterea hoc est appositum, quia bonorũ Regalium alicui in ius aduitalitium concessorum, alia est ratio eximendi.

Quæ bona sunt in exemptione?

1. Bona vendita à proximioribus iure propinquitatis redimi possunt; de hoc citatio infra inter formulas citationũ.

2. Bona ad certum tempus coram actis quibuscunq; authenticis in certa pecuniæ summa obligata: quod ex natura inscriptionis obligatoriæ patet.

3. Bona in vim reemptionis inscripta.

4. Bona in dote data vel inscripta.

5. Bona ex decreto Iudicij in perlucris iureuictori tradita, quod patet ex Constit. Anni 1588. Folio 30.

6. Bona reformationi subiecta dominę secundo nubentis: Herb. 32. Non solum vero successores mariti eam exemendi faeultatem habent, sed etiam creditor. Const. 1588 Fol. 11.

7. Bona eadem domina mortua quando non habet liberos: quod similiter, tam de successoribus, quam de creditoribus mariti est intelligendum, iuxta Constit. suprascriptam.

8. Bo-

8. Bona reformationi subiecta, si domina reformatoria de reformatione alicui cesserit: mutatur enim ius reformatorium, in obligatorium.

Bona verò sic inscripta (quod extante vita obligatoris, redimi non possunt) post mortem verò eius, non nisi proles masculina ex lumbis eius non extiterit: licet filiæ existunt, tamen in exemptibilia intelliguntur. De quo est Decretum Iudicij Tribunalis. Non enim talis inscriptio pro exhæreditatione censetur, nec pro testamento, quãdo possessio bonorũ est cõsecuta inscriptionẽ. Similiter clausula lapsus in defecta exẽptionis pro tẽpore assignato, facit bona inexẽptibilia.

Quæ sunt requisita huius actionis?

Respondetur. Pro diuersitate bonorum exemptioni obnoxiorum diuersæ conditiones requiruntur. Et enim in exemptione eorum bonorum quæ per inscriptionem in certa summa ad tempus sunt obligata: similiter & quæ in vim reemptionis sunt inscripta: conditiones in inscriptionibus appositæ, sunt attendendæ: in venditis verò bonis vt sit mera & pura venditio: bona enim donata & commutata iure propinquitatis redimi non possunt. De hoc Przyl. in annotationibus marginalibus. Folio 619. & maximè tempus ad locus exemptionis. In alijs verò bonis vt sunt inexemptibilia eo vt supra scriptum est modo.

Forum. Species huius actionis omnes pertinere possunt ad Iudicium Terrestre: cui enim actioni ex lege non est forũ specifice assignatũ, hæc ad Terrestre Iudiciũ tanquam forum generale spectat. Hoc enim Iudicium, omnes etiam maximas causas iudicandi habet potestatem. Herb. 128. Verum quædam ex ijs habent speciale suum forum, nempe coram Notario & Camerarijs in positione actorum Terrestrium. Hæ autem sunt duæ, vna bonorum inscriptione ad certum

tempus obligatorum Herb. 92. & 269. altera bonorum reformatione oneratorum quando domina reformatoria trãsit ad secundas nuptias. Herb. 82.

In maiori verò Polonia redemptio bonorum obligatorum coram Officio vel Iudicio Castrensi, fit. Herb. 173. Aliæ verò huius actionis omnes species ad Iudicium Terrestre pertinent, nisi aliqua inscriptione forum sibi quis constituat.

Actor quis? Is qui bona obligauit seu illius successores, generaliter verò hæres siue hæredes bonorum. Ad quem enim hæreditas & successio spectat, ei etiam illius exemptio competit, quod intelligitur de hærede tam iuris naturalis quam quæsiti, & de creditoribus qui etiam successores ex obligatione fieri possunt vt patet ex Const. 1598. In redemptione verò bonorum, ius propinquitatis sic intelligunt practici, quod non successores lineæ descendentis, sed qui repræsentant personam venditoris, & qui ad euictionem tenetur, habet ius exemptionis: eo quod voluntatem antecessoris sui infringere non potest, verum collaterales propinqui; qui non succedunt in bona venditoris non tenentur & ad euictionem. Cuius fortè rei ista documenta habent, qui in citatione pro tali exemptione in statuto posita, expresse ponit fratrem & paternum aliumue propinquum: filij autẽ aut nepotes ex filio, qui cohæredes proprij, siue sui potiùs quàm propinqui vocantur, nullam facit mentionem. Id, reperies in lege de præscriptione istius iuris, Herb. 188. Hoc confirmari potest decreto R. Maiestatis in Conuentu prolato inter Zophiam Pocimowska & Nicolaum Brzostowski, qui prædictus Brzostowski pro exemptione bonorum certorum per parentem eius Baltasarum Chocimowski illi venditorum ad Iudicium Terrestre Sendomirienſe adcitauit, habens

bens etiam & hoc remedium, quod Pater ipsius cum vendi-tionem faciebat, fuit bannitione innodatus. In qua causa citatus postulauit sibi dilationem concedi ad euictorem, quæ dilatio ex eo quod inscriptio impugnabatur non erat illi concessa: à quo decreto erat appellatũ ad Iudicia generalia Tribunalis Regni, ex ijsdem Iudicis causa hęc tãquam de nouo emergens, erat ad Conuentum Regni remissa. In Conuentu verò generali Varsauiensi Anno 1589 tale Decretum est prolatum. S. R. M. eo attento quod pater eiusdem Actricis præfatus olim Balthasar Chocimowski fuerat bannitus & proscriptus; proinde in vim legis tanquam de nouo emergenti decernere dignata est præsentibusque decernit, actricem eandem causam contra citatum promouere, & bannitionem patris sui, ad recuperanda bona præfata assumere non posse: ab eademque incompetentia actionis citatum liberum & absolutum, & ab impetitione totius huiusmodi causæ perpetuè fecit & pronunciauit. Quod decretum est ad acta Tribunalis Regnis Lublinensis per oblatata ingrossarum, feria sexta ipso die festi diuisionis SS. Apostolorum 1599, Post tale decretum adcitauit nepos & hæres memorati Chocimowski frater verò patruelis Zophiæ prioris actricis successores memorati Brzostowski pro exẽptione eorum bonorum iure propinquitatis ad Iudicium Terrestre Sendomirienſe, vbi pars citata in competentiam actoratus obijciebat ex eo, quia propinquiores nempe filia Baltasaris Chocimowski, bona ijs adiudicata à contrario obligarunt. Quoniam ius retractus non lineæ descendenti sed collateralium seruit, ex his rationibus Iudicium illud, Actorem competentem adinuenit.

Quod per appellationem ad Iudicium Tribunalis Regni est deuolutum in quo quidem Iudicio sententia illa terre-

stris

stris approbata, in vlteriori processu ex ea ratione. Quando quidem parens Actoris tanquam propinquior & ius habens præfati retractus viuento olim Balthasaro Chocimowski parte, pro ea propinquitate non egit, imò præscripsit. filius autem ius potius habere non potest: Ideò decreuit vt citatus tanquam possessor, pro quo indubiis iudicatur, probet iuramento corporali cum sex testibus Nobilibus sibi similibus, quod præfatus Hieronymus Chocimowski post factam inscriptionem venditoriam præfatorum bonorum triennio vixit & trimestri, & ius retractus amisit. Remissio ad Iudicium Terrestre. Ex quibus quidem decretis hoc apparet. Quod filia in hac causa pro incompetenti actrice est inuenta, & nepos ex fratre pro legitimo Actore est iudicatus & patri ipsius Hieronymo, fratri verò prædict. Balthasarii ius, ad dictam propinquitatem seruire decreto Tribunalis Regni est adinuentum. Ius verò Imperiale de hoc casu habet legem quandam lex in lege. Lex quæ tutorum C. de administratione tutorum: vbi domus pupillaris vendi prohibetur &c. at posteriori lege in libro ff. de hoc videatur. Fol. 118. 212. Hoc tamen ius ad propinquiores spectat, quod (& ratio ipsa indicat) de lege Imperiali loco prænominato est correctum, ne homines cogantur aliquid facere inuiti, cum quilibet rerum suarum sit Dominus. Quod DD. limitarũt in his casibus. 1. Quando testator prohibuit alienationẽ extra proximos. 2. Nisi esset contraria lex in aliquo loco, vel consuetudo: 3. Nisi inter hæredes in diuisione aliter fit conuentum. Quod si duo se ad dicta bona traherent: prius & de iure actionis inter se experiri debuissent. De creditoribus vero idem tenendum: quod iste est actor legitimus huius actionis, cuius ius potius iudicatum fuerit, & cui possessio bonorum præ alijs decernitur.

Quando

Quando sunt plures hæredes ad exemptionem pertinentes, vtrum vnus pro suo interesse agere potest?

Potest. Nemo enim propter alium in sua hæreditate debet defraudari & nemo ex alterius culpa damnum sustinere debet. Quemadmodum ergo obligatorius possessor, partem summæ recipere tenetur, ita tantam hæreditatis partem ad illum spectantem mittere debet; quod diuisioni nihil nocebit, sed cum cohærede, etiam stante obligatione hæres illam perficere poterit.

Si vnus aut quidam ex successoribus integram summam reponere vellet, vtrum possessor teneatur accipere?

Tenetur. Nam hæres propior est bona paterna tenere, quàm extraneus, & quemadmodum vendita bona iure propinquitatis redimere potest, ita obligata eximere, propter vsum fructum, nisi alij cohæredes vna cum possessore id reuocare vellent: verum nomine omnium pro exemptione est agendum.

Minorennes possuntne agere?

Possunt cum tutoribus, id & de virginibus est intelligendum.

Domina aduitalitialis vel reformatoria vtrum potest citare pro exemptione bonorum mariti?

De Domina aduitalitiali sic est intelligendum, quia potest? Aduitalitas enim eius extendit sese etiam ad ius perpetuum mariti, quam super bonis obligatis retinet. Itaque tam ea bona quæ ante eius aduitalitatem sunt obligata, quam ea quæ postea, eximere poterit.

Quod aliter est sentiendum de exemptione bonorum à priuiguis quæ iure reformatoria matris suæ tenent, qui etiã ius hæreditarium ad talia bona habent; & id precauetur ne pueri minorennes summam perdant & ita hæreditate sua priuentur

uentur; per eiusmodi exceptionem suam. Praxis hæc est varians & in vtramque partem: item decreta Tribunalis.

Domina reformatoria verò si obligatio facta est ante eius reformationem non potest, nam eius reformatio ad alia bona sese non extendit: Si verò obligatio facta est potest eius reformationem super quam illa consensit, si vellet reformationem suam emundare, potest obligatorium possessorem eximere, vel ex sorte sua, vel ex integra, super quam obligatorius possessor medietatem iuris ad interesse mariti se referentis transfundere debebit. Quod & successores mariti ab illa & successoribus eius eximere poterint.

Si hæres obligato molendino alteri bona sua omnia resignauerit & nihilominus pro exemptione molendini possessorem citaret, vtrum respondere teneatur?

Tenetur. Si non est molendinum in resignatione specificatum ille qui emit solet, ne duo actores appareant. Si duo citant pro exemptione, debent primo inter se de iuris potioritate experiri.

Citatus quis? Possessor bonorum eximendorum iure exemptioni subiectarum, siue principalis siue iuris quæsitor.

Quando verò obligatorius Possessor alteri bona inuadiata obligat siue in eadem siue in minori summa: quis eorum est citandus?

Principalis obligatorius. Nam nemo alius de summa hæredem quietare potest, nisi cui inscriptio seruit. Nec non in vtiliter apponetur. Tum & aliis ius habere se putantibus, aliter quando de iure cessit.

Expulsus de possessione vtrum citare potest ad recipiendam summam stante actione expulsionis?

Non potest. Non tenetur enim summam recipere, donec prius ad possessionem peruenerit. Do-

Domina reformatoria aduitalitiali, succeſſoribuſque exiſtentibus quis eorum citari debet?

Omnes citari debent. Si enim reformationem habuerint, domina in medietate bonorum obligatorum, medietatem ſummæ accipiet. Si aduitalitatem ſuper bonis omnibus; totam dat fideiuſſoribus qui ſucceſſoribus cauerent, quia ad eos ſumma reuertetur.

Scopus actionis quis?

Vt bona quæ nobis iure hæreditario vel propinquitate, aut aliquo modo ex ſupraſcriptis pertinentia ipſi poſſideremus, ſummam autem in illis bonis legitimè inſcriptam reformemus & perſoluamus, vel ſi nulla ſumma legitimè inſcripta eſſe apparuerit, abſque repoſitione ſummæ poſſeſſionem bonorum per decretum apprehendamus. Proinde nulla taxa in citatione eſt ponenda, ne damna exinde ſequantur. Si vero actor ad rationem ſummæ in bonis obligatis aſſecuratæ, quietationem produxerit, ad reliquum tamen eiuſdem ſummæ perſoluendæ tenebitur.

Si moneta in obligatione ſpecificata fuerit & conditio apoſita, quod tali & non alia pecunia bona eximenda erunt, vtrum actor ad talem conditionem teneatur?

Si talis obligatio facta eſſet ante Statutum Caſimiri Tertij. Las. Fol. 87. tenetur.

Si in bonis obligatis per poſſeſſorem ſunt perlucra obtenta, debet eadem exemptor, vel iuridice refutare & annihilare, vel eadem circa exemptionem vna cum ſumma inſcripta perſoluere aliter non tenebitur poſſeſſor de poſſeſſione recedere.

Probationes in eis actionibus ſunt claræ. Nam plerumq; ex inſcriptionibus officioſis tales actiones fundamentum ſuum habent. Si verò citatus prætenderet ius perpetuum,

in eiusmodi bonis; debet docere de eo: quod si nulla documenta habet præter possessionem, & actor similiter nullo documento authentico, quod bona sunt in exemptione, probat; In tali casu semper est pro possessore decernendum. Herbor. 183.

Processus in ea actione præsertim verò in bonis ad certum tempus obligatis exemendis, est breuis. Nam terminus primus est peremptorius, in quo termino Iudex pecuniam non obstante renitentia citati ad se recipiet, & parti redimenti possessionem adiudicabit. Id fiet si pars citata non comparuerit. Herbor. 92.

In exemptione verò dominæ reformatoriæ secundò nubentis, terminus primus non est peremptorius, verumtamẽ in secundo similiter. Iudex procedere debebit, quod etiam in cæteris huius actionis speciebus est intelligẽdũ; in quibus Iudex pecuniam ad Cancellariam receptam, vel si de pecunia non constabit pro ea saluam actionem citato reseruat, possessionem actori adiudicabit, Ministerialem ad intromissionem cum Nobilibus addet, vadium primarium capitaneale 120. Marcarum interponet & in defectu non admissæ possessionis pro exequutione ad loci Capitaneũ remittet.

Euasio verò in eo processu tantum à termino citatum liberat, & non nisi in determinatione iudiciorum admittitur.

Dilationes nullæ conceduntur nisi ad munimenta, quibus citatus probare vellet ea bona esse inexemptibilia, quod illa lege probatur, quæ dicit: Non obstante renitentia citati, Iudex in primo termino pecuniam ad se recipiet, & possessionem Actori adiudicabit. Herbor. 92.

Quod Praxis sic obtinuit, vt etiam si citatus literas, vigore quarũ pecunia illi reponi deberet non haberet: nihilominus decernẽda erit possessio actori, & citato salua reseruãda actio

pro

pro summa post repositas literas. Durum enim esse videtur bona sua expectare, cum pecuniam paratus est creditor reponere. An verò id in omnibus speciebus exemptionis, procedat, dubito. Nam lex idem memorata, tantum de obligatis bonis ad certum tempus disponit: cui exemptio de manibus dominæ reformatoriæ secundo nubentis æquiparatur: At in alijs existimo dilationes peremptorias, videlicet pro maiori & vera Infirmitate locum habere, nec non ad Euictorem præsertim in exemptione bonorum iure propinquitatis.

Præscriptio. Obligatio bonorum, præscriptionem habet annorum 30 Herbor. 173. in qua præscriptione, minorennitas allegata, nihil valet.

Protestationes de exemptis bonis in vsu non sunt. Lex tamen ex parte de illis disponit, cui potius obtemperandum est, eaſdemque necessarias, vt patet ex decreto Regio in Vigilia Purificationis 1532.

Ius propinquitatis bonorum venditorum triennio & tribus mensibus euanescit Herb. 188. quod generaliter ad omnes personas sexus vtriusque refertur, nec minorennitate subleuatur, vt patet ex decreto in vigilia Purificationis Anno 1532. prolato,

Bona in vim reemptionis inscripta & in dote data vel obligata, nec non ea quæ ex decreto in perlucris traduntur, nullam habent præscriptionem, sed sunt semper exemptibilia iuxta Constitutionem 1588. folio 30.

Appellatio est in admissibilis, nisi hæreditas prætendatur, aut alia graui ex causa, quæ feria quinta ex seorsiuo Regestro est cognoscenda in Iudicio Tribunali, iuxta Constitutionem 1611. Fol. 13.

Citatio, est infra inter citationem formulas descripta.

MODVS PROCEDENDI IN ACTIONE PRO KMETHONE PROFVGO in Iudicijs Terreſtribus vel in poſitione actorum Terreſtrium.

Actio pro Kmethone ſeu ſubdito profugo quid eſt?

Eſt actio perſonalis, qua tepetimus Kmethones ſiue ſubditos noſtros, præter noſtram voluntatem ad alios Dominos profugos.

Kmetho autem à ſubdito differt eo. Quia Kmetho dicitur qui agrum colit & in agro ſedet, labores ſeptimanales domino præſtat, & cenſum ſoluit, hic fit natiuus ſiue per poſſeſſionem & præſcriptionem ius in eum acquiſiuerimus.

Subditus verò, Kmethonis filius, ſiue is qui in fundo alicuius domini natus eſt. Hortulanus dicitur qui in horto reſidet, & agrum ſub ſe non habet.

Inquilinus qui in certa parte agri aut domus ex conducto habitat: at iſti omnes comprehenduntur ſub nomine Kmethonis Przyl. in præfat. fol. 326. ad eoſque omnes hæc actio refertur Herb. 140. præter inquilinos qui non ſunt natiui, nec ſeſe vlla ſubiectione domino obſtrinxerunt, & qui ſine vlla iniuria in ciuitate reſidendi habent facultatem. Herbor. 141.

Quæ in ea actione requiruntur?

1. An ex cauſa legitima Kmetho ſeu ſubditus diſcedat. Cauſæ autem legitimæ ſunt: Si propter exceſſum domini deprædentur, ſiue pignorentur.

Si Do-

Si Dominus vxorem filiamue Kmethonis oppresserit.

Si Dominus excommunicationem propter suum delictum per annum sustinuerit, quibus causis interuenientibus, omnes tutò abire possunt. Herb. 141.

2. Vt sit missus iuxta consuetudinem terræ: de hac autem missione ex statutis Regni hoc dicitur; quia liberum erat antea Kmethonibus vni aut duobus vno anno de vna villa in aliam transire absque domini voluntate. De hoc disponit Statutum Casimiri Magni Herb. 141. per hunc Regem anno eodem, statutum quasi declaratiuum est latum vbi enumerat causas, propter quas à Dominis liberum est discedere, quibus non exstantibus ab hoc prohibentur, solum in necessitate Domina iuxta consuetudinem, domo tamen benè septa. Postea Ioannes Albertus de mittendis Kmethonibus consuetudinem cuiuslibet terræ seruandam constituit, & ad vnum tantum Kmethonem hanc libertatem restrinxit Herb. 142.

3. Vt Dominus post acceptam notitiam pro illo agat intra annum, alioquin præscribet Herb. 142.

4. Vt sit liberè missus à Domino per literas ipsius. Her. 143. Mitti autem vnum à patre permittat propter studia literarum, & artificia, præsertim si sint plures filij: aliter non. Quæ lex tempore Sigismundi dura visa est, & propterea ad futurum conuentum prorogata, quæ tamen non est correcta, ac propterea vigorem suum habere videtur. Vsus tamē obtinuit. Quia status religionis, siue spiritualis, & facultatis alicuius in literis professio, libertatem donat, quod etiā ex illa lege confirmatur, quæ DD. Plebeios ad Cathedrales Ecclesias suscipi permittit.

5. Si est iure Theutonico locatus & agros desertos relinquat, & alijs possessoribus eos non prouideat, noctuque

fugiat

fugiat Herb. 143. His namque ex lege permissum est hæreditatem vendere, & loco sui Kmethonem æquè diuitem locare, & agris hyemalibus & æstiualibus seminatis, agrum domino resignare & liberè recedere posse. Verum hoc rarissimè ius Theutonicum seruatur.

6. Ne subditus impossessionatus subditam alterius possessionatam, quæ videlicet per parentes suos absque fratribus, vel vidua post maritum sola remaneret, & rem familiarem administraret, vltrò non ex persuasione aliqua domini illius vxorem assumeret, tales enim non sunt extradendi. Herb. 143. Quod si Kmetho esset ipse apud Dominũ à quo profugit possessionatus, mea sententia vxor possessionem mariti sequi teneretur.

7. Vt Kmetho seu subditus sic detineatur, vt labores exerceat, & pro subdito à citate habeatur; alias pro incarceratione & in vinculis detentione Kmethonis alicuius, esset diuersa ratio, & si Kmetho ab eiusmodi vinculis liberatus est. non Dominus sed Kmetho ipse pro eiusmodi iniuria agere debet: Dominus verò pro damnis exinde sequutis.

Forum. Iudicium Terrestre siue actorum terrestrium positio. Herb. 144. aliæ leges quæ diuersa fora ostendunt sunt sublatæ.

Actor. Dominus Kmethonis siue sit hæres siue obligatorius possessor, siue domina aduitalitialis & dotalitialis, licet enim hi propter hæredem conueniri non possunt, attamen agere possunt, pro Kmethone profugo de tenuta sua. Amittere enim hæredi nihil ex illius hæreditate possunt. Et sic obtinuit Praxis. De arendatore aliter est intelligendum qui tantum nudum vsum fructum habet, non autem dominum, vnde vna cum hærede agere debet.

A contrario potest esse ratio pro arendatore etiam. Quia

quem-

quemadmodum adauitalitatis possessor aut quiuis alius de Kmethone profugo & possessione sua agere potest, ita & arendator, qui etiam iure suo licet ad tempus possidet; & quemadmodum pro expulsione, ita & pro Kmethone profugo agere est illi integrum: cum hærede enim agens, teneretur cum hærede iuramentum præstare, quod esset absurdum: tamen si hæres id facere nollet, non potest ipse iniuriam suam prosequi. quod esset iniquum, idque ex iudicio Iurisperitorum est. Duobus verò actoribus nemo pro Kmethone respondere tenetur, nisi prius de potioritate iuris inter se, in foro competenti experiantur. In bonis vero indiuisis, omnes hæredes pro Kmethone profugo agere debent etiam minoorennes cum assistentia tutorum. In bonis verò Regalibus Capitaneus siue Tenutarius pro Kmethone profugo agere debet, iuxta Constit. 1588. vbi Capitaneis & Tenutarijs data est facultas pro omnibus iniurijs, damnis, in fundo Regali illatis agendi & iuramentū tam pro suo quàm Regio nomine præstandi. Demum si ipsi conueniri pro Kmethone possunt, multo magis agere.

Citandus quis? Hæres, obligatorius verò possessor dominaque reformatoria & adauitalitialis cum hærede simul. Nam temporaneus possessor hæredi quicquam ex hereditate perdere non potest. Istius Praxis meminit Sczerbicz in suo promptuario Fol 165. Ciues R. Maiestatis pro extradēdo conciue sine assistentia Capitanei; Capitaneus siue Tenutarius bonorum Regalium pro Kmethone ad villas Regias profugo, spiritualis persona ad bona Ecclesiæ profugo; hi omnes iure Terrestri ad iudicium Terrestre sunt conuenienti, iuxta Statutum Casimiri tertij, in Nieszowa & Opoki Herbor. 149.

Scopus actionis? Vt Kmethonem & subditum nostrum

qui à nobis profugit, cum vxore, pueris, ac vniuersis rebus ipsius possessor nobis extraderet, siue ante decretum, siue pœna, siue post; cum pœna 53. Marcarum parti & Iudicio totidem. Herbor. 143.

Inde colligitur quod leges vel consuetudines, quæ vel de redimendis Kmethonibus, vel de substitutione locorum aliorum hominum sunt latæ & assumptæ, correctæ sunt, & abolitæ. Si vero eiusmodi subditus moriretur, tunc vxorem, pueros, ac res ipsius vniuersas citatus restituere vellet euadet pœnam, quod ex eadem lege colligere licet. Nam pœna propter temerarios est constituta. Si verò fugerit à citato lite pendente, super id citatus iurare tenebitur, & nihilominus decem marcas pro illo persoluere debebit. Est decretum Regiæ Maiestatis in conuentu Petricouiensi Anno 1559. id probari potest ex lege Sigismundi Anno 1423. de seruis illiberis quos illa lex seruare & de illis manifestationem in Castro facere præcipit: aliter soluere tales per eos qui aliter fecissent decernit. Herb. 243. Verum ego existimo quod solutio Kmethonis nunc non potest esse nisi triginta marcarum. Tanta enim est taxa capitis plebei iuxta Constitut. 1581. Decretum autem memoratū erat prolatum tunc quādo plebei decem marcis soluebantur. Et ista est mens decreti, vt subditus profugus, lite pendente tanta summa redimeretur, quanta pro illius capite occiso soluenda esset: quod intelligendum est, si solus Kmetho vel subditus relicta vxore, pueris, & rebus omnibus profugisset, illius enim capite persoluta reliqua sunt extradenda.

Si verò vnà cum vxore, pueris, itemq; rebus omnibus aufugisset?

Tunc citatus super id præstito iuramento, iuxta taxam actoris iuramento tamen comprobatam, soluere debuisset;

taxa

taxa autem non maior poni in citatione eiusmodi debet vltra 500. Marcas, sub nullitate actus Const. 1588. fol. 70.

Si verò quis restituerit subditum alterius non cum omnibus ipsius rebus?

Tenetur actor illum recipere, etiam si absque vxore & pueris restitueretur, hoc enim est principale in ea actione, vt Kmetho aut subditus noster nobis extraderetur. Quod ex forma citationis pro Kmethone profugo apparet. Herb. sub titulo citatio. Imo si ponit res ipsius tanquam principalem propositionem in citatione, inordinata citatio censenda est, & pro ijs rebus terminus non est peremptorius. Nam nemo potest pro aliena iniuria citare, & qui maritum extradit vxorem, & liberos non videtur retinere. Nam ij sequuntur virum & patrem. Pro rebus verò alijs retentis non domino, sed ipsi subdito agendum erit in Iudicio Terrestri. Quod si vxor & pueri essent recenti, pro vxore quidem maritus cum assistentia domini, pro liberis verò tanquam subditis in Iudicio Terrestri Dominus agere deberet. Nam actio prior ex traditione ipsius Kmethonis cessaret. Kmetho autem pro quibuscunque iniurijs suis cum assistentia Domini sui hæreditarij non tenutarij agere potest, præter actiones fundum tangentes quæ sunt istæ.

1. Agrorum occupatio.
2. Retium in flauio communi receptio.
3. Agrorum inunditio.
4. Syluarum, Gaiorum, Mellificiorum, excisio.
5. Limitium violatio.

Probatio. Si citatus iurare vult, quod illum citatio in bonis non præuenit, nec illum sub se habet, liber erit à citatione: integra tamen erit via actori repetendi eiusmodi subditi, siue apud eundem citatum ipsum, siue apud alium quempiam, postquam de illo resciuerit.

Actor verô pro varijs exemptionibus varias probationes iuratorias facere tenetur. Si enim illi hoc obijcitur quod præscripsit agere, tenebitur iurare, quod in prima notitia de illo habita intra annum non præscripsit agere, vel quod à posita citatione ante annum de illo nesciuit; quod idem est. Si illi hoc negatur quod nō sit eius hęreditarius siue proprius tenebitur similiter iuramētó cōprobare quod eius sit hęreditai⁹ siue proprius. Simili modo si illi hoc obijcitur quia eūdē suum subditū liberemisit; tenebitur iurare quod sine scitu & voluntate ipsius ab eo profugit, in summa actor contenta citationis probare tenetur iuramento. Si vero subditus dicit actori quia parens tuus ad artificia vel ad literarum studia me libere misit; mea sententia quod propior est iurare super hoc, tanquam is qui meliorem notitiam huius rei habet, quam actor illum conuicere deberet, nec illi hoc nocere poterit, quod literas missionis suæ non habet. Nam vt dictum est, lex Alberti Regis, quæ de literis eiusmodi disponit per Constitutionem Prælatorum Petriconiæ est correcta in eo. Quia requisitio tantum Domino & cum eius scitu id facere poterit. Quæ Constitutio per Sigismundum Regem est approbata Herb. 143. Si actor citato defert iuramentum, & dicit, probet citatus; quod ipsum citatio apud me non præuenit. Citatus tale iuramentum potest Actori deferre, nam si citatus hoc negat, actor tenetur id iuramento comprobare. Si non probat, videtur agnoscere maiorique iure, qui maiorem notitiam huius rei habet, probatio ad illū pertinet.

Si Dominus ante villæ resignationem liberum facit subditum, tamen resignationis Dominus citat pro illo subdito Citatus si se traxerit comprobabit iuramento ipsum subditū ante resignationem liberè esse à domino dimissum, nec cum resignatione in bonis pertinuisse. Iuramentum autem istud

sub-

citatus & non ille subditus debet præstare; sicut enim non subditus sed dominus est conueniendus, ita per directum citato, non subdito iuramentum ferrit.

Quando simpliciter negat Kmethonem sub se non habere, & ab illo recedit, eíque renunciat; ob id liber esse non potest, sed tenetur directè respondere, nempè iurare. Quia in bonis illius non est, nec illum citatio præuenit.

Quando actor allegat arestum & vult vt citatus iuraret, quia arestatum subditum præfatum profugum in bonis suis non præuenit: non tenetur citatus iurare sed tantum modo. Quia citatio prima eundem non præuenit in bonis ipsius. Arestationes enim Kmethonum sunt relaxatæ. Sigismundus Anno 1538. Herb. 145. non tamen penitus sunt abrogatæ.

Si citatus obijcit præscriptionem, propior erit actor comprobare. Si vero citatus Kmethonem suum esse proprium natiuum allegat, propior erit ad probandum; nam ius natiuũ est firmius, quàm possessione & præscriptione acquisitum, licet vterque ius natiuum prætendat. Citatus enim semper est euadere propior, & conditio possidentis semper est melior. Ego tamen existimo, qua si iuramentum eiusmodi decernendum esset citato; cum ista additione debet decerni vt iuraret, quia nunquam fuit in possessione actoris. Namlicet subditum suum quia apud alium inuenerit; tamen non est lege permissum illum posse inscio domino adducere, & ad se profugum recipere, sed iure pro illo agere.

Si citatus allegat, quod subditus actoris impossessionatus duxit subditam eius possessionatam, debet sic iurare. Quod talis Kmetho, propria voluntate, non in ssu meo ad me venit & duxit vxorẽ subditã meã possessionatã, quæ carens fratribus germanis, siue marito, sese sola gerebat in sua possessione.

Processus, in ea actione communis iuris Polonici, vbique

ac cum

ac cum omnibus personis obseruatur; nisi quod terminus primus est peremptorius, iuxta Statutum Ioannis Alberti Anno 1496. Herb. 144.

Vagi verò absque iuris strepitu ex ciuitatibus extradi debeat. Herb. 194. Extraditio Kmethonis ante decretum fit sine pœna, post cum pœna Herb. 143. Item extradito Kmethone solo, citatus debet liber pronunciari. Pro rebus enim ipsius, item vxore & liberis, si non restituerentur, alia erit ratio agendi, de quo supra.

Extradi autem debent post definitiuam sententiam in officio Castrensi proprij districtus, in sex septimanis sub taxa quæ iam erit interponenda: taxa verò in eiusmodi citationibus non debet poni vltra 500. Marcas, de quo Constitutio supra scripta. Si verò iuramentum decernitur, præfigendus est terminus pro futuris, vel futura actorum positione, si quis hoc præcustodierit. Jbidemque vlterius procedetur, prout causa expostulauerit. In contumaciam, similiter processus communis obseruatur,

Dilationes nullæ aliæ præter veram infirmitatem iuxta statutum Ioan. Alb. Anno 1406. Herb. 144 peremptorias tamen dilationes existimo procedere. Si enim adinscriptionem & in puncto bannitionis conceduntur, multò magis hic. Nam lex tantum de dilatoriis non de perimentibus intelligit.

Præscriptio. Quam diu domino de loco mansionis eius non constat Kmethoni nihil iuris accedit. Post acceptam notitiam Dominus agat intra annum alioquin præscribet, Herbor. 142.

Appellatio est admissibilis ad Tribunal Regni, nisi quod ab accessorio non datur.

Citatio. Forma citationis est infra inter formulas Ci-

tationum vbi id obseruandum, quod in ea citatione, vxor, pueri, reſque omnes aliæ, magis loco narrationis, quàm loco principalis propoſitionis ponuntur. Nam pro eiuſmodi rebus, iudicium ſolum Terreſtre, item terminus non peremptorius. Item domino directè agere non competit, ſed ſubdito & principali non lucrato pro conſequentibus illud principale agere non poteſt. Item hoc eſt obſeruandum. Quia taxa ſubiecti cum vxore pueris, & omni ſupellectili maior eſſe non poteſt præter 500. Marcas. Alias Citatio erit inordinata.

MODVS PROCEDENDI IN Cauſa & actione pro redimendis

bonis obligatis per contumaciam rei cauſa procedente.

Citatio ad iudicium poſitionis actorum pro redimendis bonis obligatis eas partes omnes continere debet, quas & Citatio ad iudicium Terreſtre pro iniuriis, excepta taxa, quæ non eſt ponenda.

Forma Citationis pro redimendis bonis obligatis.

Sigiſmundus III. Dei gratia REX Poloniæ &c. Tibi Nobili N. villæ N. tenutario. Mandamus vt coram iudicio Terreſtri in terminibus terreſtribus N. proximè celebrandis aut in poſitione Actorum eorundem terreſtrium quod horum prius, ab hinc celebrabitur, perſonaliter peremptorièque compareas. Ad inſtantiam Nobilis N. Qui te citat ad recipiendas pecunias, quas in bonis ipſius hæreditarijs, videlicet villa N. habere prætendis, inſcriptas, & ideò vt ſtes, & inſcriptiones tuas coram præfato. Iudicio oſtendas, pecunias ab ipſo Actore recepturus, ſibique tanquam hæredi

de-

de bonis ipsius præfatis, iudicialiter condescensuras. Datum

Si citatus ad recipiendas pecunias de bonis obligatis, in primo termino tanquam peremptorio, non comparuerit condemnabit ipsum Actor in lucro, per quam condemnationem lucrabitur hæreditatem obligatam, pecunia nihilominus citato reposita. Cas. Rex. Visl 1360. lege. Si quis aliquem citat. Hæc verba (pecunia nihilominus restituta) vsu magistro & ex altera lege proximè sequente interpretantur, coram Notario, & Camerarijs, iuxta tenorem inscriptionis in Cancellariam Terrestrem, pecunia reposita, ibidemque in eodem primo termino post factam condemnationem Reicitati in lucro per Actorem Notarius terrestris cum Camerario iuxta tenorem obligationis, receptis pecunijs ad Cancellariamque terrestrem repositis decernere debebit exemptionem, simulque exemptori possessionem assignare: addere Ministerialem Terrestrem ad intromittendum actorem eundem in bona antea obligata.

Si non admittetur intromissio, remittent Actorem ad loci Capitaneum pro exequutione decreti faciendi. Lex Ioan. Alberti Petricouiæ 1496 fol. 99 Lege statuimus.

De exceptionibus citati comparentis.

Citatus ad recipiendas pecunias potest vti exceptionibus si quas habeat declinatorijs fori, aut dilatorijs, atque temporalibus, vel (vt totum negocium redemptionis bonorum euadat) peremptoriis, quod videlicet non tenetur recipere pecunias & de bonis cedere, eo quod ipsa bona non subiaceant exemptioni, vel quod illa non in obligatione sed legitimè, libereque possidet, in quo quidem casu si literatoria & legitima testimonia, super huiusmodi possessionem non habuerit Actor, ex tunc incumbit probatio possessori actore repulso. Vlad sl lagiello Cracouiæ 1423 fol. 44 Lege, Ad præcludendum viam &c. Vel

Vel quod Actor à iure hæreditatis sic obligatæ ceciderit, ob non factam eorundem exemptionem intra decursum 30. annorum Lex Casimiri Magni Visl. lata 1363. Fol. 18. Lege. Si vero aliquis. Et Vladislaus Iagiello Cracoviæ 1423. Fol. 44. Lege. Quoniam omnis præscriptio.

Denique si ea bona de quorum exemptione instituta est Actio, iure hæreditario vel acquisitio possideat. Sciendum præterea. Quod si inter partes litigantes controuersia de validitate literarum interceſſerit: Notarius terrestris cum Camerarijs non debet agnoscere an validæ fuerint, nec ne, sed controuersiam eiusmodi ad integrum terrestre iudicium remittere.

Quod si citatus nullum remedium Iuris habeat; quo redemptionem bonorum elidat, tenetur coram notario & Camerarijs reponere inscriptiones suas obligatorias, vigore quarum & in quanta summa pecuniæ talia bona possidet. Actor autem redimens bona, pecunias coram eisdem reponere, quas decernunt accipiendas, & exemptionem faciendam. Si eximendus remittitur, procedendum est vt supra.

PROCESSVS.

Juris in materia exemptionem bonorum dotaliciorum de manibus viduæ secundo nuptæ in Contumaciam.

Qui te ex quo sedem vidualem per secundas nuptias violasti Citat. &c. cum præfato Nobili N. marito tuo & tutore coniugali, secundo ad recipiendas pecunias dotis & dotalitij, quas te immediatè omnium bonorum hæreditariorum & obligatorium mobilium & immobilium vbicunque consistentium, præfati olim Nobilis N. mariti prioris tui, patris vero ipsius Actoris super ipsum, post illum iure naturalis succeſſio-

cessionis deuoluta habere præterdis; per præfatum maritũ tuum priorem inscriptas & reformatas: Idcò vt compareas & litteras tuas reformatorias coram iudicio præfato ostẽdas, & pecunias à præfata parte te redimente in eisdem literis tuis reformatoriis per expressum contentas, recipias, datis eidem Actori certis pro te fideiussoribus bene possessionatis Nobilibus quod te defuncta dotale tuum alias *Przywianek* ad ipsum Actorem tanquam successorem iure successionis naturalis præfati olim primi mariti tui deuoluetur & reuertetur sibi tanquam hæredi de bonis præfatis ipsius condescendas. Iudicialiter sis condescensura Dat. &c.

Si citata in primo termino non comparuerit, contemnabit eam Actor in pœna contumaciæ: quam luet parti & iudicio Lex Sigismundi Petriconiæ lata 1578. Fol. 103 Lege. Cum primum mulier. Postea citabit eam secunda citatione ad proximos terminos terrestres, vel vlteriores, vel ad positionem Actorum primam vel vlteriorem, modo id fiat intra annum & sex septimanas. Alioquin amittet citationem. & tenebitur denuo citare. Ex consuetudine.

Forma Citationis secundæ.

Sigismundus III. Dei gratia Rex Poloniæ. &c. Tibi Generosæ N primarium nuptiarum olim Generosi N. secundarum autem nuptiarum Generosi N. consorti legitimæ, vna cum assistentia præfati mariti tui secundi vti tutoris coniugalis. Mandamus vt in terminis terrestribus N. aut in defectu terminorum eorundem terrestrium N. in positione actorum eorundem Iudiciaria proxima, proximè tunc N. celebrandis, coram Iudicio terrestri N. personaliter peremptorieque compareas. Ad instantiam Generosi N. filij Generosi olim N. mariti tui prioris, patris verò ipsius Actoris. Qui te vna cum assistentia mariti tui secundi suprascripti, ci-

tat

tat ſecundo, prout te in terminis terreſtribus N. proximè præteritis, in primo termino ex admiſsione Iudicij Terreſtris N. in pœna Contumaciæ iudicialiter condemnauit, iuxta ſuam citationem literalem terreſtrem N. qua te citauerat, in hæc verba. Inſeraturq́ue citatio incipiendo ab his verbis Qui te ex quo tu ſedem &c,

Si verò citata in ſecundo termino non comparuerit extunc Iudicium pecunijs ad redemptionem pertinentibus, iuxta inſcriptionis reformatoriæ continentiam receptis, in Cancellariamq́ue terreſtrem repoſitis, exemptionem decernere debet, ſimulq́ue poſſeſsionem bonorum Reformatorierum redemptori aſſignare & adiudicare, ad eamq́ue acceptandam Miniſterialem terreſtrem exemptori addere.

Quod ſi non fuerit admiſſa intromiſſio, remittet exemptorem ad loci Capitaneum pro exequutione, pecunias verò ad exemptionem pertinentes, iuxta tenorem reformatoriæ inſcriptionis in Cancellaria tam diu reſeruabit quouſque dominæ dotalitialis ad Iudicium veniens certos pro ſe fideiuſſores ſuper dotalicio ad propinquos primi mariti reuerēdo ſtatuerit, auiſādo ſuū illum redemptorē citatione ſua & euocando eum ad idē iudiciū ad leuādas pecunias dotis & dotalicij ſuorū prædictorū ad ſuſcipiēdūq; à ſe prefatos fideiuſſores Lex Sigiſ. Pætric. lata. 1523 Fol 53. Cum primū &c.

Forma eiuſmodi Citationis.

Qui te citat ad leuandas pecunias per ipſam dotis & dotalitij ſuorum, ſibi per Nobilem olim N. maritum ſuum priorem reformatas & inſcriptas, in medietate bonorum ſuorū omnium mobilium & immobilium, ac iam tandem per te ex decreto Iudicij Terreſtris N. condeſcendentium, de eiſdem bonis reformatorijs in illius Contumaciam contra ipſam obtentam in Cancellaria Terreſtri N. repoſitas, & ad ſuſci-

piendum à se fideiussores bene possessionatos Nobiles, super dotalitio præfato post mortem suam ad successorem præfati mariri eius primi reuertendo, iudicialiter sis attentaturus. Dat. Crac. &c.

MODVS PROCEDENDI IN ACTIONE PROBANDÆ NOBILITATIS.

Actio probandæ Nobilitatis quid est?

Est actio personalis qua probamus quod simus ex stirpe Nobili progeniti, & ex progenitoribus Nobilibus originem habentes, iuxta statutum Casimiri Magni Wisliciæ: Przyl. 267 Nobilis autem est, cuius vterque parens Nobilis ex familia Nobilium genitus iuxta morem patriæ inter Nobiles viuit, vel etiam qui ex parte Nobili, matre vero plebeia nascitur. Herb. 167. Siue etiam iste qui propter aliquas eximias dotes siue corporis vel animi in numerum Nobilium beneficio Regis in Conuentu cum scitu Senatorum & ad intercessionem nunciorum aut etiam in bello est ad optatus. Constit. 1601.

Requisita actionis. vt sit ab aliquo inculpatus vel id cæteri Nobiles negent: non careret enim suspitione, si quis à nemine inculpatus, & nemine id negante induceret testes & probaret suam Nobilitatem, præsumeretur enim id, quia quod sentiebat sibi merito obiici posse, id timebat, & quod timebat, huic ob viam ibat.

Forum. Tribunal inter causas officij iuxta Constitutionem Anni 1589. & Constit. 1609. vel etiam Terrestre tanquã generale, quod apparet ex Statuto. Herb. 168.

Actor.

Actor. Inculpatus siue is qui negatur esse Nobilis, aut illius ex sanguine successor; quod enim in ea actione afficit patrem; & filios hoc idem. Inde si pater probauerit Nobilitatem suam, non est necesse filios probare, dum modo constet esse illius legitimos filios. Similiter & de fratre intelligendum est. Propter quod hæc actio vni ex successoribus competit cæteris tacentibus.

Citatus. Qui inculpauit, qui negauit istum qui agit, esse[c] Nobilem, siue etiam ipsius successores. Successoribus hæc actio datur propterea: quia est successoribus onerosa, actori autem necessaria. Quilibet enim sicut vitam, ita & famam suam tueri debet, nec vilem ignominiam vir honestus pati tenetur. Vnde etiam si successores id non negarent; quod actor sit Nobilis, & testimonia audire nolent, tamen actori non est integrum id silentio præterire, imo debet etiã renuentibus ipsis, & in contumaciam eorum testes ducere, & expedire testimonia sua. Quandoquidem ille qui obiectionem vnius Nobilis se non expurgat, postea ignobili id renouante, tenetur se expurgare Herb. 167.

Si plures negant, datur hæc actio contra plures in solidum, ita vt plures seorsiuis citationibus, pro eodem termine possunt citari ad audiendum testimonium, contra quos omnes, vnos & eosdem testes, idque semel tantum, Actor deducere poterit. Datur similiter contra vnum aut aliquos, contra alios parata erit defensio. Similiter etiam cõtra successores, siue vnum, siue quosdam, siue etiam omnes datur.

Hæc actio datur contra Nobilem. Quandoquidem Kmetho non potest Nobilitatem alicuius increpare excepto vno casu videlicet, si dicat, se audiuisse, per alium nobilem increpatum esse, & ipse se de eo non expurgauit; quod seruit Nobili bellum seruienti & iudicio Terrestri subiecto.

Nobiles tamen in Ciuitatibus ceruisiam propinantes, & vagi atque impossessionati etiam Knethoni obijcienti ignobilitatem sese expurgent. Herb. 167.

Et hæc lex lata in fauorem Nobilitatis. Pro verbis nihilominus in honestis potest Knetho conueniri apud Dominũ.

Probatio: per sex testes viros seniores duos de sua stirpe genitos, qui iurati debent dicere: quod si eorum frater & de domo ac stirpe eorum paterna procreatus: de secunda & tertia genealogia, per duos testes producendo. Herb. 167.

De sua stirpe intelligendi sunt omnes consanguinei, & agnati ex eadem familia, domo, & stirpe procedentes, siue in linea ascendenti, siue descendenti, siue collateralium existentes.

Secunda & tertia genealogia interpretatur per titulum istius legis, videlicet ab auis & matre. Qui omnes debent esse iurati, nam testimonium testis non iurati, non valet præsertim in hac actione, vt Praxis obtinuit. Secus enim existimarem hoc verbum intelligi hic, viros ætatis prouectæ & habiles, ad testimonium dandum, nam frater patruelis vel nepotes ex fratre licet sint iuniores, inculpato possent mea sententia testimoniũ dare. Nam male esset actum cum inculpato, si ex stirpe sua, viuentes non haberet seniores se, causa autem Nobilitatis esset fauorabilis.

Probatur Nobilitas, & literis S. R. M. in Conuentu Regni cum scitu Senatorum, siue etiam in bello ob magnanimitatem & fortia gesta hoc nomine datis. Constit. 1601. eiusmodi enim non possunt inculpari.

Processus in ea actione est breuis, in primo enim termino etiam in Contumaciam actoris, admittitur inductio testium & ad depositiones eorum audiendas & exscribendas. Hæc enim actio non patitur moꝝ quæ admodũ & actio scrutinij.

Dila-

Dillatio. Dillationes in ea conceduntur, nisi vera infirmitate. Pro maiori dillatio in hac actione locum non habet, quandoquidem in ea non ponitur taxa. Nec ad munimenta: quandoquidem in ea actione nullis munimẽtis opus est, tantum testibus. nisi actor sibi concedi dillationem ad priuilegium Nobilitatis producendum peteret.

Ad quid competit? Ad probandum & docendum id, quod inculpatus sit Nobilis, & ad pœnam ex inculpatore consequendam. Pœna enim ex communi Praxi est trium Marcarum inhærendo. Statuto de Calumniatoribus. Herb. 30. siue Statuto Herb. 152. idque ibi pro verecundia pœna trium marcarum decernitur, quæ pœna non extendit sese super successores inculpatoris.

Secus nunc Praxis in Iudicio Tribunali obtinuit. Quia pœna 60. Marcarum iudicio & parti per medium dividenda decernitur.

Præscriptio non habet locum. Quod enim in principio non valet, id etiã successu temporis conualescere non potest.

Appellatio ad Tribunal Regni.

CVm verò omnis actionum & processuum, institutio, ferè ab ipsa citatione exordium sumat: ideo de eadem nobis dicendum est.

Est itaque Citatio. Ad Iudicis conspectum legittima vocatio. Quamuis alijs alia diffinitio placet: tamen eiusdem significationis est vtcunque vocata. Citatio, videlicet, in ius vocatio, monitio, edictum, denuntiatio, conuentio. Nos cùm sapientissimis dicimus esse fundamentum & principiã ordinis Iudiciarij. Vel vt Iurisconsulti volunt. Citatio est caput atque substantiale, ordinis Iudiciorum, litium siue processuum. Ideoque ipsa citatio, per omnia iura ad primũ limen Iudiciorum introducta est.

Pri-

Primo. Iure Diuino. Deus enim Adam primum noſtrum parentem citauit, hoc eſt, ad ſe vocauit, nempe de mandati tranſgreſſione cum eo expoſtulaturus, & pro facto nefario pœnam irrogaturus.

Secundo. Iure naturali & humano eſt citatio ad Iudicij ordinem neceſſari, adeò vt per ipſius omiſſionem, iudicium omne reddatur inane, imò nullum: Nam parte non vocata, & non audita, nihil lege ſtatui poteſt.

Citatio eſt triplex.

Nam alia eſt literalis, quæ fit literis ſeu ſcriptio, vt ſunt Regiæ, Terreſtres, Caſtrenſes, Commiſſoriales, & Succameralialeſ. Hæ in bona citati, inferuntur per Miniſterialem Terreſtrem cum ſolenni publicatione.

Alia citatio verbalis, quæ fit viua vocis denunciatione, vt ſunt Curiæ Regiæ Verbales, Vulgò (Rok Nadworny) ſeu tactus terminus, cuius vſus eſt Curia Regia præſente, vel Iudicio Conuentionali Regni exiſtenti, tum etiam ſub celebratione Iudiciorum Tribunalis Regni: ſimiliter aliorũ quorumlibet ob recentem exceſſum: qui aſſignatur per Miniſterialem, vbi quemuis familiarem Iudicis, reo citando, ſiue ſit poſſeſſionatus, ſiue impoſſeſſionatus, ibidem in Curia Regis, vel in loco Iudiciorum, aut in hoſpitio citandi, vel in foro inuento.

Caſtrenſis etiam verbalis, ſiue terminus facienatus, aliâs (Licowy Rok.) qui (non niſi pro furto ablatare, quæ poteſt facionari, aliâs (moze byc Licowána,) areſto præmiſſo) ad Officium Caſtrenſe fit. Item terminus, qui vulgò dicitur, (Przytkniony Rok.) Et hæ citationes inferuntur per Miniſterialem ab aliquo Iudicio, ſeu Officio Regni additum.

Alia demùm citatio eſt violenta, ſiue realis, quæ fit inie-

ctio-

ctione manus, siue apprehensione, siue captura. Hæc citatio violenta seu realis, fit per personæ detentionem, captionem, vel arrestationem: & cum quis in persona propria ad iudicium inuitus ducitur. Sed hoc genere citationis in Iure nostro Polonico vti non licet in causis ciuilibus.

Species verò citationis sunt tres: (Adcitatio, Concitatio, Innotescentia.)

Adcitatio est qua post mortem antecessoris, ab eo qui successit in ius eius, adcitatur Reus, ad paratam citationem, cui non dum venerat terminus: hac forma. (Qui te citat, alias Przypozywa ad paratam citationem. Nobilis olim N. antecessoris sui, qua te præfatus antecessor suus citauerat pro eo. essentia citationis inferenda. Hæc autem ita dilucide ponenda, vt intelligi possit; in quo puncto causa stetit, & pro quo vertitur. Ad hæc si quis terminus ex huiusmodi vltima citatione siue concitatione, siue adcitatione, siue innotescentia est obtentus exprimendus est, nempe: (Tum ad paratam citationem termini ex eadem adcitatione obtenti, seu ad paratum decretum, &c.) Vt Processis stetit: & concludatur. (Et quoniam præfata Actio eidem N. Actori competit, tanquam successori legittimo memorati N. Ideo ad præmissa prædicto N. tanquam successori legittimo iudicialiter sis responsurus.) Si verò in contumaciam aliquid est obtentum, scribendum: (At paratum decretum vadiorum triplicatorum.) Et concludendum. (Citat de ad videndum ipsum procedere ad vlteriores gradus iudiciarios.) Quando verò moritur antecessor causa instituta & non finita, adcitatio scribitur. (Ad paratam causam & actionem, ratione infrascriptorum in iudicio N. institutam, ad omnesq; actus iudiciarios olim antecessoris sui, ad eumq; punctum, in quo causa morte eiusdem N. stetit in decisa.

Fit etiam adcitatio ad terminum trar slapsum, siue transla-psum citationem. (Citatio trar slapsa est: quæ non attentatur, & omittitur ab Actore in termino. Terminus verò transiapsus est qui non attentatur & desertatur.

Ex transfusione iuris in aliquem.

Ad prosequendas Appellationes, tàm contra Iudicem, quàm contra partem adhærentem.

Pro grauamine & malè iudicato, ad cassandum Decretum.

Concitatio est quæ fit post lucrum obtentum.

Innotescentia est, quæ à verbo innotescimus sumpsit denominationem. Et fiunt duæ: vna pro interponendis. Secunda pro decernendis vadiis triplicatis. Citationes etiam Castrenses ad quærelam ab eodem verbo Innotescimus, incipiunt. Similiter Innotescentiæ Commissoriales.

De formandis citationibus literaribus in genere.

Citatio duplicem habet formam;

Criminalem: Quæ solummodò pœnas in se continet. taleſque solùm personam sequuntur; & cum persona extinguuntur.

Sed & hæc duplex est:

Altera enim quærit pœnam corporis & infamiæ, quæ solùm in Comitijs definitur.

Altera verò pecuniariam. vt pro incendio, stratæ publicæ dispercussione, quæ Iudicio Castrensi deciditur.

Ciuilem: quæ non pœnam, sed taxam in se continet.

Debent autem citationes scribi in membranis Terrestribus, vel Castrensibus quæ apud Notarium Terrestrem & Castrensem districtus sui acquiruntur. Et sunt duæ necessariæ ad vnam citationem (quæ vno grosso à Notarijs vendũtur)

tur) componendam. Alia quidem ad originalis citationis super reum per Ministerialem impositionem. Alia verò ad exemplar, seu copiam per Actorem sibi relinquendam, quę intercidi solent. Quæ etiam lingua Polonica scribi possunt.

Si quis tamen in eiusmodi citatione sua, omiserit titulum vel nomen Actoris aut rei, vel si citatio sygi lo adulterino fuerit obsignata, talis Actor luendo, soluendoq;, ibidem mox pro huiusmodi insufficentia suæ citationis, sex scotus parti, & Iudicio totidem; in instanti poterit ex eadem propositionem facere insufficientia illa non obstante, & citatus tenetur ad obiecta respondere. Sigismund. Petricouiæ 1573. Herb. fol. 41; Scotus autem est valoris duorum grossorum.

Sed citationes ob immutatam literum vel dictionem, vel mutam seu mancam & defectuosam propositionem, in ea scriptam, cessari non debent cum amissione causæ, neque hoc vllum adferret documentum, sed correctus Actor. pœna videlicet trium marcarum parti, & Iudicio totidem luita, potest denuo citationem suam meliorem ponere, & causam subleuare. Sigismundus Petricouiæ 1511 Herb. fol. 45.

Sed tamen hæ, & omnes pœnæ accessoriæ, videlicet propter defectum literæ vnius, aut dictionis, vel alterius cuiusuis defectus in citatione, siue ex quacūque alia causa, quàm citatus Actori obijceret, volens dilationibus & difud js laborare, etiam à coadiutoribus solui antea solitæ, penitus abrogatæ sunt, nondum tamen in desuetudinem abierunt. Post Decretū verò negotij principalis pœnæ reseruatæ sunt. Idem Rex Petricouiæ 1523 Herb. folio 41.

Quod si debitè reus non intellexerit citationem, tenebitur ei Actor ibidem coram Iudicio luculentam propositionem facere. Herb. fol. 109 Etsi postulauerit citatus citationem, tenebitur (etiam Actor) ei suam ad respondendum accōmodare Sigis. Petr, 1523. Herb. fol. 4.

Calumniatrices verò & falsæ ac inordinatæ citationes locum in iudicio non habent: pro quibus iuxta quantitatem excessus, Dignitarij secundùm morem antiquum præsidentes habent facultatem puniendi; corrigendi, & mutilandi. Casimirus 145. Herbor. fol. 88.

Actor amittens citationem ante contestationem litis, seu ante terminos, ad quos reum citauerat, poterit reum (sine aliqua pœna) citare alia citatione ad instar prioris, quæ tametsi à priori discrepauerit narratione, si modò eundem effectũ in se contineat, & summam; talis citatio locum habebit in iudicio, nulla ob hoc, ab Actore luita pœna, & citatus vt ad illam primam respondere tenebitur, nec obijcere poterit ei, quod dedisset citationem super citationem. Idem erit obseruandum, si post contestationem litis amiserit citationem; poterit nihilominus denuo citare & adcitare sine pœna. Et si idem habuerit citationem, seu propositionem acticatam, non tenebitur citationem ostendere. Si verò citatus amiserit citationem, tenebitur Actor post propositionem suam ad postulationem citati accommodare citationem, quàm restituet Actori post responsionem. Sigismund. Petric. 1523. Herbor. fol. 4.

Si Actor obtulerit reo vitiosam citationem, Actor potest ea delere quicquid vellit, præmissa eo nomine denunciatione Iudicio, ante propositionem faciendam. Quandoquidem ei licet recedere à citatione integra; deniq; à causa.

Citatus prò vna re duabus citationibus à partibus diuersis, non cogitur ad respondendum, donec partes actoreæ de iure inter se experiantur. Consuetudo. Herb. fol. 44.

Si quis importauerit citationem super citationem pro vna re, tunc luita pœnam trium marcarum Iudicio & totidem parti citationem vnam destruat. Consuetudo. Herb. fol. 45.

Si a-

Si aliquis existens cum alio in citatione, pro aliqua causa aut violentia, & non terminata ea iudicialiter, facit parti aliam nouam violentiam, aut iniectionem in eadem bona, pro quibus prima citatio penderet indecisa; extunc potest talis citari alia noua citatione, pro secunda violentia & iniectione, faciendo mentionem, in ista citatione secunda, de prima hoc videlicet modo. (Stando mecum in citatione priori pro eisdem bonis, siue pro eadem violentia & non finito iure pro eadem citatione priori.) Et hoc facere potest licitè, quoties in eisdem bonis violentiam nouam fecerit, citationibus prioribus non determinatis, neque iure finito pro eisdem: absque iactura causæ & citationum priorum. Consuetudo Herb. fol. 45.

Quòd dum aliquis contra suum priuilegium in qualicunque causa citatur, exhibendo priuilegium in Iudicio, amittit Actor sexagenam, quam Iudex ab exhibente pro se tollit. Si Actor iurare renuerit, quia nesciebat reum quem citauerat fuisse priuilegiatum, soluet reo sexagenam amissam. Sed idem Actor, si velit iurare se nesciuisse reum fuisse priuilegiatum, & prouisum isto tali priuilegio: præstito huiusmodi iuramento, sexagenam illam non soluet reo, quem citauerat. Casimirus Magnus Visliciæ 1368. Herb. fol. 199.

Sine certo Actore & causa nemo citare debet. Casimirus Magnus Visliciæ. 1368 Herb. fol. 5.

Æstimationes pecuniariæ iniuriarum vel damnorum in citationibus positæ, debent per iudicium moderari & exæquo ad eum valorem redigi quantum damnum possum valet. ne & probationibus & testibus homines grauentur. Sigismundus Petricouiæ. 1543.

Qui erat in persona possessoris, & alium pro hærede citat, non nocet iuri suo error huiusmodi: etiam si talis citatio

fuerit secunda, quin luenda pœnam solitam propter citationis importationem illicitam poterit causam integram citatione alia meliori, contra verum hæredem illorum bonorum prosequi & continuare, iuxta iuris formam. Consuetudo Herbor. fol. 44.

In citatione verba famam & honorem tangentia non ponantur, sub pœna sessionis vnius septimanæ in turri. Sigis. Crac. 1537. Herb. fol 38.

Item, in qualibet literali citatione primo ponendus est titulus Regis, vel Iudicis competentis.

Deinde exprimendum nomen Actoris & rei, & addendū: De ijsdem, alijsque bonis tuis omnibus mobilibus & immobilibus &c.

Tempus & locus comparendi siue terminus.

Occasio pro quo.

Taxa, siue valor rei, & damna similia taxæ.

Sciendum autem, esse nonnullas citationes, in quibus taxa non ponitur: vt potè in criminalibus. Pro exemptione bonorum. Pro finibus & limitibus faciendis. Pro expulsione Pro diuisione. Ad prosequendam appellationem: Ex officio pro grauamine. Interdum tamen hic ponitur, sed tunc non erit terminus peremptorius.

In Criminalibus autem loco taxæ & damnorum ponitur sic: Ad extendendas super te pœnas legum.

Postremò: Data ipsius citationis, in qua debent exprimi.

Primo locus: Deinde tempus.

Locus illius ciuitatis in qua termini ad quos Actor citat celebrandi sunt: sic. (In terminis Terrestribus N. ab hinc

proxi

proximus N. celebrandis, vel proxime ab hinc celebrandis, vel tunc dum quando termini eiusmodi à positione citationis præsentis prius & proximus N. celebrabuntur: vel: in positione actorum Terrestrium quod horum ab hinc prius vel proximius celebrabuntur personaliter legitimè &c.

In Castrensi. Castri ad quod citatur Reus.

In Regali. Illius loci in quo Rex tunc præsens est.

In Commissoriali & Succamerariali locus residentiæ.

Tempus autem debet continere diem & annum.

Diem scribet si aliquo festo signabit. Si in vigilia vel crastino festi scriptum fuerit; adiecta autem ea clausula, videlicet: proxima.

Denique annum tunc curentem.

Hoc etiam prospiciendum est, ne citatus de bonis in alio districtu existentibus citetur. Erit enim pœna euocationis de proprio districtu 14. marcarum, & tenebitur Actor deportare citationes, cum pœna quindecem, aliâs trium marcarum. Excepto Golota, qui nullam reuocationem habet; sed vbi illum Actor assecutus fuerit, ibi citetur.

Idem si Actor non scripserit cautelam super complices & tenutarios in eisdem bonis; ex tunc intermino Actor deportare citationem tenebitur. Si enim fuerint, debet scribere sic: (Juribus tamen & inscriptionibus aliarum personarum, ibidem nihil nocendo.) vel sic: Tibi. N. &c.: de persona & bonis tuis omnibus (si ita res postulasset) mobilibus & immobilibus habitis & habendis, summisque pecuniariis si quaste vbicunque & apud quemcunque in Regno Poloniæ habere prætendis atque asseris nemini tamen ibi iuri suo præiudicando, mandamus, &c.

Si autem de possessione eius qui citatur non constat, extunc scribendum:

Tibi Nobili N. Si est possessionatus vti possessionato de omnibus bonis tuis generaliter sammisq; pecuniariis quibusnis: sin minus vti in possessionato de persona tua. Vel sic: si es ad causam infrascriptam possessionatus tanquam possessionato, sin minus prout de possessione terrestri causæq; infra scriptæ competenti non constat, vti impossessionato de bonis tuis mobilibus & immobilibus per te vbilibet & quomodolibet in Regno Poloniæ habitis & possessis.

Aliquando etiam ponitur hæc clausula in citatione quando quis obmittendo citationem suam citat.

Sic. Qui te citat obmittendo citationem suam primam vel secundam eo nomine contra te (in exemplum) siue prædicto N. qui partatem successionis tecum habet æditam tum & processum (si aliquis sit) super huiusmodi citationem subsequutum coram nobis & officio nostro C D N.) Vel etiam sic. (Qui te recedendo à priore citatione sua, occasione infrascriptorum contra te ædit, tanquam inordinata, non tamen ab actione, denuo citat &c.

Quando verò aliqui coniunctim citant: scribitur sic. (Qui te insimul coniunctim & quilibet pro iure suo &c. de vniuersis generaliter bonis tuis te quomodocunque iure Terrestri concernentibus &c.

Quando verò coniunctim dominus hæreditarius & arendator citatur hæc clausula ponenda est.

Qui vos te Generose N. tanquam hæredem & te Generosæ N. tanquam arendatorem & possessorem præfatæ villæ N. ambos in solidum vel eum quem actio præsens magis de iure concernit, &c. Quando verò hæres & domina aduitalis vel reformatoria citatur, scribendum sic. (Tibi N. bonorum villæ hæredi N. & N. M. tanquam dominæ aduitalitiali (vel reformatoriæ) atque vsu fructuariæ eorundem bonorum

norum N. Matri cum filio seu alio quocunque iuris titulo possessoribus de his & alijs omnibus bonis vestris per vos vbicunque locorum habitis & possessis; iuribus aliarum personarum positione præsentis citationis in eisdem bonis, non vocando. Vel sic. Qui vos coniunctim vel disiunctim prout vt causa hæc de iure efficit.

Tituli vero seu nomina Iudicium cuilibet citationi, isti seruiunt.

Ad Comitia, & post curiam Regni integer Titulus Regis præponitur. Similiter & ad Tribunal.

Ad Iudicium Terrestre non integer Titulus Regis, sed tantum: Sigismundus III. Dei gratia Rex Poloniæ, &c.

Ad Iudicium seu Officium Castrense, Titulus Capitanei. & addendum. (Mandamus Vigore Regio, & nostra, qua in hac parte fungimur authoritate: vel mandamus Regio & Officij nostri vigore.

Ad Officium Succamerarij ad campum, Titulus ipsius Succamerarij.

Ad Commissarios, Titulus Commissariorum. Sed tamen hæ citationes ad Succamerarium, & Commissarios per verbum Innotescimus scribuntur.

Ad palatinum, Titulus Palatini & Capitanei: isti enim duo de non obseruatis Constitutionibus iudicant Ciues.

Termini qui excitationibus non proueniunt, sunt isti:

1. Ex sponsione Fidei.
2. Ex verbali præfixione termini Ministerialis in curia Regis: similiter in Tribunalibus Iudicijs, ad simplicem delationem Actoris: similiter in Comitijs.

Vsu etiam receptum, vt tactus termino ob recens commissum crimen, in supra nominatis Iudiciis non possit se excipere ad processum iuris publici. Similiter etiam ob excessum sub celebratione Iudiciorum Terrestrium vèl Capitanealium: vt si quis Iudicium inhonorauerit, tum, si bombarda portauerit.

3. Ex Conseruatione.
4. Ex Scriptione.
5. Ex Captiuatione in recenti crimine.
6. Ex Processu: vt post concessam dilationem.
7. Ex Appellatione.
8. Ex Limitatione.
9. Ex Arresto, & alijs similibus causis incidentibus.

Sunt etiam nonnullæ causæ in quibus termini ponuntur peremptorij.

1. In criminibus lesæ Maiestatis & perduellionis.
2. Ad Inscriptionem. Obseruandum tamen, contra successores non esse terminos peremptorios.
3. Pro iniquè extorto Thelonco.
4. Pro subdito profugo.
5. Pro exemptione bonorum de obligatione Solum Domina dotalitialis in termino primo condemnatur in pœna contumaciæ, & in secundo termino tanquam peremptorio parti eximenti decernitur intromissio. In renuentia verò partis citatæ, Actoræ pars, pecunias parti reæ in Cancellaria reponere debet iuxta Statutum.
6. Pro non administrata Iustitia.
7. Actoribus in omnibus causis.
8. Eiectoribus & intercessoribus.
9. Verbali citatione, seu tacto termino citaris: vt potè

in cu-

in curia Regis, & sub celebratione Iudiciorum Tribunalis Regni: Similiter sub celebratione aliorum quorumlibet Iudiciorum ob recentem excessum. Terminus quoq; faciendus semper est peremptorius, in quo si aliquis non steterit, potest condemnari in lucro.

10 Ob non amota obstacula in flauijs.

11. Pro pœna contra ciues de non conseruatione iuris Poloni, propter vulnera Nobili illata, vel homicidia in ciuitatibus perpetrata.

12. Post sponsibus bonorum Regalium cum sibi subiectis.

13. Curiæ Officijs præsidentibus, sine famulis inter se. Regia M. præsente.

14. Ad prosequendas Appellationes Magistratibus citatis cum parte adhærente: & si quas alias causas, constitutiones, ex vtilitate publica assignauerint.

Terminus etiam remissionis Granicierum semper est peremptorius, nam in hoc termino si pars citata non comparet, tunc Succamerarius in contumaciam partis procedit ad limitationem Granicierum.

Euocatus quoq; aliquis ad expurgandum honorem suum, semper habet terminum peremptorium sine quauis, dilatione petenda.

Termini Citationibus præfigendi

Ad comitia ob crimen lesæ Maiestatis; & perduellionis, vel pro exemptione bonorum Regalium, sex septimanis ante terminum.

Ad Conuentum in citatione terminus sexta die assignatur ab inceptione Conuentus, prima tamen exclusa. Extra terram existenti terminus peremptorius assignatur in 18. septimanis. Qui si non comparuerit contra illum proceditur.

Terminus coram Rege comparendi ex citatione Regali incolis Maioris Poloniæ Rege tam in maiori Polonia degente in 4: septimanis assignari debet, & è contra incolis minoris Poloniæ. Illis autem in quorum terris Rex ageret, duarum septimanarum.

Pro cussione falsæ monetæ; quatuor septimanis ante terminum.

Ad deducendum scrutinium; duabus septimanis ante terminum.

In priuatorum causis; quatuor septimanis ante terminum

Commissariorum Innotescentiæ ex parte dissimitandorũ bonorum Regalium, & priuatorum; duabus septimanis ante terminum.

Ad Capitanealia Iudicia; vna septimana ante terminum.

Ad Iudicia Terrestria, vna septimana ante terminum.

Ad Iudicium Castrense, seu quærelarum, vna septimana ante terminum.

Ad Tribunal: duobus septimanis ante terminum.

In citatione reali vulgo facionata: terminus vnius septimanæ præfigitur coram Capitaneo in Castro.

Quos citatores esse oportet, & per quem sit citandum?

NEmo per aliam personam, quam per Ministerialem Terrestrem particularem illius terræ (in qua reus citandus existit possessionatus, aut domicilium habet) creatum per Palatinum, tonsum, & iuratum: & non per substitutum citare, seu citationem ponere debet. Casimirus Magnus Visliciæ 1465. Herb. fol. 290. Quamuis olim non licebat Ministeriali quenquam citare Iudice irrequisito, sub pœna priuationis Officij sui & bonorum, atque cautelisationis Herb.

folio

folio 157. Aut per Ministerialem Regni Generalem, qui vbinis locorum positionem citationis facere potest. Stephanus 1576. Nisi recens crimen in Iudicio, vel in Curia Iudicij patratum fuerit: tunc Iudicio præsidens potest per famulum suum citare. Casim. Mag. Vislicie 1465 Her. fol. 290.

Ne autem actor dilationem citationis suæ patiatur propter mortem Ministerialis: qui non facta relatione positæ citationis fato functus esset: adiungendus est ei vnus Nobilis ad ponendam citationem, Consuetudo terræ Cracouien, folio 123. Herb. fol. 188. Cui quidem Nobili, qui tunc præsens erat, si Ministerialis ante terminum moriretur, creditur iniurato per Actorem constituto, de citationis positione. Consuetudo.

Ad quaslibet autem obductiones, duorum Nobilium præsentia cum Ministeriali requiritur. Nam Statuto cautum est. Herb. fol. 4.

DE POSITIONE CITATIONIS ET DECLARANDI MODO.

ILlud iam tritum seruare necessum est: Quod Ministerialis debet indifferenter ponere citationem, in curia Nobilis citati: vel si ea de esset, apud Wladarium, vel quemcunque Kmethonem, siue apud Hortulanum: publicando nihilominus positionem citationis in Curia Nobilis citati: quę si defuerit in eadem villa, extunc villanis ipsam, idem Ministerialis notificabit vt ad notitiam citati pertenire possit.

Si verò curia Nobilis citandi sit clausa, aut eandem Ministerialis ingredi prohiberetur: debet citationem valuis infigere illius curiæ, atq; e citationis eiu modi positionem familiæ illius curiæ, siue Kmethonibus citati publicare.

In villis verò diferris, citatio in lignum recisum posita,

terræque infixa publicanda est, vel in villa viciniori, vel in Parochia eiusdem villæ desertæ. Sigismundus Petricouiæ. Anno 1523. Herber. fol. 188.

Et hæc positio citationis maximè necessaria est: Nam ex ea probatur, Reum esse in ius vocatum seu citatum. Alioquin processus totus iuris, in Contumaciam rei obtentus, subiacet vitio nullitatis, vt potè contra non citatum. De hoc Decretum Sigismundi Augusti Petricouiæ 1562. inter Zdrowskie & Wolskie de Podhayce testatur, quo decreto totus processus iuris vsque ad bannitionem obtentus cassatus est, ob non probatam citationis secundæ positionem.

Cùm verò Ministerialis pro fideiussione alicuius, aut pro euictione contra aliquem ponit citationem, debet eam in bonis hæreditarijs citati, ad manus dare ipsius factori, vt illa citatio deueniat in noticiam ipsius. Secus intelligendum de illa citatione, quæ ponitur contra aliquem pro iniurijs, pro bonis hæreditarijs; ea enim infigi valuis curiæ potest, iuxta Statuti obseruationem Decretum in Consentu Generali 1539. Sabbatho ante Reminiscere.

In materia verò reali petitoria fundi bonorum immobiliũ seu pro violenta possessione bonorum immobilium, ponenda est citatio in bonis violenter possessis, siue reus habeat alia bona sua propria, siue non. Quod faciendum est per totum processum iudiciarium donec cesserit de possessione bonorum Actori. Quæ quidem tales positiones citationũ, nullum adferunt Actori eiusque bonis & iuri præiudicium, quia fiunt ad iudicium præparandum: tum quia de huiusmodi causis realibus proprietarijs & possessorijs fundi non alio iudici præterquam illi, in cuius iurisditione talia bona consistunt, cognoscere competit. Consuetudo.

Hoc loco notandum est, Quod in materia propria fundi,

seu

seu pro violenta occupatione bonorum immobilium, reus citandus, nominandus est in citatione, violentus occupator bonorum Actoris, illorum, pro quorum violenta occupatione citandus est sic: (Tibi nobile N. bonorum hæreditariorum, vel alioquin obligatorum Actoris infra scripti violento occupatori.) Deinde adjiciendum: (De bonis tuis omnibus, mobilibus & immobilibus, &c.)

Idem faciendum in materia possessoria, seu pro violenta expulsione de possessione bonorum immobilium: Sed post dictionem: infrascripti: adiiciendum est. (Videlicet per violentam expulsionem eiusdem Actoris de possessione eorundem bonorum violēto occupatori, seu possessori &c.

Cæterum, si reus sit Dominus, vel hæres. Actor verò tantummodo possessor titulo obligatorio, vsufructuarius existat, eorundem bonorum; possunt tamen citationes in eisdem bonis pro vadio poni, siue etiam pro adipiscenda, retinenda, atque recuperanda possessione. Sed exemplar positæ citationis inferendum est Reo in locum residentiæ suæ, per eundem Ministerialem, qui talem posuerat citationem. Similiter facere debet Dominus contra obligatorium suum, possidentem iure arendæ, bona per illum, ei modo obligatorio inscripta. Consuetudo.

Pro expulsione verò violenta, de aliquibus bonis in propria districta, vbi habet domicilium citatus, est iure connumerandus. Citatus enim extra districtum proprium, pœnis 14 marcarum iuxta Statutum ei adiudicabitur: & ad proprium districtum remitti debet.

Si quis inscriptionem in bonis aliquibus habet, in quibus bonis non est ei admissa possessio: in huiusmodi bonis non est super eum ponenda citatio, si alia bona habet: nec ratione eorundem bonorum habetur pro possessionato.

Super

Super Tenutarium verò bonorum Regalium citatio ponenda est in Castro, vel in curia: sed processus Iudiciarius seu perlucra debent contra ipsum extendi, tanquam contra impossessionatum, si alicubi possessionem non habuerit: si possessionem habuerit; super ipsius bona propria debent extendi, non autem super fundum Regalem. Sigismundus Augustus Petricouiæ. 1562. Herbor. fol. 73.

Nobilis autem impossessionatus, seu Odardus, aliâs Golota, cuipiam aliquid reus, habitans apud possessionatum arestandus est apud illũm, per Ministerialem. Facta autem arestatione, statim citandus est possessionatus apud quem arestatus est, ad Officiũ Castrense; vt illum statuat coram loci Capitaneo, Herb. fol. 133.

Arestatos autem ij tantum ad Castrense Officium statuere debent, qui eos in domibus suis proprijs arestatos in instati non extradiderint, vel ab eis non recesserint, eoue domo sua non ciecerint. Sigismundus III. 1588. fol. 35.

Si verò impossessionatus habuerit vxorem possessionatã, apad illam non procedit arestum: ideo, quod vxor (cùm non sit sui iuris, nam potestati mariti est subiecta) non poterit illum statuere. Conueniendus itaque talis ipsemet impossessionatus maritus citatione literali.

Quod si non potest arestari, seu personaliter ad citandum apprehendi in aliquo loco: citationes contra eum exequi & poni debent, in ea parochia in qua aliquando erat possessionatus. & ibidem publicandæ sunt per Ministerialem clamando: quia contra talem impossessionatum citationes ponuntur. Et nihilominus citatio ligno recisso infixa apud valuas Ecclesiæ relinquatur. Quæ talium citationum positiones, seu exequutiones hæredi bonorum, vbi est Parochia non præiudicabunt. Herb. fol. 133.

Simili-

Similiter etiam contra impossessionatum, ponendæ sunt in ea Parochia, in qua ortus seu natus est, vel vbi domicilium habet. Const. 1588. fol. 35.

Idem impossessionatus Nobilis potest citari ad Capitaneum in cuiuscunque iurisdictione inueniatur, & citationes vbicunque apprehendi possunt, debent illis tradi in manus, Ibidem.

Contra impossessionatum verò Nobilem, qui habet vxorem possessionatam, citationes, similiter ponendæ sunt in Parochia, in qua domicilium vxor eius possessionata habet. Sed vltra publicationem positionis illarum, deferri solet copia citationis positæ, in habitaculum illius, vt eo citius perueniat citationis positio ad illius noticiam.

Sciendum autem, quod domicilium alicuius impossessionati sit eo loco, quo sua vxor, quæ ab eo non sit separata, domum & familiam teneat & alat. Quia communiter dicitur: quod vxor facit domicilium. Domicilium autem dicitur & est, vbi quis rerum ac fortunarum suarum summam constituit.

Citatio ad non competentem Iudicem inualida est: & inualida citatio nullum habet effectum.

Si etiam citatio posita sit in bonis Rei Actori non obligatis, hæres seu quiuis alius possessor, iure agere debet pro deportatione citationum contra Actorem importantem, ante anni, & sex septimanarum decursum; nisi quis de processu nesciuerit: quod tamen per iuramentum probandum est, saluo tamen iure fœminei sexus & puppilorum de præscriptionibus sancito. Sigismundus III. 1589. fol 38.

Citationis positio in bonis citati

quid operatur?

Operatur hoc, quod eadem bona, in quibus, positæ sunt citationes, & de quibus citatur Reus onerantur & afficiuntur perlucris seu re iudicata, hoc est: exequutio rei iudicatæ fit in bonis iure victi in quibus huiusmodi per lucra perducta sunt, secundùm quantitatem æstimationis iniuriæ seu damni illati, & exinde totidem damni sequuti; si non de omnibus bonis ab origine processus citatus est. Alias verò in omnibus bonis, si de omnibus bonis ab origine processus citatus est.

OBSERVATIONES.

Vnicuiusque citationis positio, vel Ministerialis relatione coram Actis facta authenticè sub sigillo extracta, in termino est deducenda, vel habendus Ministerialis, qui recognoscat citationem se potuisse, hac die & hoc loco. Quando enim citationes non secundum præscriptas modos & rationes scribuntur & ponuntur, facile ab aduersario eluduntur.

Hæ sunt autem earum oppugnationes.

1. Ratione Iudicis incompetentis.
2. Ratione positionis, non in fundo Iurisdictioni subiecto
3. Ratione incompetentis Actoris,
4. Ratione temporis: vt si interuallo supra descripto non antecedat.
5. Ratione rei controuersæ.
6. Ratione inordinatæ citationis: vt si minorennis, sine assistentia tutoris, vxor sine assistentia mariti, subditus sine assistentia Domini citet.
7. Ratione non positæ taxæ seu damnorum.
8. Ratione non positionis pœnæ debitæ in certis causis.

9. Sici-

9. Si citatio pro subdito profugo, & administratione iusticiæ ex subdito ponatur, in ea villa, in qua præfati subditi non residēt.

10. Si plures propositiones diuersæ, ad diuersasq; iurisdictiones pertinentes, vel quæ vno decreto comprehendi non possunt, in citatione ponuntur.

11. Si citatio ad inscriptionem non concordat cum iuscriptione.

12. Si citatio pro diuisione in bonis diuidēdis non ponatur

13 Ratione falsi Ministerialis qui posuit.

14. Si citatio Actoris cum citatione Rei non concordat.

15. Negando omninò positionem, & aliæ id genus, vel iure descriptæ, vel consuetudine receptæ.

FORMVLÆ VARIARVM CITATIONVM ex Statuto desumptæ.

Forma citationum ex Officio.

SIgismundus Augustus Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Rusiæ, Prusiæ, Mazouiæ, Samogitiæ, &c. Dominus & hæres Tibi A.B.C. nostro D. ex officio tuo C. D. deque omnibus bonis tuis, mobilibus & immobilibus, vbilibet in regno nostro habitis & possessis, iuribus aliarum personarum in eisdem nihil nocendo, mandamus, vt Cracouiæ, vel vbi tunc cum Curia nostra fæliciter constituti fuerimus, coram nobis consiliarijsque nostris, nobis pro tunc lateri nostro assessuris feria tertia proxima, ad instantiam G.H. legitimè ac personaliter compareas. Citat te pro eo, quia tu præsidens in loco officij tui C. D. à nobis tibi credito & commisso in causa Iudiciali inter eundem G. H. actorē ex vna, & inter I. K. citatum ex altera partibus, occasione

L. M. mota, latius in se canente, eundem G. H. actorem, circa horam N. O. contra Iuris, & Iudiciorum formulam, non expectato, scilicet tempore debito, quo iuxta Statuti dispositionem actores euadere debent, neque etiam præmissa solenni vocatione sui, per Ministerialem loco etiam ac forma iuris incompetenti. in euasione ipsi I. K. condemnare: sed neque arestare eidem ipsam condemnationem, motionemque ab ea interponere, & in Acta scribere permisisti, in magnum grauamen, & præiudicium ipsius prout de eo Acta tua G. D. vel alioqui protestatio ipsius G. H. coram Ministeriali Terrestri P. Q. & Nobilibus multis facta, & in recenti coram Actis R. S. latiùs vereque recognita, canunt & testificantur. Quam iniuriam pensat sibi contra te ad T. V. marcas pecuniarum, numeri & monetæ Polonicæ, & totidem damni, prout hæc omnia tibi latius in termino declarabuntur, Iudicialiter sis responsurus. Datum X. feria V. proxima, Anno D. Herb. fol. 41.

Cùm verò Magistratus citatur.

Similisque citatio ipsius Magistratus fieri solet à reo: si è contrario Iudex, præter tempus, locum, ac solennitates iuris, illum condemnari in lucro permittere: vel alioqui, si causam suam, ad forum de iure communi non pertinentem: exceptione ipsius rei non obstante, iudicaret aliquidue aliud in Officio sedens, contra iuris præscriptum, & bonos mores, contra alterutram partem faceret. Exceptiones videlicet, allegationes, motiones, protestationesue facere, aut scribere prohiberet, secusue quam factæ auditæque fuerant, scriberet, & alia huiusmodi, abusus sui officij authoritate præter iuris præscriptum & æquitatẽ designaret Her. fol. 42,

Pro debito inscripto.

Tibi Nobili N. hæredi, de N. mandamus, qua tenus in termini

minis Terrestribus in N. proximè celebrandis, ad instantiam Nobilis N. de N. compareas, qui te citat pro eo, quia non vis sibi soluere centum marcas pecuniæ certi debiti, quas debuisti sibi soluere ad tempus iam præteritum, & non soluisti prout de hoc inscriptio in Actis Terrestribus N. latiùs canit & in totidem ipsum damnificasti, iudicialiter responsurus. Datum. Herb. 42.

Pro debito non inscripto.

PRo eo, quia tu non vis sibi soluere centum marcas peconiæ monetæ & numeri Polonicalis certi debiti, quas sibi debuisti soluere, ad tempus iam præteritum, & non soluisti, & in totidem eum damnificasti, Iudicialiter responsurus. Herb. 42.

Pro debito inscripto vel vadio.

PRo eo, quia tu non vis sibi soluere centum marcas pecuniarum certi debiti quas iuxta obligationem B. C. debuisti sibi soluere, ad tempus iam præteritum, & non soluisti, prout de hoc inscriptio in Actis B. C. latiùs canit, & in totidem ipsum damnificasti: Iudicialiter responsurus. Herb. 43.

Pro debito: si vadium obligationi sit appositum.

QVi te citat pro eo quia tu non attenta tua inscriptione A. B, qua te ipsi C. D. inscripsisti & obligasti, cum tuis posteris soluturum, vel ad Acta E. F: repositurum G. H. marcas pecuniarum, ad tempus I. K. proximè præteritum: idq; sub vadio totidem summæ facere debuisti & non soluisti, neque reposuisti, prout de eo, tam tua inscriptio, quàm protestatio ipsius E. D. eo nomine, in Actis præfatis facta latius in se testificatur. Propter quod vadium præfatum L. M. in inscriptione contentum, eidem succubuisti ad soluendum. Pro quo te citat: & prout tibi latius in termino hæc omnia declarabuntur: Iudicialiter sis responsurus. Herb. ibidem.

Pro exciſione ſyluæ, aut mericæ:

Pro eo, quia tu violenter excidiſti ſibi robora, in gayo, ſiue ſylua ipſius, in hæreditate A. valoris decem marcarum, & in totidem ipſum damnificaſti Iudicialiter reſponſurus. Herb. 44.

Citatio pro arboribus fructiferis.

Pro eo, quia tu ſibi excidiſti violenter decem arbores fructiferas, videlicet B & C. in hæreditate ipſius villæ D. valoris quinque marcarum, aut prout iudicium decernet, & in totidem ipſum damnificaſti, Iudicialiter reſponſurus. Herb. fol. 44.

Pro Vulneribus.

Pro eo, quia tu feciſti initium litis ſuper ipſo, & intuliſti ſibi violenter tria vulnera cruenta, & duo liuida: quæ vulnera penſat ſibi ad 40. marc. pecuniæ: vel prout ius decernet: pro quibus vult te conuincere, iudicialiter reſponſurus. Herb. 41.

Pro capite occiſo.

Pro eo, quia tu occidiſti Patrem ipſius, Nobilem N. de N. quam occiſionem Miniſteriali Terreſtri N. de N. & Nobilibus obduxit, & ſuper te proteſtatus eſt: quod caput patris ſui præfati penſat ſibi ad centum viginti marcas, & ad pœnam carceris, aut prout Iudicium decernet, & vult te pro eodem conuicere: Iudicialiter reſponſurus: Her. fol. 41.

Pro propinquitate.

Pro eo, quia tu poſſediſti & tenes propinquitatem ipſius Nobilem olim N. patruum ſuum germanum quæ bona præfata extimant ſibi ad ducentas marcas pecuniæ, & in totidem ipſum damnificaſti, Iudicialiter reſponſurus. Herb. fol. 41.

Pro diuiſione.

Pro eo, quia tu non vis cum ipſo diuidere bona hæredita-

ria

ria N. quorum medietas ipsum N. concernit, & ipse tecum vult, quod sibi pensat ad centum marcas pecuniæ, & totidem damni. Iudicialiter respon surus. Herb. 43.

A minorennibus a dultis contra Tatorem.

Citat te seu citant: quia tu existens iure naturali (seu inscriptionis paternæ aut datiuo) tutor, non fecisti sibi hactenus rationem, de bonis mobilibus & immobilibus, vestibus videlicet, auro, argento, pecudibus, suppellectili domestica, equis, bobus, vaccis, ouibus, capris, prædiis, &c. post olim A. B. patrem ipsius legittimum, in tuam tutelam & administrationem assumptis, quarum etiam rerum omniũ publicum & authenticum inuentarium non feciſti, in damnũ ipsius Actoris, seu quondam puppili sui. Quæ omnia pensat sibi contra te ad C. marcas pecuniæ, & totidem damni, vel prout ius decernet, quæ tibi latius omnia in termino declarabuntur. Iudicialiter responsurus.

Similis etiam citatio fit à pupillo, contra eundem Tutorem, pro non reddita ratione de censibus cuiusllibet anni, & iumentis in domitis. Herb. folio 43.

Pro redimendis bonis à propinquo venditis.

Citat te pro eo, quia tu tenes & possides bona A. B. à Nobili C. D. fratre vel patruo, alioue propinquo ipsius, tibi vendita: ad quæ tenenda, ille est iure naturali propinquior quam tu: Ideo vt stares, inscriptiones tuas legittimas ostenderes, pecuniam ab eo reciperes, & de bonis eisdem ipsi condescenderes, iudicialiter sis responsurus. Herb. 43.

Pro redimendis bonis obligatis.

Citat te recipiendum pecunias, quas te, in bonis ipsius hæreditarijs, videlicet villa N. prætendis habere inscriptas: Et ideo vt stares, & inscriptiones tuas coram ludicio ostenderes, & pecunias reciperes, sibiq; tanquam hæredi, de bonis

ipsius

ipsius præfatis Iudicialiter condescenderes. Datum Herb. fol. 45.

Citatio supra scripta, potest fieri etiam, ad Actorum positionem non expectata celebratione terminorum, & hoc fiet in arbitrio Actoris.

In Maiori tamen Polonia, Tenutarius etiam coram Iudicio vel Officio Castrensi, conuenitur.

Pro Kmethone profugo siue quouis alio subdito.

Pro eo, quia tu non vis sibi extradere laboriosum N. Kmethonem ipsius de villa N. ad villam tuam N. profugum, quē apud te in villa tua præfata N. arestauit, per Ministerialem Terrestrem N. de N. quem sibi pensat ad 10. marcas, & totidem damni Iudicialiter responsurus Herb. 41.

Pro cautione fideiussoria.

Pro eo quia tu sibi fideiussisti, pro Nobili N. de N. soluere viginti marcas pecuniarum ad tempus iam præteritum: quas viginti marcas nec ipse N. principalis, nec tu tanquam pro eo fideiussor soluisti, pro quibus te citat, & in totidem ipsum damnificasti, iudicialiter responsurus. Herb. fol. 44.

Pro receptione fœni.

Pro eo, quia tu recepisti sibi violenter decem casulas fœni in prato ipsius hæreditario, villæ A. laboris ipsius, quod fœnum pensat sibi ad viginti grossos, & totidem damni, iudicialiter responsurus. Herb. ibidem.

Pro conculcatione, & depastione frumentorum.

Pro eo, quia tu, immisisti de industria, & violenter, familiam tuam, cum equis & pecoribus in & super hæreditatem ipsius A & conculcasti sibi frumenta diuersi generis laboris ipsius, quæ sibi pensat ad triginta marcas pecuniarum, & totidem damni iudicialiter responsurus. Ibidem.

Adci-

Adcitatio ad paratam citationem patris, fratris, vel cuiuscunque anteceſſoris mortui: cuius citationis terminus nondum venerat.

Qui te adcitat, aliâs przypozywacię, ad paratam citationem Nobilis olim A. patris prædicti Nobilis B. legittimi, quate præfatus olim A. pater ipſius citauerat, videlicet pro eo. (Et inferatur citatio patris & taliter concludatur.) Et præfata actio concernit prædictum B. tanquam filium legittimũ prædicti A. ideò ad præmiſſa prædicto B. tanquam ſucceſſoris iudicialiter reſponſurus Herb. 44.

Dum pater aut alius anteceſſor, lite conteſtata, ſive ſcripto termino, aut condemnato reo, mortuus fuerit.

Qui te concitat, aliâs przypozywacię, ad paratam citationem & actionem, & ad paratum terminum: (Si terminus ſt tranſlapſus tunc ſcribatur) Ad tranſlapſum terminum, qui ſibi tranſlapſus eſt in termino &c. Et ad omnes actus iudiciarios, Nobilis olim N. patris prædicti N. & ad eum punctum, in quo ceſſauit cauſa morte præfati. Nobilis olim N. patris prædicti N ad quam actionẽ ipſe N. eſt propinquior, & eum concernit, tanquam filium poſt patrem: prout citatio & proceſſus cauſæ ipſius in actis Terreſtribus N. latius diſponit, videlicet occaſione ſummæ centum marcarum. Ideò deconcitat, alias przypozywacię, ad attendandum ipſum procedi ad vlteriores gradus & proceſſus Iudiciarios: (Si nondum erat lis conteſtata concludatur:) Ad præmiſſa iudicialiter reſponſurus. (Sed ſi poſt condemnationem in lucro, vel poſt latam ſententiam, extunc ita concludatur.) Ad præmiſſa Iudicialiter attentatnrus, procedi ipſum contra te ad vlteriores gradus. Herbor. 44,

Citationis tranſlapſæ adcitatio.

Qui te concitat, aliàs przypozywa, ad paratam citationẽ

translapsum, quæ sibi est translapsa in Terminis Terrestribus, in P. iam præteritis, qua te citauerat pro eo, &c. (Inseratur citatio, & concludatur,) iudicialiter responsurus. Herbor. 44.

A Kmethone siue alio quouis subdito.

Sigismundus Dei Gratia Rex Poloniæ &c. Tibi Nobili A. hæredi de B. alijsque omnibus bonis tuis, mobilibus & immobilibus, per te quocunq; iure possessis, iuribus aliarū personarū in eisdem nihil nocendo. Mandamus vt in terminis C. in D. proximè celebrandis, ad instantiam laborioſi E. de F. Kmethonis & subditi Nobilis N. de eadem N. hæredis, qui decitat pro eo, quia tu recepisti sibi violenter bouem, valoris trium marcarum pecuniæ, & ipsum in totidem damnificasti. Iudicialiter responsurus.

Et Dominus ipsius præfatus C. stat pro pœna sua trium marcarum, iuxta præfatum A. subditum suum: Herb. 42.

Granicierum.

Qui te citat ad faciendum granicies seu limites inter bona ipsius N. hæreditaria villæ N. ab vna, & tua etiam hæreditaria villæ N. partibus ab altera, & ad attentandum sibi N. decerni Actoratum vigore præsentis citationis, Iudicialiter responsurus. Herb. 42.

Pro non administratione iustitiæ.

Pro eo, quia tu non vis sibi iustitiam ministrare cum laborioso N. Kmethone, & subdito tuo, de villa tua N. qui sibi excedit robora diuersi generis in Gaio ipsius, in hæreditate villæ N. quam non administrationem iustitiæ, pensat sibi ad decem marcas pecuniæ, & totidem damni. Herb. fol. 43.

Secundæ citationis post condemnationem in pœna Contumaciæ.

Citat te secundò, prout te condemnauit in termino primo

in

in terminis Terrestribus in N. iam præteritis in pœna contumaciæ, iuxta suam primam citationem, qua te citauit pro eo, &c. (Et inseratur citatio originalis, & concludatur:) Iudicialiter responsurus Herb. 43.

Concitationis aliàs Przypowiastu post condemnationem in lucro.

Qui te concitat, aliàs Przypowieszcza, ad soluendum & satisfaciendum pro his omnibus, pro quibus te condemnauit in termino peremptorio, in terminis Terrestribus in N. iam præteritis, iuxta suam citationem lucro pro toto, qua te citauerat pro eo &c. (Et inseratur citatio, & concludatur:) loco responsurus. (Iudicialiter satisfacturus. Herb. 43.

Citatio ex Officio Succamerarij ad campum post condemnationem citati in lucro, in Iudicio Terrestri obtentam.

N. N Succamerarius N. N. tibi Nobili N. hæredi de N. mandamus, quatenus coram nobis, aut Camerario nostro, feria secunda post festum Sancti Nicolai nunc instans proxima, in loco campestri inter bona hæreditaria Nobilis N. dicta N. & sua etiam dicta hæreditaria N. vbi videlicet N. Actor, nos, seu nostrum Camerarium locabit compareas, ad attendandum & videndum ipsum ducere nos, seu officium nostrum, ducereque & sipare granicies, scopulos, de terra origendo, & alia signa metalia, siue granicialia faciendo: attentareque & aspiceres ipsum cum testibus præstare iuramentum, tanquam Actorem super vera & iusta ductione, & sipatione præfatarum granicierum, prout præfatum Actoratum contra te obtinuit, condemnando te in lucro actoratus, in Iudicio Terrestri N. in terminis iam præteritis, cum quo Actorata ad nos, siue nostrum officium ad campum est remissus, præmissa iudicialiter attentaturus. Herb. fol. 266.

Forma adcitationis Succamerarialis contra collaterales, siue habentes parietes contiguos & vicinos post remissionem fieri solitæ.

N. Succamerarius: Vobis Nobilibus N. & N. mandamus, quatenus coram nobis, aut Officio nostro Succameriali in loco campestri, inter hæreditates N. Nobilis N. Actoris ex vna & N. Nobiles de N. citati partibus ex altera, vbi videlicet præfatus Actor N. nos, seu Officium nostrum locabit, Feria tali & tali, &c. ad instantiam præfati N. Actoris compareatis, qui vos adcitat, aliàs przypozywa ad aspiciendum parietem vestrum, & ad videndum attentandumque ipsum vigore Actoratus contra præfatum N. principalem, & contra vos tanquam collaterales in iudicio Terrestri N. obtenti, ducere Officium, & prosequi granicies, seu limites faciẽdo scopulos, & alia signa metalia, circa talia fieri consueta: & attendandum ipsum iurare cum testibus, super iusta, sipatione granicierum: ideo vt stetis, & præmissa iudicialiter attentaretis; quia nos non obstante vestra absentia siue contumacia, ad præuatam limitationem ex Officio nostro procedemus. Datum Herb. 267.

Forma citationis Castrensis ad querelam talis est.

N. de N. Capitaneus P. tibi Nobili N. de N. innotescimus, Nobilem A. de B. contra te, coram nobis in querela, deposuisse quomodo tu ipsum de pacifica possessione bonorum, hoc vel illo iuris titulo habitorum & possessorum expulisti, & violenter eiecisti. Quare vigore Regio, & nostri Officij Capitaneatus mandamus, quatenus coram nobis aut Officio nostro Castrensi, Feria secunda post Festum N. in Castro N. ad instantiam & instigationem eiusdem N. compareas, querelis præfati N. & ad alia pro tunc tibi obijcienda & declaranda responsurus. Quod siue comparueris, siue

non

non nos ad ea quæ Officium nostrum spectant, procedemus. Pro damnis verò exinde sequutis, nec non pro vulneribus, sibi per te tunc temporis illatis (si illata sunt) speciales sibi contra te reseruat actiones in foro competenti. Datum in Castro P. Herbor. 40.

Concitatio, aliàs Przypowiast, post latam sententiam pro re decreta.

Qui te concitat, alias przypowieszcza, ad satisfaciendum & soluendum sibi centum marcas, per Iudicium Terrestre N. in terminis Terrestribus in N. proximè præteritis sibi super te decretis: & attendandum ipsum iurare super damnis exinde sequutis: ideò vt stares, & pro præmissis omnibus, & pro pœnis satisfaceres. Datum Herb. 40.

In concitatione, non Iudicialiter responsurus, sed iudicialiter satisfacturus, scribi consueuit, & scribendum est. Consuetudo.

Farrago citationum Regiarum ad instantiam Istigatoris Regij, seu fisci procuratorum.

Citat te, quia tu postposito boni ciuis & fidelis subditi officio, hoc vel illud, in & contra personam nostram Regiam dixisti: vel (quod absit) machinatus es, per quod hanc vel illam pœnam statuti commeruisti, prout tibi in termino latius declarabitur.

Vel pro hoc aut illo Nobili occiso pœnam carceris nobis & R P. debitam non sustinuisti.

Iudicia, Commissarios, conuentus vel Legatos nostros violasti.

Bonis fisci his vel illis; hoc vel illud damnum intulisti, ex illisue pecunias à Nobis toli solitas, exactiones censuum de bonis nostris, vel pensionem retinuisti.

Sal præter prohibitionem nostram publicam huc vel illud intulisti.

Mare nostrum pyratis armasti: res ad littus eiectas occupasti.

Flumina nauigabilia impediſti.

Vias nostras insedisti, coarctasti, intercluſisti, inundasti, deterioraſti, auertisti.

Equireas vel boues extra regnum præter publicum decretum egisti.

Vectigalia & Thelonea noua instituisti, ex commissoque ad nos deuoluta vi accepisti.

Monetam falsam cudisti vel intulisti.

Has vel illas pœnas ex iudicato Nobis & nostro fisco prouenientes non soluisti.

Vel ob crimen peculatus, famosorum libellorum, vel ob aliud facinus incurristi.

Virginem, viduam, vel vxorem huius, vel illius, rapuisti & violasti.

Literas publicæ fidei, huic vel illi per nos datas, amissas, conuentus, belliue denunciatiuas, retinuisti & accepisti.

Fidem sponsione obligatam, fregisti.

Collecto exercitu, Castrum huius vel illius hostiliter, turbandoque pacem Regni publicam expugnasti: vel illum ad hostem regni, præterue Decretum Comitiorum extra regnum eduxisti.

Statione profugisti.

Consilia tibi credita, tormenta, arma, pixidarium, paluerem, exercitum, castraue aut oppida nostra hostibus prodidisti.

In publica expeditione, vel accepto stipendio non meruisti.

Et id genus alia Herbor, 42.

FARRAGO VARIARVM CITATIONVM, ad iudicia comitialia Tribunalis Regni, Capitanealia, Terrestria, Succamerarialia, secundùm praxim hodiernam extradi solitarum

Ad comitia, ad extendendas pænas infamiæ.

SIgismundus III. Dei gratia &c. (integer titulus scribatur.) Tibi Nobili N. Filio olim Nobilis N. in N. Hæredi de omnibus ac singulis bonis, ac de persona tua mandamus. Vt coram nobis & Consiliarijs latere nostro assidentibus in Comitijs generalibus Regni Warsauiæ, vel ibi, vbicunque illa Comitia Generalia celebrabuntur, sexta die ab inceptione compareas. Ad instantiam Nobilis N. Qui te citat, secundo post obtentam pœnam contumaciæ (si ita fuerit) prout te iudicialiter condemnauit, in Comitijs Generalibus Regni præteritis Varsauiæ, iuxta suam originalem citationē qua tu citauerat, & nunc citat pro eo: Quia te contra omne fas & æquum, immemor existens vocationis & bonæ famæ suæ, non formidando pœnas legibus Regni contra (scribatur essentia causæ) sancitas, ausus est tempore certo non ita pridem transacto, &c. Qua propter citatis ad videndum & attentandum super te pœnas legibus descriptas, pro eiusmodi N. per te commissa decerni teque honore & prærogatiua Nobilitatis priuari, ac infamem ac iure priuatum pronunciari ac publicari, & ita prout causæ huiusmodi exigentia postulauerit, contra te sententiari, contumatia tua non obstante, præmissa attentaturus, vel si de iure venerit ad ea, tum & alia tibi in termino aduenienti, latius deducenda, declaranda, & comprobanda, iudicialiter responsurus. Datum &c.

Pro

Pro crimine læsæ Maiestatis.

Sigismundus III. Dei gratia &c. Citamus te, instigatorq; noster citat te, pro eo. Quia tu postposito boni ciuis & fidelis subditi officio cum certis personis tibi te nomine & cognomine notis, cum quibus salua specialis reseruatur actio, contra personam nostram Regiam machinatus es: vel peregrino principi operam tuam addixisti: vel literas nomini dignitatiq; nostræ Regiæ aduersas. Reipub. autem nociuas ac planè seditiosas scripsisti; vel quantum in te fuit nos & Rempublicam turbare, ac vt nos dignitate & vita ita Rempub. sua pace & tranquilitate priuare intendisti. Prout tibi in termino aduenienti præmiss. latius declarabuntur, per quod pœnas læsæ Maiestatis nostræ & eas quæ hostibus & proditoribus patriæ debentur commeruisti. Citatis igitur ad videndum & audiendum contra te & ea crimina commissa pœnas condignas per nos Consiliarioſque nostros decerni & extendi; Sis itaque iudiciliter, responsurus: alioquin contumacia tua non obstante contra te iudicialiter procedetur. Datum &c.

Contra perduellem seu Patriæ hostem.

Sigismundus III. &c. Tibi Nobili N. ex persona & bonis tuis omnibus mandamus, quatenus coram Iudicio Maiestatis nostræ Regiæ, per nos & Consiliarios Regni atque deputatos ordinis Equestris: per Nuncios terrarum, in Comitijs Generalibus Regni Varsauiæ celebrandis à positione præsentis Citationis in quatuor septimanis immediatè currentibus Varsauiæ, aut vbi tunc cum eisdem Consiliarijs & Deputatis constituti fuerimus, peremptoriè compareas. Ad instantiam Instigatoris Maiestatis nostræ Regiæ & Reipublicæ qui te citat ideo. Quia tu postposito boni ciuis officio (in exemplum) contra Rempublicam machinatus es: factio-

neq;

neque & consilio ad turbandam eandem molitus es: (*Et alia multa crimina contra Rempublicam perpetrata hic locum habent*) id contra leges & libertates patrias quantst in te fuit faciens, & statum Reip. conuellere audens prout ea tibi latius obijcientur & probabūtur. Quibus (vel quo) eiusmodi criminibus perduellionis & hostē patriæ declarasti, & in pœnas legum hac ratione incurristi, quas in te iuxta delicta & crimina tua eiusmodi per maiestatē nostrā extendi & animadverti, idq; quod iuris fuerit in præmissis decerni iudicialiter attētaturus & finale venerit responsurus: alioquin cōtumacia tua non obstante, peremptorie contra te in ea causa procedetur. Dat.

Citatio criminalis pro homicidio sub celebratione terminorum Terrestrium.

Tibi Nobili N. M. de persona tua mandamus, quatenus coram nobis & Consiliarijs nostris latari N. nostræ Regiæ assidentibus in Conuentione Generali Regni proximè & immediatè Varsauiæ celebran. Ad instantiam Generosi N. M. Fratris germani, per te atrociter & nefarie interempti, personaliter & peremptorie compareas. Qui te citat pro eo. Quia tu postposito timore Dei spretisque statutis communibus Regni contra homicidas sancitas, ac pœnis publicis super tales extendendis, æditis & laudatis non metuens; tempore certo nuper præterito, anni proximè præteriti, sub celebratione terminorum Terrestrium N. eundem olim N. hominem pacificum & inermem pace communi assecuratum, tibi ac alio cuilibet innoxium, nihil mali & siniſtri à te sperantem nulla sibi vt dicebat hostilitate antea denunciata, in circulo N. (in exemplum) ante prætorium vbi Terrestres termini celebrabuntur, vi & violenter, manu forti & armata, atque hostili, in ipsum irruendo eundemque aduenientē, cuspide gladij, in ventrē illius inflicto, truculēter ac nefarie

occidisti & interemisti: prout de præmissis omnibus protestatio & proclamatio ratione necis huius sceleratæ per te perpetratæ facta, latius testatur. Per quod in pœnam prædictam contra tam scelus nefarium perpetratores sancitam incidisti, & incurristi. Igitur citatis ad videndum & audiendum huiusmodi pœnas prædicto facinori nefario tuo condignas, super te personamque tuam extendi, animaduerti, ac debite exequi. Et prout de iuris forma veniet decerni, pro præmissis omnibus iudicialiter responsurus. Datum.

Pro inuasione bonorum Regalium tempore Interregni post curiam: potest fieri etiam ad Comitia, sed pro pœna.

Tibi N. Mandamus, quatenus coram nobis, Consiliarijsq; nostris lateri nostro assidentibus Feria N. post festum N. proxima Varsi aut vbi pro tunc cum curia nostra feliciter constituti fuerimus, personaliter legittimæ compareas. Ad instantiam nostris Instigatorisque causarum officij nostri, idque ex delatione Generosi N. Thesaurarij Regni. Citamus te. Instigatorque citat te pro eo. Quia tu tempore Interregni proximæ præterito Anno N. Prærogatiuam fisci & Thesauri publici, legibus Regni, præsertim temporibus Interregni munitam violando, ausus es præsumptuosè ac violenter bona mensæ nostræ Regiæ & Reipub. villarum & prædij N. tenutas & possessiones aduitalitatis Generosi N inuaderes, prout de facto inuaseras, ibidem prouentus omnes, ex ijsdē bonis nostris & Reipub. prouenientes, per annum N. proximè præteritum, res mobiles eorundem bonorum mensæ nostræ recepisti, & in vsus tuos conuertisti, subditos earundem villarum angariasti & depactasti, sicque ea bona desolata fecisti: in damnum fisci nostri & Reipub. prout contra te id in termino aduenienti latius deducetur & declarabitur. Citatis

tatis igitur ad restitutionem prædictorum proventuum & rerum mobilium per te modo præmisso perceptarum & damnorum eo nomine illatorum, quæ N. millibus æstimātur resusionem, in quibus omnibus te condemnari, & id quod iuris ac negotij istius ratio postulauerit à Maiestate nostra decerni attentaturus, ad eaque omnia iudicialiter respōsurus, salua actione pro pœnis legum inde emergentium tecū ad forum competens reseruata: pro receptione verò rerum prædicti Generosi delatoris propriorum & alijs damnis inde sequutis, specialem eidem delatori reseruamus ad forum competens actionem. Datum.

Pro diffamatione occasione impedimenti toxici.

Sigismundus &c. Tibi &c. Quia tu in (scribuntur locus & oram quo) nomen præfati N. A. ibidem absentis, verbis iniuriosis traduxisti, bonam famam & æstimationem ipsius insectando & eo nomine aggrauando quasi ipse instinctu Magnifici N. quendam Nobilem N. ad imponendum tibi toxicum subordinare debuisset, quod nunquam in rerum natura extitit, probariq; quoque à nomine potest. Qua quidem tua eiusmodi temeraria insimulatione ipsum N. innocentem diffamasti, reputationemq; ipsius intemeratum iniuriosè effecisti, ac ipso facto in pœnas legum super huiusmodi diffamatores, honestatisque alienæ detractores incidisti, prout id sibi in termino aduenienti latius deducentur & declarabuntur. Et quoniam de præscripto iuris, causæ honoris & honestatis pro nostro Conuentionali Iudicio de iure dignoscenda pertinet, ideo citatis, ad videndum & audiendum contra te leges publicas ratione eiusdem diffamationis extendi, & te ad reuocationem huiusmodi verborum contumelioforum compelli, pœnasque debitas in te extendi, tum id quod iuris huiusmodi excessus ratio postulauerit, in te

decerni, statui & procedi, itaque responsurus & præmissa attentaturus. Alioquin si non comparueris, contumacia tua non obstante, contra te iudicialiter procedetur. Datum.

Pro diffidatione vel contra turbatores pacis publicæ.

Sigismundus III. Tibi &c. Mandamus quatenus ad instãtiam Instigatoris nostri ex dilatione Generosi N. coram nobis & Consiliarijs nostris, pro tunc lateri nostro assessaris in Comitijs Regni Varsauiæ, vel ibi vbi illa Comitia Generalia celebrabuntur, sexta die ab inceptione eorundem Comitiorum prima tamen exclusa, legittimè personaliter et peremptoriè compareas. Citat sea citant ac etiam nos ex officio nostro Regio citamus te. Quia tu postposito Dei timore, contempta etiam iuris communis dispositione qua omnes Regni nostri incolæ reguntur sperata etiam Maiestatis nostrę iurisdictione ac superioritate, qua omnes homines defendantur qui Regni nostri ambitu continentur, in vitam præfati Generosi N. verbis ac scriptis tuis pertulantibus & demerarijs diffidas, & vi ac violentia non autem iure communi & legum publicarum præscripto, quasdam iniurias assertas prosequeris, & te pro sequuturum deinceps ipsi Generoso N. literis tuis (si ita fuerit) hostiliter denunciasti, per quod pacem Regni & publicam communemq; securitatem hominum turbare, nostramque superioritatem irritare ac violare intendis, prout eo facto cum nostræ Maiestatis, Magistratumque à nobis publicæ iustitiæ causa institutum, nec non legum publicarum cõtemptu, turbasti ac violasti. Quod tibi contra hominem bonæ conuersationis & pacificum iureq; communi gaudentem, ac sub inuiolata Maiestatis nostræ Regiæ tutella degentem moliri, tentare ac facere non licuit, prout tibi de his omnibus latius in termino declarabitur. Cum autem Maiestatis nostræ prouidere intersit, audaces

dæces cõprimere, ac violatori legum injcere vincula, ne ciuilibus guerris ac tumultibus occasionẽ vllã suppeditent, ex huiusmodiq; diffidationibus ac hostilitatib⁹ diffidia publica susceidẽtur, & tam pax publica vrbetur quam superioritas nostra Regia lædatur. Idcò te citamus ad pœnã statuti contra tales trãquillitatis ac securitatis publicæ turbatores, nec non superioritatis nostræ contẽptores ac diffidatores editum seu aliàs per nos & Consiliarios nostros in te statuendũ iudicialiter sis responsurus. Pro aliis verò iniurijs salvã sibi reseruat Actor actionẽ tecum agendi in foro competenti. Datũ, &c.

Pro conscribendis famosis libellis.

Tibi N. ex persona tua propria ac de bonis tuis omnibus mobilibus & immobilibus per te in Reg. Pol. vbilibet habitis & possessis mãdamus vt coram nobis Varsauiæ &c. Ex delationis Gen. N. personaliter & perẽptoriè cõpareas. Citat te propterea quia tu non veritus seueritatẽ pœnarũ Constitutionibus & edicto publico Serenis. olim D. Sigis. Reg. antecessoris nostri ac legibus iuseq; cõmuni contra authores & euulgatores spatioseq; libellorũ famosorum sancitatũ, timore Dei postposito, rectiq; & honesti obitus, ausu suo improbo & nefario; cõscriptis inprimis famosis libellis contra ipsũ N. N. de Serenis. antecess. nostris, nobisq; ipsis ac de Repub. benè meritũ; ac contra filios consanguineosq; & seruitores illius (si ita fuerit) eiusmodi libellis scriptiq; detractoriis & diffamatoriis nomen bonum & famam ipsius M. M. etq; filiorum & consanguineorum seruitorum q́ue illius iniqre, præterq́ue culpam lacerantibus & nequiter fugilantibus, eosdem libellos non solum in Ciuitate N. per plateas domos & templa (si ita fuerit) parietibus applicare verum etiam & maius de decus ipsius M. M. totiusq́ue familiæ suæ sigillo obscuro ol figuratos per personas certas huius facinoris ignaras Varsauiam (si ita sit) pro actu Comitiorum adferri cu-

rasti, quemadmodum de eo protestationes contra te coram officio Castrensi Capit. latius factæ extant, & prout id tibi eodem in termino fusius & vberius declarabuntur. Itaque adcitat te ad videndum & audiendum per nosque decernendum, te in seueritatem pœnarum præfatarum contra authores & sparsores famosorum libellum sancitarum incurrisse, à nobis declarari, eaq; decreto nostro contra te extendi & promulgari, saluam nihilominus, contra complices tuos actionem reseruando, nec non saluam etiam reseruando actionem contra te pro interesse vniuscuiusque filij, consanguinei, & seruitoris ipsius M. M. præmissi, omnia peremptorie & personaliter iudicialiter quæ si attentaturus. Datum.

Ad iudicia Tribunalis Regni ex officio pro non facta exequutione ex bannito contra Capitaneum. &c.

Sigismundus III. &c. (Integer titulus) Tibi ex eodem Officio Capitaneatus tui ac bonis tuis omnibus mandamus vt coram Iudicio Ordinario Generali Trib. Reg. N. proxime celebrando à positione præsentis citationis in duabus septimanis, vel tunc dum & quando causa præsens ex Regestro inter causas officij iuxta ordinationem eorundem officiorum ad iudicandum inciderit: Ad instantiam A. N. personaliter legittime peremptorieque compareas. Qui te citat pro so. Quia tu in contrarium iuris communis Constitutionumq; publicarum tum & pœnarum in eis descriptarum existens ab eodem actore requisitus & admonitus, exequutionem finalem de Generoso N. bannito & de regno Poloniæ dominiisque eidem subiectis proscripto, sub iurisditione tua Capitaneali N. versantem & existentem; bonisq; illius omnibus videlicet vilis, A. N. O. ac alijs omnibus hæredi-

riditariis & obligatorijs mobilibus & immobilibus, quibuscunque sub iurisditione Capit. N. extantibus & sitis, & hoc vigore perlucrorum eiusdem Actoris in causa & actione, super eodem Generoso N. B Bannito, primo in officio Castrē Capit. N tandem vigore remissionis in officio Castren. Cap. N iuxta & ad inscriptionem Castren. Capit. N. per ipsum actorem super summam N. certi debiti factam & recognitā, pro vadio similis summæ N. ob non solutionem per eum actori summæ totidem principalis essentialisque debiti, pro tempore certo in eadem inscriptione expresso iam præterito ad solvendum succubito, ac pro summa ipsa principali persolvenda non persoluta perductorum; & iure obtentorum vadiorumque triplicatorum exinde subsequutorum ex debito Officii tui facere non vis imò renuis, exindemque ad decernendam pœnam centum marcarum contra negligentes officiales sancitam per te succubitam ac super te vti citato ac bonis tuis omnibus decernendam, si visurus auditurus & attentaturus, & si quid de forma iuris competierit iudicialiter responsurus. Datum Lublini &c.

Citatio contra partem adhærentem, in eadem causa advidendum & audiendum exequutionem finalem super eadem decerni. &c. &c.

Sigismundus III. &c. Tibi Generoso N. de omnibus bonis tuis mandamus scribatur vt in priori. Qui te tanquam partem adhærentem Generosi N. Capitanei N. citat ad videndum & audiendum ipsum Nobili N. actori, per Iudicium præfatum Ordinarium Generale Tribunalis Regni. N. super te vti bannito & de Regno Poloniæ dominiisque eidē subiectis proscripto, bonisque tuis omnibus hæreditariis indistrictu N. existentibus exequutionem finalem videlicet perlucrorum eiusdem actori in causa eiusdem actoris super

te &

te & bonis tuis videlicet primũ in officio C. C. N. tandem vigore remissionis in officio Castren. Capit. N. iuxta & ad inscriptionem Castren. Capit. N. per te eidem actori super summam N. pecuniæ polonicalis ob non solutionem per te eidem actori summam totidem principalis essentialesque debiti pro tempore certo in eadem inscriptione expresso iam per te ad soluendum succubito, ac pro summa ipsa principali persoluenda perductorum & iure obtentorum, vadiorumque triplicatorum exinde subsequutorum, ex debito officij illius Capitaneali facere decerni, idque quod iuris & iustitię fuerit iniungi, ad quod itaque attentandum te idem Actor modo quo supra adeitat: & si contumax extiteris, vt habeat idem Actor in quo te condemnet, pensat sibi contra te ad N. millia florenorum, & exinde totidem damni vel prout Iudicium præfatum decernet; itaque præmissa sis attentaturus & si quid de iure venerit iudicialiter responsurus. Dat.

Citatio contra Succamerariarum ad prosequendam appellationem.

Mandamus vt coram Iudicio Ordinario Tribunalis Regni minoris (vel maioris) Poloniæ N. proximè celebrandis à positione citationis præsentis in duabus septimanis vel tunc &c. inter causas Palatinatus N. ad iudicandum interciderit: Ad instantiam N. Actoris personaliter & peremptorie compareas. Qui te vti causæ infrascriptæ Iudici, inhærendo protestationibus suis ratione infrascriptorum factis. citat, ad prosequendas, & continuandas motiones seu appellationes suas à decretis, procedendi, respondendi, directè respondēdi in causa & actione graniciali eidem actori per Generosum N. ratione limitum ac granicierum inter bona N. & villam N. Actoris ad Officium tuum Succamerariale intentatam pro parte illius minus iuridice, non attentatis actoris eiusdem

dem iustis ac conformis rationibus tum & satis euidentibus documentis quin potius in fauorem partis prolatis: prout processus eo nomine in actis tuis factus latius de præmissis obloquitur, & prout tibi ea omnia in termino aduenienti latius etiam & copiosius declarabuntur. Citaris itaq; ad videndum & audiendum easdem motiones per te interpositas admissibiles fuisse exindeq; prosequibiles esse ea in causa ad inueniri, decretaq; eadem omniaac totum exinde processum tanquam iniurisdicè præsertim post interpositas motiones factum ex rationibus in termino aduenienti deducendis tolli, cassari & in nihilum redigi ac id quod iuris erit decerni, prout etiam præfatam partem adhærentem, idem N. Actor ad præfatum Iudicium Trib. Regni adcitauit ratione præmissorum Iudicialiter responsurus & attentaturus. Datum, N.

Pro non celebratione terminorum in sex septimanis contra Capitaneum.

Sigismundus III. &c. Tibi &c. Qui te citat ex eodem Officio tuo pro eo. Quia tu non attentando Statuta Regni de Iudicijs Capitanearum in sex septimanis celebrati sancita. Iudicia Castrensia Feria N. post Festum N. proximè incidētia iam verò præterita vbi ipse actor vti delator vna cum instigatore officij N. citatione iudiciali Castrensi N. Generosum N. ad banniendum citauerat & hoc ex eo, quia ipsi rumatio in bona ipsius Generosi N. in perlucris demum in vadijs triplicatis pro vadio N. florenorum occasione non solutionis summæ similis in officio N. tanquam rebellem ac inobedientem legibus communibus obtenta: est impugnata nulla iusta, ac legittima causa habita: celebrari prætermisisti: ob idq; in magnum dispendium, causam illius induxisti: exindeq; ad decernendam pœnam contra negligen-

tem officialem sancitam per se succubitam ac super te vti citatio ac bonis tuis omnibus decernandam sis visurus auditurus & attentaturus & si quid de forma iuris competierit iudicialiter responsurus. Datum Lublini.

Pro detentione vinculosa contra Officialem.

Sigismundus III. &c. Tibi &c. Quia tu contra iura & libertates quibus vnusquisque incola Regni gaudet in eisdemque conseruari debet, prætextu eiusdem Officij sui tempore nuper præterito videlicet N. post Dominicam N. proximè præteritam anni præsentis (scribatur occasio & modus captiuationis) extunc tu nulla ratione vt præmissum est libertatis publicè ac iurium quæ neminem captiuari docent habita, eidem nullo accusante & instigante, nullaq; etiam & minima causa legali ad id accedente, sessionem in turri castri N. vel in stuba (si ita fuerit iniunxisti, atque satellitibus eiusdem Castri in eadem turri vel stuba custodiendum demandasti ipsumque contra omnem Nobilium prærogatiuam in eiusmodi detentione per, (scribatur tempus) sub custodia habuisti quod contra te tam Ministeriali & Nobilibus quam actis eisdem Castrensibus solenniter est protestatus faciendo præmissa in præiudicium ipsius non mediocrè: quem itaque sui violentam & illicitam detentionem præfata Actorea pars æstimat sibi contra te ad pœnas in legibus eisdem descriptas de talibus casibus expressas seu contentas & ad damna ex ea consecuta nec non ipsa in termino eodē compensando & per ipsum conquerentem comprobanda seu ita prout iudicium nostrum decernet: ideò ad præmissa iudicialiter sis responsurus. Datum, &c.

Pro vsurpatione tituli Nobilitatis.

Ad instantiam Instigatoris idque ex delatione N. Quia tu existens persona plebeia, nec ex persona nobili ortus, contra

trauenciendi legibus Regni pœnisque eo nomine sancitis, non solum titulum Nobilitatis vsurpas ac insignia Nobilibus spectantia tibi vindicas & arrogas vindicareque & arrogare præsumis: verum & bona terrestria in contraria eorundem legum constitutionumque eo nomine contentorũ tenes & possides, tenereque & possidere audes. Citaris itaque ad videndum & audiendum eorundem bonorum ex vi legum publicarum te vti personam plebeiam priuari, medietatem verò fisco & alteram medietatem prædicto delatori sententia Iudicij præfati adiudicari, sis præmissa visurus, &c.

Contra Iudicem controuersiam sine scitu alterius partis suscipientem & ingrossationem facientem.

Ad instantiam &c. Qui te ex eodem officio tuo citat pro eo: quia tu nescitur quo animo in præiudicium Actoreæ partis præfata in causa & actione quadam asserta per &c. instituta controuersiam ac eodem N. aliter quam fuerit facta atque nata nulla subscriptione super ipsam à suo procuratore visa, neque vt opus erat ad legendum ipsis data, ideò vt corrigeretur & quæ dicta erant ab ipsis subscriberentur: in qua controuersia multa quæ non illata erant suscepisti atque actuandum dedisti, quod fecisti in graue damnum ipsius actoris. Quod sibi contra te &c. Datum &c.

FARRAGO CITATIONVM AD IVDICIA CAPITANEALIA.

Pro inuasione,

INtager titulus Capit. &c. Quatenus corã nobis, Iudicioq; nostro Castr. Cap. &c. in terminis Iudicialibus Castr. N. S. &c. Quia te citat pro eo. Quia tu postposito timore Dei ac non formidando pœnas legum contra violatores pacis communis & tranquilitatis domæsticæ Nobilium, statuto Regni san-

sancitas, tempore nuper præterito, videlicet die. N. &c. ad d bene instructas & informatus, cum complicibus tuis manu forti & armata, in domum ipsius actoris propriam violenter inuasisti & intrasti, volens eundem N. vita priuare, dumque ibidem nobilis N. consors ipsius (in exemplum) vti probam & virtuosam consortem decet, maritum suum, te in eum imperium facientem defendere voluisset, extunc ibidem in domo ipsius N. consorti suæ tria vulnera cruenta enormia in vtramque manum ipsius intulisti, à quibus vulneribus ipsa N. speratur in vtramque manum habere claudicationem: pro quibus vulneribus ipsa N. habet tecum specialem actionem in foro competenti. Quo facto violẽtam inuasionem & obsanguinolationem domus ipsius patrasti, contra iura tranquilitatem publicam Nobilitatis Regni: pro qua violenta inuasione & obsanguinolatione domus, vult te conuincere iuxta iuris communis obseruantiam. Quam violẽtam inuasionem & obsanguinolationem domus ipsius pensat sibi contra te ad pœnas Statuti Regni, contra tales violatores tranquilitatis domesticæ sancitas: vel prout iudicium decernet. &c.

Pro violentia fœminæ illata.

Quæ quidem vnà cum præfato parente suo, vti tutore suo naturali &c. Quia tu Dei timore & humano rubore postposito, in contemptumque legum & Statutorum Regni Nobilem N. A. virginem (scribatur locus & tempus) violenter ac vi oppressisti, eamque violasti ac virginitate sua eam priuasti, & defloraſti violenter ea renunciante & non consentiente, prout contra te ea de re querellam & protestationem officio fecit: per quod in pœnas in legibus Regni contra virginum & fœminarum violatores sancitas incurristi. Ideò citaris ad videndum audiendumque Statutum commune Regni

gni super te extendi, ac alia circa talia necessaria fieri solita, exequi ad hæc & ad alia tibi in termino futuro latius declaranda visurus, auditurus, & si quid tibi de forma iuris competierit iudicialiter responsurus. Datum in Castro.

Pro prædia in via publica facta.

Quia tu Iurium seu legum publicarum tum & pacis tranquillitatisque publicæ immemor existens, præfatum N. tum temporis ad N. libere proficiscentem nilque hostilitatis aut aduersi aliquid à te sibi sperantem, in via publica seu Regali diris vulneribus in diuersa ipsius corporis membra affecisti, eoque adhuc non contentus (in exemplum) vestimenta cum pileo quibus tunc erat vestitus in præfata via Regali & omnibus publica seu communi, tunc temporis fere exanimato existenti, per vim detraxisti, & omnibus alijs rebus circa eum tunc temporis existentibus spoliasti, seu depredasti, faciendo præmissa, in graue ipsius vitæ & necis periculum, tum etiam securitatis & tranquilitatis contemptum & vilipendiū; prout tibi ea omnia latius in termino aduenienti declarabūtur. per quod &c. Citaris itaq; ad extendendas pœnas, tali delicto condignas in similibus decerni solitas, ac in te per legum dictorum similium præscripto, serio animaduerti ad exemplum quo cæteri sibi à talibus temperent & abstineant Prout tibi hæc in termino aduenienti latius declarabuntur & deducentur. Iudicialiter præmissa omnia sis contra te decerni attentaturus, & responsurus. Datum in Castro N.

Pro Incendio.

Qui te citat pro eo. Quia postposito Dei timore, ac Legum Statutorum libertatumque Regni Poloniæ nullo habito respectu, neque formidando pœnas ex earundem præscripto contra incensores domorum & alia facinora perpetrantes sancitas, ausus es (scribatur essentia incendij prout

factum fuerit) Generosi N. Curiam vel villam (scribatur locus & tempus) &c. Per quod &c. Citaris itaque ad videndum & audiendum pœnas Statuti contra incendiarios sancitas, in personam tuam extendi, teque in præmissis conuinci, & iuxta facinoris & sceleris tui ob incendium & deuastationem curiæ ipsius N. T. exigentiam pro præmissis iudicialiter responsurus & satisfacturus. Et in defectu satisfactionis, ad videndum & audiendum contra te iure procedi, pręmissa iudicialiter attentaturus. Pro alijs verò violentijs (si ita fuerit) à te perpetratis, videlicet domus curiæ, sub nocturna inuasione & obsanguinolatione, ac spolio, per te ibidem præstito, & damnis tunc præpessis saluam & specialem sibi actionem tecum in foro competenti agendi, super speciales citationes reseruando. Datum &c.

Pro raptu iuxta Const. 1607.

Quia tu postposito Dei timore & in scandalum omnium subditorum contra iuris formam, Statutorumq; continentiã nullas pœnas formidãdo, cõtra raptores virginũ sancitas, tẽpore nuper præterito congregatis multis coadiutoribus, tibi in genere similibus quos ad hæc congregare & subordinare potuisti quorum nomina & cognomina melius scis. Nobilem N. virginem filiam minorennem (si ita fuerit) olim Nobilis N. quam ipse Generosus N. vigore iuris sui quæsiti vnà cum alia sorore ipsius in tutoria sua habebat, ac ad annos discretionis legittimæ habere debet in loco certo (scribatur locus) vi & violenter rapuisti & accepisti raptamque & acceptam violenter quo tibi placuit deduxisti & eam pro nunc in manu sua habes & seruas, quæ omnia contra te & tuos coadiutores in recenti sufficiẽter & iuxta iuris formam sunt protestata prout tibi latius in termino præfixo deducentur, & declarabuntur. Per quod in pœnas Statutorum Regni con-

contra violatores raptoresque virginum æditas incurristi. Quapropter tibi vigore Regio & nostra qua in hac parte fungimur authoritate mandamus: vt in termino præfato tibi superius præfixo filiam præfati N. cuius vt præmissū est ipse N tutoriam gerit, per te præmisso raptam & acceptam, coram iudicio nostro Capitaneali personaliter statuas & attētatarus sis & audituras Iudicium nostrum contra te statuta Regni extendi, contra tales raptores æditas super te decerni: & si quid de iure competerit responsurus. Certificando te quod sine termino præfixo comparueris siue non, nos ad ea quæ officio nostro incumbunt contra te procedemus, Iudicium q; nostrum procedet. Datum &c.

IN CAVSA FAMILIÆ HERCISCVNDÆ seu hæreditatis diuidundæ, in primis sic est formanda Citato ad officium, seu Iudicium querellarum.

N. &c. Capitaneus. Tibi Nobili N. &c. in N. hæredi de his ac aliis omnibus bonis tuis innotescimus. Nobilem N. fratrem tuum germanum, contra te coram nobis, seu officio nostro C. C. N. graui in querella deposuisse: Quomodo tu ad faciēdam diuisionem bonorum hæreditariorum villæ N. & aliorum omnium mobilium & immobilium ipsi tecū communium parique iure successionis ipsum æquè atque te post olim parentes vestros spectantium & concernentium, consentire non vis, & ipse tecum eadem dividere volens à communione discedere vult. Quare vigore regio & nostra qua in hac parte fungimur Capitaneatus authoritate, mādamus tibi, quatenus coram nobis seu officio nostro Castr. Capitaneali N. in Castro N. Feria N. proxima personaliter legittimeque compareas: Ad instantiam præfati Nobilis N. fra-

fratris tui conquærentis ad videndum & audiendum nos seu officium nostrum per sententiam nostram seu eiusdem officij nostri diuisionem æqualem prædictorum bonorum inter illum ex vna, & te ex altera partibus faciendam decerni & diuisores ad eandem faciendam diuisionem, addi & deputari: & ad alia peragenda assignari diem & præfigi opportunisque remediis te ad id cogi & compelli; Iudicialiter seu officiose sis ad præmissa responsurus: Certificando te quod siue in dicto termino comparueris siue non, nos ad ea quæ officij nostri erunt procedemus, seu officium nostrum procedet. Datum in Castro &c.

Notandum. In actione familiæ herciscundæ concludendi modus diligenter obseruandus est. Neque enim petit Actor vt declaretur esse Dominus reipetitæ prout aliàs fit in actione reali: neque petit aliquid fieri vel dari sibi oportere; vt fit in actionibus personalibus; sed ad ipsam Iudicem dirigenda est conclusio vt ipse diuisionem decernat & singulis singulas adiudicet portiones. Si citatus pro facienda diuisione bonorum communium in primo termino non comparuerit, actor contra illum astabit terminum primum, citationis seu innotescentiæ suæ, querellæ primæ, postea citabit secunda citatione, in hunc qui sequitur modum.

Forma innotescentiæ querellæ secundæ.

N. Capitaneus, &c. Tibi Nobili, &c. Innotescimus Nobilem N. fratrem tuum germanum, coram nobis seu officio nostro graui in querella contra te secundo deposuisse pront contra te terminum primum Innotescentiæ querellæ primæ literis C. C. N. tempore certo non ita pridem præterito coram officio nostro in primo termino astitit: iuxta suam citationem seu Innotescentiam querelæ suæ primæ, primam literalem C. C. N. qua te citauerat seu innotesciuerat pro eo.

Quia

Quia tũ. Inferaturq; citatio originalis præter terminum qui nouus est assignãdus reo: similiter & data noua scribẽda est.

Si reus citatus in secundo termino non comparuerit, actor contra illum astabit terminum Innotescentiæ querellæ suæ secundæ seu contemnabit eum in lucro. Officium verò post talem astitionem debet decernere diuisionem, diuisores assignare, vnà cum Ministeriali: Vadium CXX. marcarum pecuniæ, Capitaneale primarium contra citatum interponens, ne diuisionem sub eo succũbendo denegare audeat: quod vadium literaliter in bona citati inferendum est, in eisdemque ponendum, publicandum, & relinquendum, æquè vt in aliarum causarũ actionibus, in exequutione rei iudicatæ.

Quod si citatus actori admittet diuisionem; extunc diuisores qui fuerant ab officio additi, ad diuisionẽ bonorum faciendam, facient te recognitionem in actis Castrensibus illius districtus, quod victus admisit diuisionem, & quę bona & vbi vnicuique ipsorum, referent, vel ipsemet litigantes personaliter comparentes ad acta Castrensia recognoscent peractam diuisionem, eamque inscribi curabunt, in qua recognitione exprimere debent, vt supra. Sin autem admissam intromissionem irritauerit, citabitur ad officiũ in hunc modum.

Citatio pro vadio primario occàsione violatæ diuisionis bonorum ex decreto officij per diuisores factæ.

N. Capitaneus &c. Tibi Nobili N. &c. Scribantur omnia forma vsitata. Qui te citat pro eo. Quia tu contrauenisndo decreto officij nostri C. C. N. quo mediante officium nostrum decreuerat, vt tu cum præfato N. fratre tuo germano bona hæreditaria villæ N. æqualiter diuideres. Ad quam diuisionem faciendam, hoc idem officium nostrum certos ex diuisores (nominentur si videris in decreto nomi-

natos) deputauerat, vadiumq; primarium CXX. Marcarum pecuniæ de admittenda & admissa tenenda eadem diuisione contra te vallauerat, prout præfatum decretum officij nostri latius de præmissis testatur: Tu verò cum præfati diuisores, eandem diuisionem ex officio nostro inter vos facie-bant, quamuis diuisionem talem admisisti, eamque aliquantisper tenuisti; tamen postmodum eandem irritasti, & violasti. neq; tenere vis. Quo facto vadium præfatum per nos officium-que nostrum nuper contra te interpositũ ad soluendum actori præfato succubuisti. Pro hoc itaque vadio, taliter per te succubito, prænominatus actor te citat; nec non ad videndum & audiendum nos seu officium nostrum per sententiam nostram seu eiusdem officij nostri, te eidem actori in vadio primario prædicto condemnari, & vlterius, prout de iuris forma venerit, in causa hac procedi iudicialiter seu officiosè ad præmissa sis responsurus & attentaturus. Dat.

Si autem post interpositum vadium primarium non admiserit diuisionem citabitur sic.

Forma citationis pro vadio primario, ratione non admissæ diuisionis per Officium decretæ.

N. Capitaneus &c. Tibi Nobili &c. Scribantur omnia forma vsitata. Qui te citat pro eo. Quia tu contrauenien-do decreto officij nostri C. C. N. quo mediante officium nostrũ decreuerat, vt cum præfato N. bonorum in villa N. aliorũque omnium post olim patrem vestrum pari successionis iure eundem æquè atque te concernentium æqualem faceres diuisionem, ad eandemque diuisionem faciendam, hoc idẽ Officium nostrum certos ex diuisores (nominentur si videris in decreto nominatos) deputauerat, vadiumque primarium CXX. Marcarum de admittenda admissaque tenenda & non violanda diuisione eiusmodi contra te vallauerat,

prout

prout præfatum decretum officij nostri hac in causa latum, fusius obloquitur: Tu verò contraueniendo decreto præfati Officij nostri, eandem bonorum diuisionem &c. quam intra vos diuisores deputati parati erant facere, recusasti facere & admittere. Quod tibi in termino aduenienti relatione præfatorum diuisorum & Ministerialis coram Officio nostro de eo facta comprobabitur, propter quod vadium primarium 120. Marcarum pecuniæ communis ad soluendū præfato Actori succubuisti. Igitur te citat ad videndum & audiendū nos seu officiū nostrum prædictū, te in vadio præfato primario Actori memorato condemnari, illudque super te & bonis tuis omnibus decerni, eundemque in bona tua omnia in præfato vadio primario intromitti & nihilominus diuisores ad ipsam diuisionem faciendam iterum addi deputari, diemq; ad eandem peragendam præfigi (si ita fuerit in decreto) vallatis contra te vadiis triplicatis de iure opportuno, iudicialiter sis attentaturus: certificando te quod siue in dicto termino comparueris siue non; nos ad ea quæ officij nostri erunt contra te procedemus, seu Officium nostrum procedet. Datum in Castro.

Si citatus adhuc pertinax fuerit; tum citabitur pro vadio triplicato, ac adrumandum, & diuisionem nihilominus admittendam, quæ citatio sic formabitur.

Forma citationis pro vadio primario triplicato.

N. Capitaneus Tibi Nobili N. &c. Citamus te seu instigator officij nostri citat, & prænominatus N. Actor quilibet illorum pro sorte & interesse suo pro eo. Quia tu contraueniendo decreto officij CC. N. quo mediante officium nostrū secundo decreverat, vt tu cum præfato N. faceres æqualem bonorum diuisionem &c. Ad quam diuisionem faciendam, hoc idem Officium nostrum ex diuisores vnà cum Ministe-

ria li eidem Actori, secundo, de iuris communis forma deputaverat, & addiderat, vadiaq; triplicata CC CLX. Marcarũ pecuniæ communis super te & bona tua omnia imposuerat, & contra te vallaverat, vt præfatam divisionem, per divisores secundo per officium nostrum ad ea peragendam deputatos, admitteres, nec prohibere præsumeres, admissamque tam per te quam quasvis submissas personas præpedire & inquietare non auderes, suo eisdem vadijs triplicatis suprascriptis per te nobis seu Officij nostri Instigatori, præfatoq; actori, prout ad sortem cuiusque nostrum pertineret succũbendis, vadiaque triplicata suprascripta, contra te in causa præsenti opportunè vallata non formidando; divisionem præfatam quam divisores per officium nostrum secundo deputati eidemque Actori additi, parati erant inter vos facere non admisisti, imo eandem denegasti & prohibuisti, quod faciens vadia prævata triplicata succubuisti. Pro his itaque vadijs triplicatis, tamen per te succubitis, tam nos seu instigator Officii nostri, quam prænominatus Actor quilibet eorum pro interesse suo, te citant, ad videndum & audiendum vadia triplicata suprascripta super te & bonis tuis omnibus vnà cum rumatione tui de eisdem decerni, iudicialiter seu officiosè, præmissa sis attentaturus, & si quid tibi de forma iuris competierit, responsurus. Datum.

Si verò obstiterit Vicesgerenti rebelliter; citetur vltimo ad terminos Castrenses, Forma autem citandi ad banniendum eiusmodi rebellem scribi poterit, iuxta citationem ad banniendum infra scriptum in processu ad inscriptionem: paucis immutatis.

Pro exdotatione sororis.

Ad instantiam sororis tuæ germanæ vxoris generosi S. B. & eiusdem mariti vti tutoris coniugalis. Qui te citat pro eo:

quia

quia tu sibi neque dotem iure competentem dare, solvere, de bonis eius parentis & maternis omnibus mobilibus & immobilibus, neque sortem bonorum eorundem maternarum & paternorum, mobilium & immobilium omnium, in hæreditate villæ N. & vbilibet alibi consistentium: in defectu solutionis doris, sortem omnium bonorum paternorum & maternarum prædictorum edideres & nihilominus pensat sibi eam eiusmodi iniuriam, contra te vigore solutionis M. N. & totidem damni. &c.

Pro violenta expulsione de bonis reformatorijs, & aduitalitiis.

Tibi Nobili N. in N. hæredi violento occupatori & expulsorio possessori de omnibus bonis &c. Innotescimus Nobilem A. D. reformationis seu aduitalitatis suæ, seu alio quovis modo. Tenutricem. coram nobis & officio nostro Castrensi Capitaneali N. contra te graui in querella deposuisse quomodo tu eandem de dotali & integra pacifica possessione bonorum in hæreditate N. consistentium & iure reformatorio vel aduitalitio eam concernentium, vi & violenter adhibitis tibi multis complicibus, ipsi præstitam resque omnes ipsius proprias mobiles, ibidem sitas, & suppellectile domesticam totam, frumenta omnia festimenta diuersa, ac alia id genus pro te tulisti, in graue damnum ac præiudicium ipsius conquerentis prout ea tibi in termino in sua querella latius proponentur, & te in præmissis vt de iure venerit cõuincere intendit. Quia verò vnicuique in talibus conquerenti nobis & officio nostro Capitaneali de remedio iustitiæ opportunè prouidere interest: Idcirco vigore Regio & authoritate nostra Capitaneali mandamus, quatenus coram nobis aut officio nostro N. in castro N. feria &c. compareas, ad instantiam N. conquærentis, querelis suis in termino futuro con-

tra te latius proponendis, ad videndum & audiendum per nos seu officium nostrum Capitaneale reimpositionem bonorum præfatorum decernandam, ac eandem conquærentē in bona ipsius præfata, de quibus est per te violenter expulsa restitui & reimponi, ac in pristinam possessionem pacificam eorundem conduci, officiumque competens ad reimponendam eandem conquerentem in bona addi & deputari, vadiumque nostrum Capitaneale de non præpedienda eadem reimpositione bonorum ipsius præfatorum interponi, & alia quæ nobis ex officio nostro in præmissis decernenda veniūt decerni, contumatia tua non obstante, præmissis & alijs in termino futuro tibi latius deducentis iudicialiter fis responsurus: contra complices verò tuos in præmissis tibi auxilium ferentes nec non & pro damnis ex eadem violenta expulsione sequutis & adhuc subsequendis, & pro receptione omniū rerum circa violentam expulsionem receptorum, saluas actiones reseruat seorsiuas, citatione terrestri agendi in foro competenti. Datum.

Similis citatio scribi potest pro qualibet expulsione de bonis, mutatis mutandis.

Alia pro non datis pecoribus ad fideiusionem pro pœna trium marcarum.

Innotescimus & ad tui notitiā deducimus, graui in querella coram nobis & officio nostro feciſſe, laborioſum N. de N. quomodo tu ſpretis legibus & ſtatutis Regni Poloniæ non metuendo pœnas in eiſdem ſtatutis deſcriptas, duos boues (in exemplum) ipſius N. proprios de campo bonorum N. violenter abegiſti, & in foreſtam tuam impuliſti, & inforeſtaſti quos boues ſibi taxat ad &c. & totidem damni: quos boues præfatus N. ſubditus præfati N. per Miniſterialem terreſtrem & Nobiles apud te iuxta formam iuris &

præscriptum statuti officiosè fideiussit, quos tu ad fideiussionem ipsorum mittere noluisti, per quam tuam non missionem ad fideiussionem præfatorum duorum boum in in pœnas statuti, videlicet à quolibet boue trium marcarū pecuniæ polonicali: seorsim incurristi & incidisti, & ad soluendum succubuisti. Prout eodem Ministerialibus & Nobilibus fideiussoribus in termino aduenienti comprobabitur. Petiit itaque nos quatenus sibi de remedio iustitiæ opportuno prouideremur. Nos verò attento eo, id nostri Officij esse vnicuique iustitiam debitam administrare, & de remedio iustitiæ prouidere, tibi modo præmisso de bonis tuis omnibus iuribus aliarum personarum ibidem positione præsentis citationis minimè nocendo. Mandamus: vigore Regio & authoritate Officij nostri N. in N. feria &c. ad instantiā N. N. cōpareas. Qui te citat ad decernendū super de pœnas statuti, à quolibet boue seorsim ad solutionem, eorundem iuriū remediis stringi & compelli, & ad videndum & audiendum deputari ipsi Ministerialem Terrestrem ad efforestādos præfatos boues & ad pignorandum in eisdem pœnis, prout nos Officiumque nostrum decernet, & prout tibi authēticis documentis latius deducentur. Datum.

Pro macerationc equorum.

Quia tu laborioso N. de villa N. intra tempus absoluendi per ipsum Actorem laboris, nempe deuectionis in anno præsenti, tempore messis frugum æstivalium in horreum, equos ipsius actoris, in bonis tuis abactos & per dies & noctes N. apud te detinuisti, macerasti, & neque ad forestam Regiam, iuxta statutum reddidisti; ideoque per macerationem eorundem equorum, & per neglectum laboris præfati domini sui, partimque ob inopiam equorum, in damnum maximum induxisti. Quod sibi contra te &c. Et dominus pro pœna &c.

Pro

Pro non extraditione ad foreſtam Regiam alicuius rei.

Ad inſtantiam. &c. Quia tu poſtpoſitis & in partem reiectis ſtatutis & Conſtitut. publicis Regni quibus cautum conſtitutumque exſtat: Quod qualeſcunque res omnes & ſingulas qualicunque nomine & cognomine atque vocabulo vocitentur atque nuncupentur, errabundæ, vagabundæ, præventæ violenter ademptæ, ab de damno abactæ, & quovis modo cuipiam receptæ, debent eſſe officio ſeu foreſtæ Regali ſui diſtrictus propiori intra triduum ſub pœnis in eiſdem deſcriptis præſentandæ & extradendæ. Tu verò cõtraveniendo iuri communi & ſtatutis Regni pœnaſque ratione præmiſſarum in eiſdem deſcriptas non curando, minimèque formidando N. M (exprimatur res de nomine) ad bona tua in N. ſit à abactam vel receptam, vltra iuris communis diſpoſitionem intra triduum ad foreſtam Regiam Caſt. N. non extradidiſti, neque hucvſque præſentare & extradere curas. Per quod in pœnas legum ratione præmiſſorum ſancitas, & laudatas virtute iuris communis incidiſti & incurriſti. eaſdem, eidem inſtigatori noſtro ad ſoluendum irremiſſibiliter ſuccabuiſti & es tranſgreſſus. Pro quibus quidem pœnis ad præſens citaris. Nihilominus vt eiſdem perſolutis eandem officio noſtro extradas iudicialiter reſponſurus. &c.

Ad inſcriptionem pro debito.

Qui te citat iuxta & ad inſcriptionem per te Nobili N. Patri ſuo coram actis Caſtrenſibus N. factam & recognitam qua Patri ipſius eiuſque legittimis ſucceſſoribus inſcripſiſti & obligaſti, ſammam N. N. dare & ſoluere pro tempore certo idque ſub vadio: cui inſcriptionis tu contraveniendo non attento vadio inſcriptione præfata contento, ſummam præfatam N. pro tempore expreſſo, & loco in eadem inſcriptio-

ptione descripto, & assignato iam modo præterito, ob idque per te ipsi actori succubito iuxta præfatam inscriptionem latius præmissa, in se obloquentem ad quam se Actor cum citatione præsenti in to refert & extendit: Pro quo itaque vadio ac pro summa principalis debiti non solita prænominatus te idem Actor citat: prout tibi in termino aduenienti latius declarabitur & deducetur, sis ad præmissa officiose responsurus. Datum &c.

Ad interciſam actis roboratam.

Qui te citat iuxta & ad interciſam certam inter vos & eundem Actorem mutuo factam & conscriptam inscriptione neque C. C N. roboratam & vadio N. Florenorum per te eidem Actori res in interciſa prædicta contentas, & pro tempore certo in eadem interciſa de eidem Actori non transmisisti, neque reddidisti, ideò actori ad soluendum vadium N. succubuisti: pro quo itaque vadio ac nihilominus pro complēdis præmissis, te idem Actor citat iuxta interciſam & inscriptionem prædictam suam, officiose in termino aduenienti responsurus. Datum.

Similis citatio ad interciſam.

Qui te citat vigore inscriptionis Castrensis N. & per trāsportationem Terrestris N. interciſæ certæ, inter te & ipsum Actorem, occasione arendæ bonorum N, confectæ roboratoriæ: tum interciſæ eiusdem, ea ipsa inscriptione roboratę, vadioque mille florenorum pæcuniæ firmatæ: Idque pro vadio mille florenorum pecuniæ per te sibi Actori succubito in eo. Quia agros prædiales in bonis villæ N. consistentes, per ipsum Actorem tibi arendatos conseminationibus tam hyemalibus quam æstiualibus bene conseminatos, ac ita conseminatos reddi debitos, sibi actori male conseminasti, nec circa dimissionem seu expirationem eiusdem arē-

dæ, ipsos agros benè conseminari solent, excrescere solita iam excrescere poterit. Pro quo itaque vadio ac re ipsa principali, te idem Actor citat, proponitque conta te iuxta inscriptionem eandem, intercisamque præfatam, præmissa omnia latius in se complectentem. Sis igitur ad præmissa omnia tibi in præsenti termino latius declaranda, iudicialiter officioseque responsurus. Datum in Castro.

Pro non solutione arendæ.

Qui te citat ad inscriptionem C. D. arendatoriam, qua mediante idem Actor bona sua hæreditaria videlicet totam & integram villam A. in terra N. & districtu N. sitam cum omni iure dominio &c. ad trium annorum decursum arendaverat, & modo arendæ inscripserat, idque pro vadio N. pecuniæ ratæ non persolutæ correspondenti, ratione non solutæ ratæ primæ N. florenorum pec: pro festo S. Ioānis proximè præterito: ob idque per te ipsi actori ad solvendum succubuisti, ac pro summa principali N. marcarum pecuniæ ratæ primæ præfatæ non solutæ, iuxta præfatam inscriptionem arendatoriam latius in se præmissa obloquentem ad quam se idem Actor cum sua præsenti citatione in toto refert. Pro quo itaque vadio ac pro summa ipsa principali non persoluta, prænominatus idem Actor te citat: sis ad præmissa tibi in termino præsenti deducenda officiose responsurus. Datum.

Pro residuitate summæ.

Qui te citat ad inscriptionem C. N. D. per te sibi factam, qua inscriptione mediante, tu eidem inscripsisti summam N. florenorum pecuniæ, soluere, & circa acta N. reponere, pro die & tempore specificato iam præterito sub vadio similis summæ residuitatis, videlicet N. huc vsque non persoluisti: propterea ob ratæ, per te restantis non solutionem, eadem N.

vadium

vadium N. ad soluendum succubisti. Pro quo vadio te citat vt eodem persoluto, residuitatem summæ supra allegatæ eidem Actori ob submissionem tuam persoluas: ad præmissa tibi in termino aduenienti declaranda iudicialiter, & officiose sis responsurus.

Ad recipiendas pecunias.

Citat te ad tollendum & recipiendum ab ipso tanquam hærede bonorum præfatorũ sortis suæ, vigore iuris sui quęsiti à Nobili N. habiti, pecunias tuas, quas in bonas præfatis sortis ipsius, vigore reformationis tuæ dotis & dotalitij per præfatum olim N. maritum suum factis & inscriptis habere prætendis, ideo vt stares inscriptionemque tuam dotis & dotalicii coram Iudicio ostenderes, pecuniasque tuas vigore reformationis tuæ ab ipso quantũ pro interesse ipsius pertinet, seu etiam de tota reformatione tua reciperes sibique tanquam legittimo hæredi de bonis ipsius præfatis condescenderes.

Ad inscriptionem post mortem à successoribus.

Qui te citant seu adcitant aliàs *przypozywaiacie*, post mortẽ videlicet præfati N. patris vel patrui sui, legittimi, & hoc ad inscriptionem obligatoriam, super summam N. florenorum præfato patruo vel patri eorum in actis Castrensibus N. per te olim factam & in bonis tuis hæreditariis S. obligatã. Quaquidem inscriptione præfato R. A. eiusque posteris languine iunctis summam præfatam S. florenorum, &c. pro tempore in eidem inscriptione expresso reponere, vel in defectu repositionis eiusdem summę extunc pro illo tempore sicut nunc, intromissionem in bona præfata S. sub vadio aliorum N. florenorum dare & admittere debuisti, teque eadem inscriptione obligasti, modoque præmisso inscripsisti, alias prout horum omnium inscriptio ipsa latius canit & testatur,

tibiq́ue in termino aduenienti latius declarabuntur; sed quia neque præfatam summam S. florenorum, pro tempore ante præfato patri eorum vel patruo reposuisti, neque intromissionem cum possessione eidem & ipsis tanquam illius successoribus legittimis in bona præfata tua S. admisisti; idcò ipsis vadium præfatum iuxta eandem inscriptionem ad soluendū succubuisti: Pro qua summa & vadio ex eadem summa sequuto ipsis vt & tanquam præfati R. V. successoribus legittimis debitam iuxta eandem inscriptionem de præmissis latius canentem decitant iudicialiter sis responsurus. Datū.

Pro exemptione bonorum ad inscriptionem obligatoriam.

Qui te citat & ad iuxta inscriptionem C. C. N. obligatoriam ipsi Actori per te super summam N. florenorum pecuniæ factam & recognitam atque in bonis tuis hæreditarijs villæ K. eidem modo obligatorio assecuratam; qua mediãte inscripsisti te & obligasti summam præfatam N. pro festo N. Anno præsenti proximè præterito circa acta nostra C. C. N. eidem in vim exemptionis de bonis suprascriptis villę N. realiter & in effectu dare & persoluere, hoc est prædictū actorem de bonis suprascriptis eximere: sub vadio simili N. eidem per te ad soluendum succumbendo, prout inscriptio prædicta copiosius, de præmissis testatur. Cui quidem inscriptioni tu contraveniendo, vadiumque non formidando, summam prædictam N. pro tempore in inscriptione assignato & iam præterito, ipsi actori in vim exemptionis circa acta nostra reposuisti neque eximisti. Ideo vadium totidẽ summæ videlicet N. actori præfato ad soluendum succubuisti & es transgressus. Pro quoquidem vadio per te succubito tum vt nihilominus inscriptioni tuæ satisfacias, actoremque de bonis eximias, præsente hisci citationi iudicialiter seu officioſe

cioſe ad præmiſſa, tibi in termino futuro copioſius declarãda ſis reſponſurus. Datum.

Ad inſcriptionem pro non ſatisfactione & non data intromiſſione.

Citat te & ad iuxta inſcriptionem C. C. N. tuam qua te recognouiſti actori te teneri & deberi N. florenorum quos te illi ſolutorum & ad acta noſtra C. C. N. pro feria &c. repoſiturum ſubmiſiſti, & inſcriptione tua prædicta obligaſti, ſi verò eandem ſummam prædictam N. florenorum, eidem prædicto. A pro tempore ſupra prædicto ad acta noſtra non perſolueris, prout non ſoluiſti, neque poſuiſti prout de præmiſſis diligentia ipſius contra de facta proteſtatur; extunc debuiſti ei in ſumma prædicta per te recognita dare & admittere realem intromiſſionem & actualem poſſeſſionem in totam ac integram villam tuam hæreditariam N. cum omnibus illius prouentibus nihil ab eadem excipiendo, ſub vadio ſimilis ſummæ N. ſupraſcriptæ: iuxta vim & continẽtiam inſcriptionis tuæ præfatæ: ſed quia tu in contrarium inſcriptioni tuæ ſummam præfatam N. florenorum eidem N. pro tempore ſupra expreſſo ad acta noſtra Capitanealia non ſoluiſti, neq; poſuiſti neque etiam illi intromiſſionem realem & actualem poſſeſſionem in villam tuam N. hæreditariam, in ſummam prædictam N. per te ſibi obligatam & inſcriptam non admiſiſti, neque admittere voluiſti, imò temere repugnaſti, prout relatio Miniſterialis & Nobilium latius teſtatur: per quod ſibi vadium N. florenorum pecuniæ ſuccubuiſti; pro quo vadio te citat iuxta vim & continentiã inſcriptionis tuæ præfatæ, ad quam ſe præſens citatio in toto refert: & prout tibi latius in termino declarabitur, iudicialiter ſis ad præmiſſa in termino præſentium vlterius declaranda, reſponſurus.

Concitatio pro vadio occasione repercusionis post datam intromissionem.

Qui te concitat aliàs przypowiesczą cię, ad soluendum & satisfaciendum sibi pro his omnibus pro quibus te Iudicialiter condemnauit in termino peremptorio in N. iam N. A. præteritis, iuxta suam citationem pro toto in suo lucro, qua te citauerat. Quia iuxta decretum Iudicii Castrensis in terminis C. D. iam pręteritis inter te ab vna, & prędictam actorem iure vincentem de bonis &c. ab altera latum & promulgatum, nec non sub vadio N. marcarum pecunię per hoc idem Iudicium vallato, non debuisti tam per se quam per suas submissas personas ipsum Actorem & iure vincentem de bonis hęreditariis in villis & hęreditabus M. B. vtrinque iacentibus super te iure per ipsum recuperatis, & reobtentis amplius violenter deparcutere, nec quovis modo ipsius possessionem prępedire: Tu tamen in contrarium prędicti decreti faciendo, vadiumque prędictum N. non curando, ac rei iudicatę temere & violenter te opponendo, ipsum actorem iure vincentem cum adiutoribus per te subordinatis & palam tibi patrocinatibus, de bonis prędictis violenter depercussisti & expulisti: Ideó vadium prędictum N. pecuniæ iuxta decretum Iudicij C. C. latius canentem ad quod se ducit succubuisti & es transgressus ipsi ad soluendum: pro quo idem concitat te: iudicialiter sis satisfacturus & ipsum actorem in eadem causa ad vlteriores punctus procedi attentaturus. Datum in Castr. &c.

Pro non tuitione secundum inscriptionem super summam, &c.

Citaris ad inscriptionem C. C. N. per te sibi super summam N. pecunię factam & super bonis tuis sorte in villa post mortem olim Generosi N. M. fratris tui germani ad te devolu-

voluta de facto obligatam & assecuratam, intromissione-
que reali cum possessione actuali & vsu fructu libere & pa-
cifice firmatam. Idque pro vadio similis summæ N. per te
ratione non tuitionis nec evictionis emundationisq; bono-
rum præfatorum factam, videlicet villę N. per te sibi actori
in summa prędata inuadiata & de facto obligata, & hoc ci-
tationibus omnibus lucris, perlucris vadijs triplicatis, exin-
de sequutis, per Generosum N. super te pro non solutione
summę N. vadiisque similibus ad inscriptionem C. C. A. per
olim Generosum I. M. fratrem tuum factis, perductis, &
continuatis latius in se sonantibus, ob idque per te idem a-
ctori ad soluendum succubitis, ac pro exequēda re ipsa Prin-
cipali videlicet evictione & emundatione prędmissa eorun-
dem bonorum, vigore inscriptionis eiusdem, ad quam se idē
actor cum citatione præsenti in toto refert: pro quo itaque
vadio ac pro exequutione prędmissorum te idem Actor vti
prędfertur virtutæ inscriptionis prędictæ citat, ad præmisse
tibi in termino prędsenti latius declaranda officiose respon-
surus, &c.

Ad continuandum iuris processum transfusum.

Qui decitat ad inscriptionem C. C. N. per Generosum
N. in se cum omni iure & processu transfusam, vigore iuris
sui acquisiti & ad paratam causam citationesque quibus de
prędfatus N. citauerat & te idem actor N. prędsens adcitat,
ad contumationem iuris in causa supra scripta, & eum pun-
ctum, in quo ad prędsens pendet indecisa, qua citatione
prędnominatus N. te citauerat in hęc verba scribatur tota.

Ad inscriptionem sub intromissione pro vadio vigore cessionis.

Ad instantiam Generosi N. ius cessum & condescens ad
infrascripta à Generoso N. habentis, personaliter legittimè

perem

peremptorieque compareas. Qui te vigore iuris eiusdem cessi à suprascripto N. ad infrascripta omnia habiti & in se actis C.C.N. transfusi citat, iuxta & ad inscriptionē C.C. N. qua in inscriptione mediante inscripsisti te & de bonis omnibus obligasti Generoso N. summam N florenorum pecuniæ Polon. pro festo iam prętcrito soluere & ad acta Cast. C. D. reponere & relinquere, vel in defectu eiusmodi summæ persolutionis intromissionem realem & liberam cum possessione actuali, dum ad eandem acceptandam prędictus A. miserit, vel venerit omnia & singula bona tua hæreditaria & obligatoria mobilia & immobilia super bonis & hęreditate villæ N. consistentibus, dare & libere admittere, sub vadio summæ essentialis simili N florenorum pecuniæ monet: & num: polon. de qua inscriptione suprascriptus N. Actis C. C. N. totaliter cessit, cuius demum inscriptionis cessionarię à suprascripto habitæ N vigore memorat Generosi N. actori moderno de inscriptione memorata C C. D. tum summa in eadem inscriptione contenta sibi per eundem Generosum N. modo prędicto transfussis, actis C.C D. cessit & condescendit: alias prout inscriptiones prędictum originales C.C.D. quam & condescensorię C.C.C. & C. C. S. prędictorum omnium latiorum in se complectuntur effectum. Sed quia tu inscriptioni tuę prędictę contravenendo vadiumque eidem appositum non metuendo, summam suprascriptam originalem N. florenorum pecunię ipsi actorius cessum prędictum ad id suprascripto Generoso N. habenti, pro tempore suprascripto in eadem inscriptione expresso iam præterito non persolvisti, & circa acta C. C. N. non reposuisti & non reliquisti, nec intromissionem liberam cum possessione dum ad dandum, acceptandamque prædictus Actorius cessum memoratum ad id habens miserat, in omnia

& singu-

& singula bona tua hæreditaria & obligatoria suprascripta mobilia & immobilia super bonis & hæreditate villæ N. consistentia dedisti & admisisti prout id contra te officiosè protestatum extat tibique in termino advenienti latius declarabitur: ideò vadium præfatum N. florenorum pecuniæ N. ipsi actori ius cessum præfatum ad id habenti succubuisti, & es transgressus: Pro quo itaque vadio N. florenorum pecuniæ ac pro adimplendis nihilominus præmissis omnibus, ad quæ stringente te inscriptionem eandem, præmissa omnia latius in se complectentem. Sis igitur ad præmissa omnia tibi in præsentium termino latius deducenda iudicialiter officioseque responsurus.

Pro emundatione bonorum ab inscriptioni priori & posteriori.

Exordium vt supra &c. ceterisq; inscriptionis tuæ præfatæ clausulis eadem bona obligata ab inscriptionibus prioribus & posterioribus iuribusque omnibus & singulis semper munda & pacifica facere: Idque sub vadio similis summæ N. ad soluendum succubendo, alias prout eadem inscriptio vigore cuius citaris & iuxta quam actor contra te proponit in nullo ab eadem descendendo latius in se præmissa omnia complectitur, se se inscripsisti: cui quidem inscriptioni tuæ, tu contraveniendo, vadiumq; prædictum eidem ratione præmissorum non præstitorum oppositum, postponendo; eadem bona, modo quo supra sibi obligata, ab inscriptione posteriori N. arendatoria per te in manus Generosi N. facta, emundare & pacifica facere non vis: quo facto vadiũ prædictam N. sibi actori ad soluendum succubuisti & es trãsgressus; pro quo itaque vadio te idem actor citat vt ipso persoluto eadem bona munda & libera ab inscriptione prædicta facias, & præstes quod in amplissima forma iuris stringente

te vigorosa tua submissione, & lege priuata teneris. Sis igitur ad præmissa omnia meliori modo tibi latius in termino præsentiam declaranda iudicialiter & officiosè responsurus.

Pro debito inscriptione assecurato præscriptione tamen desertata.

Quia tu non vis neque curas eidem actori soluere & restituere summam N. tibi per eundem actorem ad tuam arduam quamvis necessitatem ineffabilemque & inopportunam affectionem in manus tuas datam & concreditam, per te manualiter leuatam, soluereque pro tempore certo iam præterito promissam & assecuratam, quam summam licet eidem actori actis N. inscripseras & tam te ipsum quam bona tua certa oneraueras, ea tamen inscriptio quoniam ob certam causam & insufficientiam suam quamcunque, evanuit, & est desertata, roburque suum vnà cum vadio ibidem vallato amissit, & est coorbata summa tamen in ea expressa per te manualiter leuata nullo modo improbari potest & desertari: Nunc igitur ipse actor non in hæredo inscriptioni, sed tuæ ipsius affectationi & verbo vt tu ipse asserebas certissimo, te citat ad videndum & audiendum te in solutionem summæ præfatæ decerni. Sin vero facere renueris pensat sibi id contra te ad N. & ad totidem damni vel prout Iudicium decernet. Datum.

Citatio ad inscriptionem duarum ratarum pro non soluta vna rata.

Qui te iuxta & ad inscripitionem N. per te sibi actori super summam N. factam & pro duabus temporum ratis, in eadem inscriptione expressis, solui inscriptarum, idque pro vadio primæ ratæ correspondenti, scilicet N. florenorum pecuniæ pro tempore in eadem inscriptione descripto scilicet pro Festo N. proxime preterito ad soluendum succubito:

pro quo vadio primæ ratæ correspondenti N. florenorum vt scilicet soluto eodem vadio, eidem actori pro summa prę-fata primæ ratæ M. florenorum pecuniæ satisfacias: te idem actor iuxta inscriptionem Castr. N. latius de his canentem ad quam se cum sua præsenti citatione in toto refert. citat præmissa latius tibi in termino aduenienti declaranda iudicialiter seu officiose sis responsurus. Datum in Castro.

Ad inscriptionem pro duobus ratis.

Qui te citat iuxta & ad inscriptionem C. C. N. per te eidem N. super summam O floren. pecuniæ Polonical. monetæ & numeri in Regno currentis certi, veri & iusti, mutuatique debiti factam & pro ratis duabus temporum infrascriptorum solvi distributam & assecuratam: idque pro vadio N florenorum pecuniæ scilicet vtriusque ratæ alterius quidem A. floren. pecuniæ pro feria N. alterius autem pecuniæ pro feria N. prædicto actori non persolutioni & circa acta C. C. N. non repositionis, respectu vtrinque ratæ ad solvendum succubito: ac nihilominus pro persoluenda summa prędicta principalis debiti, prout de eo inscriptio prędicta C. C. N. cui præsens citatio in toto inhæret; copiosius obloquitur; Pro quo itaque vadio ac pro summa ipsa principali ratarum dictarum vigore inscriptionis prędictæ, citaris pro prędmissis tibi &c.

Citatio ad inscriptionem donatoriam cum clausulis in eadem descriptis.

Qui te citat iuxta & ad inscriptionem C. C. N. donatoriā qua inscriptione mediante, totas & integras sortes suas, hęreditarias, paternas & maternas in bonis & villa B G & alia ad id pertinentia in terra & districta N. consistentia, cum omni iure dominio & proprietate eidem N. possessori, dedisti, donasti, inscripsisti, ac imperpetuum resignasti, & realem

intromissionem cum possessione actuali & pacifica in eadem bona, per te eidem A. S. dedisti, & posteros eius ab omnibus impedimentis & damnis quorumlibet personarum, status, sexus vtriusque tum etiam ab omnibus inscriptionibus prioribus & posterioribus tueri defendere, intercedere, evincere, eliberare, ac vbilibet indemnem, ac indemnes & nec possessionem cum intromissione denegare aut data quovis modo nec per suos quasvis submissas & subordinatas personas, prępedire & in eis iniuriari, sub damnis Terrestribus eidem S. B. & posteris eius ad solvendum succumbēdo. Quemadmodum de pręmissis inscriptio prænominata C. N. donatoria latius testatur & obloquitur: cui quidem inadmodum de pręmissis inscriptio prænominata C. N. donatoria latius testatur & obloquitur: cui quidem inscriptioni donatoriæ contraveniendo, & damna Terrestria minimè formidando, existens solus defensor eiusdem A. D. eundē, in bonis præfatis per te sibi donatis & inscriptis & data sibi intromissione reali cum pacifica & actuali possessione, molestas & impedis: Nam etenim anno proxime (in exemplum) præterito, ex omnibus Kmethonibus, Hortulanis, Molendinatoribus & Tabernatore in villa B. residente, censum certum ex eis relegisti & accepisti, nullum ius & interesse ad eadem habendo per quod eundem A. B. in bona prędicta damnificasti, damnaq; non mediocria & iniurias ei fecisti, quo facto damna Terrestria quæ sibi idem actor ad N. pecuniæ æstimat & pensat, eidem A. S. ad solvendum succubuisti: pro quibus damnis Terrestribus per te succubitis, modo prędicto, inhęrendo inscriptioni prędictæ, ad quam se prędictus citatus in toto refert, te prędictus A. S. citat, præmissaq; tibi in termino prędicti latius declarare intendit, iudicialiter sis responsurus.

Citatio ad inscriptionem dictam Ryczart.

Qui

Qui te citat iuxta & ad inscriptionem C. C. N. qua quidem inscriptione mediante, te eisdem Mobilibus C. D. S. inscripsisti & obligasti omnibus in solidum 1000. florenor. pecuniæ pro die ac festo N. proximè prætérito dare, solvere & circa acta C. C. N. realiter & in effectu, reponere & relinquere, sub vadio similis summæ N. quod vadium in causa non solutionis & non repositionis, pro tempore prefatæ summæ pecuniariæ, sine quavis citatione decreto, processuque iuris, ac corporali iuramento in summam principalem, essentialemque ac certum, verum ac liquidum debitum converti debuit, ita quod summa principalis, cum vadio iuncta deberent esse duo millia florenorum pecuniæ: quam deinde summam pecuniæ sic vt præmissum est in summam principalem conuersam inscripsisti, & obligasti, prænominato C. D. ad soluendum succumbendo: prout de hoc inscriptione eiusmodi tua ad quam te presenti citatione sua, ipsi cum toto referunt latius in se & suo tenore canit; sed quia tu inscriptioni tuæ prefatæ spontaneæ contraveniendo, neque ipso die festorum præteritorum summam principalem solam neque in crastino iam cum vadio in eadem summam principalem conversa coniunctim; videlicet 1000, florenorum non solvisti: igitur vadium similis summæ 1000. floren. pecuniæ ad solvendum ipsis A. B. succubuisti, pro quo quidem vadio ac pro summa principali cum vadio in eam conversa cõiunctim videlicet 2000 florenor. pecuniæ te citat ad hæc & ad alia tibi in termino advenienti, latius declaranda sis officiosè responsurus.

Pro residuitate summæ.

Qui te citat ad inscriptionem C. C. N. per te sibi factam, quia inscriptione mediante tu eidem inscripsisti summam N. solvere & circa acta N. reponere pro die & tempore specifi-

cato iam præterito, sub vadio similis summæ residuitatis videlicet N. huc vsque non persolvisti, propterea vadium in inscriptione appositum, ob ratæ per te restantis non solutę summæ N. eidem ad soluendum succubuisti. Pro quo in vadio te citat vt eodem persoluto, residuitatem summæ supra allegatæ, eidem actori ob submissionem tuam persolvas, ad prędmissa tibi in termino aduenienti declaranda sis iudicialiter & officiosè responsurus.

Citatio pro famulo absque literis testimonialibus à priori domino obtentis suscepto.

Qui te in hærendo Constitutionibus citat ideo quia tu in contrarium eorundem Constitutionum ausus es honestum servitorem N. ipsius actoris proprium tempore certo non ita pridem præterito, sine literis manu missorialibus, ad te profugum vsurpare, & officiosè apud te arestatum, circa te, te retines, nec eum aliquoties admonitus in huc vsq; tempus ipsi actori extradere vis, quo facto in pœnam centum marcarum pecuniæ iuxta Constitutionem eandem succubuisti, & incidisti, pro qua itaque pœna, & nihilominus pro extraditione eiusdem servi, citaris ad prædmissa iudicialiter respõsurus.

Citatio contra famulum ex Officio famulatus.

Tibi Nobili N. ex Officio famulatus tui de omnibus bonis tuis per te vbilibet & quomodo libet in Regno Poloniæ habitis & possessis personaq; tua vigore Regio & nostra qua in hac parte fungimur authoritate mandamus: quatenus coram Officio nostro N. feria N. ad instantiam Generosi N. personaliter peremptorieque compareas. Qui te citat pro eo. Quia tu existens servus eiusdem manu stipulata deditus ex rebus quæ curæ tuæ commissę erant (specificentur res) ausus es non facto debito vt parerat sufficientique eidem

actori

actori calculo, inscio eodem actore ab eo profugus discedere. Quod feciſti in damnum actoris non mediocre; Et quod sibi contra te peasat ad N. marcas pecuniæ & ad totidem damni: vel prout Officium decernet: iudicialiter sis ad præmissa omnia tibi in termino vberius declaranda & ededucenda responsurus. Datum.

Similis.

Qui te citat tanquam servum male fidei pro eo. Quia tu factus sponte tua servitor eiusdem actoris dataque manu de fideliter exercendis peragendisque negotijs quibusvis licitis & honestis, ab eo tibi iam in re Oeconomica quam alia quævis committendis eisque omnibus quę à servitoribus Dominis suis præstare competit diligenter procurando custodiendo, & fine effectuq; licito sortiendo. Tu verò officio boni servi postposito &c. Verum de his omnibus sufficiētē rationē non reddens, aut id quod tibi cōpetebat præstans, profugus discessisti teque in officio susceptō non ita vt decebat conservasti, ac ea omnia in graue damnum & iniuriam actoris perpetrasti. Quod sibi contra &c.

Pro pœna Iudicialiter decreta.

Ad instantiam Officij Castrensis N. iusque Instigatoris nec non Generosi N. compareas. Qui te quantum pro cuiusque interesse spectat concitant alias *przypowieszczą cię* ad soluendum & satisfaciendum sibi pro pœnis N. super te, ratione (scribatur pro quo) Pro quibus itaque pœnis sis pro præmissis satisfacturus. Datum. &c.

Pro theloneo inique extorto.

Tibi &c. (Notandum quod theloneator habet forum coram quocunque Iudicio & Officio, quod erit in arbitrio actoris, vbicunque velit eum citare, cum causa infrascripta caret foro & districtu.) Qui te citat pro eo: quia tu non ve-

ritis pœnis Statutorum Regni super Theloneatores iniqua exactione thelonei, contra libertates onerantes, sancitis, reiectaque in partem æquitate iuris ac privilegij actoris de non soluendo theloneo occasione quarumcunque rerum per Serenissimos Reges gratiosè concessi, ausus es tempore certo non ita pridem præterito, prætextu cuiusdam asserti thelonei, res infrascriptas videlicet ipsius actoris proprias, (specificentur res) per Notarium suum Cameræ N. in oppido N. in theloneo quodam asserto, recipere & exigere ac eundem in extorsione thelonei cuiusdam asserti, ad quod iuxta privilegium suum non tenetur (ac si etiam teneretur, quod fortiter negatur) vltra consuetam thelonei solutionem onerare & onerando ipsas res loco summæ (si ita fuerit) pecuniariæ sibi recipere & exigere, in præiudicium atque damnũ magnum actoris præmissa faciendo. Quo facto in pœnas, prædictis legibus Regni sancitas; ob extorsionem iniustam, & contra libertatem eiusmodi thelonei incidisti & incurristi. Ad quas contra te & super bonis tuis omnibus decernendas, easdemque res taliter extortas sibi actori restituendas citatis. Quoniam verò huiusmodi res quæ taxa indigent exegisti & recepisti, & si eas restituere volueris vel neglexeris, vt habeat in quo te condemnes; taxat sibi præmissa contra te ad N. millia: & ad totidem damni vel prout iudicium decernet: Sis ad præmissa tibi latius in termino præsentium deducenda & declaranda iudicialiter responsurus.

Pro portatione bombardarum.

Qui ex dellatione N. citat te pro eo: quia tu in contrariũ legum & Constitutionum publicarum de non portandis in ciuitate bombardis sancitam, ausus es die N. in ciuitate N. per te & per seruos tuos quorum nomina & cognomina melius nosti; bombardas quatuor longas, vulgò *Pulchaki*;

pul-

pulvere & globis onustas deportare & cum ipsis per ciuitatē ambulare, quo facto in pœnam legibus de portatione bombardarum descriptas seorsim & specialiter, à qualibet præfata bombarda prouenientem, iuxta Constitutionem Regni, præfatæ actoreæ parti, ad soluendum succubuisti, pro quibus pœnis respectu cuiuslibet bombardæ, seorsiuè succubitis, vigore Constitutionis Regni præfatæ citaris: sis igitur iudicialiter seu officiosè coram officio nostro responsurus. Dat.

Pro ducillo contra saperintēdētem Theloneatoris & Theloneatorem.

Ad instantiam Generosorum N. N. Quia vos ausu quodā temerario à viginti tunnis N. in oppido N. per eundem Nobilem N. pro sua & ipsius N. necessitate emptis, ducillorum nomine contra præscriptum Constit. generalis Varsauiensis. seu Vniuersaliorum; flore nos N. violenter recepistis, per quod in pœnas iuris communi contra eiusmodi depactatores descriptas incurristis, ad quas super vobis decernendas & extendendas, citamini ad præmissa latius vobis declaranda & proponenda sitis iudicialiter responsuri: & vt habeant in quo vos condemnent. &c.

Pro non statuitione Impossessionati,

Ad instantiam &c compareas, tecumque N. famulum tuū proprium tanquam impossessionatum domi tuæ perseverantem coram præfato Officio nostro statuas. Qui sibi præfato actori N. (in exemplum) violenter tria vulnera cruenta intulit in capite, homini pacifico pace communi assecurato: Quæ vulnera supra scripta super ipso Officium nostrū præfatum N. in recenti vidit, debita conspexit & pro vulneribus cruentis, iuxta statuti dispositionem suscepit, ac ad alia tibi in termino aduenienti obiicienda & latius declaranda: Quod si illum non statueris aut statuere & sistere contem-

pseris aut neglexeris: extunc præfatus N. pensat sibi contra te ad N. marcas pecuniæ vel prout iudicium nostrum decernet. Officiose sis responsurus. Datum.

Pro non statuitione impossessionati; qui sibi non curat restituere certum debitum.

Quia tu non vis statuere coram Officio nostro N. Nobilem C. de G. tanquam impossessionatum domi tuæ moram gerentem ac perseverantem qui retenta illi certa summa pecuniaria videlicet N. pecuniæ certi veri & liquidi debiti pro certo debito soluturum, hinc inde divagantem & domi tuæ manentem de solutione eiusdem summæ suprascriptæ eidem non curantem; idcircò tibi vt præmissum est vigore Regio nostraque Capitaneali qua in hac parte fungimur authoritate mandamus, quatenus pro termino tibi superius specificato, præfatum Nobilem N. tanquam impossessionatum, coram Officio nostro C. C. N. statueres, ad hæc & alia tibi pro tunc obijcienda & declaranda; ad videndumq; & audiendum contra ipsum, statutum de impossessionatis æditum extendi & promulgari: & si illum statuere neglexeris aut contempseris extunc præfatus N. pensat sibi contra te ad N. Marc. pecun. vel prout Officium nostrum decernet: Ad præmissa sis Officiosè responsurus &c. Datum.

Contra patrem occasione non statuitionis filiorum impossessionatorum.

Qui te citat pro eo quia tu non vis statuere coram nobis aut Officio nostro C. C. N. nobiles B. C. filios tuos legitimos tanquam impossessionatos in bonis tuis proprijs & hæreditarijs, villæ N. per Ministerialem Terrestrem arrestatos, qui præfati filij tui eidem inimicitias ac insidias apertè denunciant, ac ipsum collo ac vita privati diffidant: Idcirco tibi &c. vt supra. Tu verò sive comparueris sive non, nos

ad ea

ad ea quæ nobis & Officio nostro incumbunt contra te procedemus. Datum in Castro.

Pro violenta captivatione seu detentione Kmethonis in via libera.

Quia tu non attentis pœnis legum contra violatores stratæ publicæ, æditis, imò in contemptum statutorum seu Constitutionum Regni, eundem N. tempore nuper præterito, cum rebus secum in curru per bona tua hęreditaria villa N. vehentem, videlicet N. N. vi & violenter captivasti detinuisti, ac ipsummet solum incarcerasti, demum è vinculis emisso res prędictas suprascriptas circa te reliquisti tibique vsurpasti & appropriasti, neque easdem vt iuris est Officio præsenti Castr. Cap. N. tanquã foresta Regiæ præsentasti. Quod contra te sollenniter Officio Castr. N. est protestatum, tibique in termino advenienti latius declarabitur & deducetur: Pro quo tuo eiusmodi facinore vult atque se paratum offert convincere. Ideo te citat ad videndum & audiendum te pro prædicto facinore iuxta præscriptum iurium animadverti, & iuxta eadem iura puniendum decerni. Pro damnis verò exinde sequutis, nec non & pro rebus pro tunc sibi receptis, reservat sibi salvam & specialem actionem in foro competenti tecum iure agendi, ad præmissa &c.

Pro importatione citationis ad bona aliena.

Quatenus coram nobis in Iudiciis nostris Castr. Capit. N. in castro N. feria N. nunc instans proxima celebrandis, vel dum & quando eiusmodi Iudicia nostra prius & proximius celebrabuntur: Ad instantiam &c. Qui te citat pro eo. Quia tu nescitur quo animo contraveniendo legibus Regni, quæ citationes in bona aliena super personas in eisdem bonis nihil habentes, importare vetant, & prohibent, tempore certo proximè prętcrito citationes duas quasdam affertas Ter-

restras N. primas ad Iudicium N. in & super Generosum N. alteram ratione (scribatur quod in citatione) taxando præmissa ad N. & ad totidem damni; alteram vero ratione (scribatur vt est in citatione) taxando præmissa ad N. & ad totidem damni alias prout eadem citationes (ad quorum tenorem in specificatione & nominatione rerum in eisdem ac iniuriæ descriptum, sese Generosus Actor refert) latius præmissa omnia in se continent & obloquuntur; ad bona villæ præfatæ N. ipsius actoris propria & hæreditaria, in personam in eisdem bonis ac ad eadem bona nihil iuris dominij, aut aliquid proprietatis habentem importasti & importare procurasti, volens earundem citationum importatione, iuri hereditario Generosi actoris obesse & nocere, faciendo præmissa in damnum & iniuriam Generosi actoris non mediocrem. Quod sibi contra te penfat, &c.

Pro expoliatione domus contra impossessionatum.

Quia tu homo impossessionatus & vagabundus existens, cum certis tuis adhærentibus, fecisti violatam incursionem in curiam & domum ipsius N. in villa eadem ibidem præsentem more prædonis effractis conclavibus, & seriniis, ipso à domo absente expolisti domum ipsius, videlicet A. N. M. &c. recepisti violenter; pro teque illegittime vsurpasti & quorsum tibi libitum erat, convertisti: Idcirco mandamus tibi vigore Regio & nostra authoritate qua in hac parte fungimur Capitaneali, vt coram nobis &c. in Castro feria &c. cum tuis adhærentibus compareas. Ad instantiam instigatoris Officij nostri &c.

Pro superventione in fundum receptioneque rerum ac frumentorum per Golotam ad Castrum.

Titulus Capitanei &c. Tibi Nobili N. Arendatori bonorum N. villæ si es possessionatus tanquam possessionato, sin

minus

minus tanquam impossessionato de persona tua mandamus vigore Regio & nostra qua in hac parte fungimur authoritate vt coram Officio nostro Castr. Capit. feria N. proxima, dum & quãdo Officij nostri causæ querellarum celebrabuntur ad instantiam N. personaliter legittimè peremptorieque compareas. Qui te citat pro eo. Quia tu superveniẽdo vi ac violenter in fundum hęreditarium N. in anno proximè pręterito, videlicet N. tempore æstivali quo iam temporamessis parabantur, ausus es recipere in currus suos ad id præparatos frumentorum varij generis cassulas N. & receptas quo voluisti, pro vsu tuo convertisti faciendo pręmissa in grave damnum & iniuriam ipsius actoris non mediocrem quod sibi contra te pensat, &c. vel prout Officium ac Iudicium nostrum decernet, sis itaque officiosè ac iudicialiter pariturus, &c.

Pro violenta captivatione Kmethonis.

Quia tu vi & violenter superveniens in villam & hęreditatem ipsius villæ N. manu forti & armata Kmethonẽ ipsius hęreditarium laboriosum N. violenter detinuisti & captivasti quem in tua captivatione, diu prout tibi placuit habuisti, per longumque temporis spatium circa se detinebas, ipsumque ad exercendos tibi labores, certos ibi vbi tibi placuit, iuxta libitum tuum violenter compulisti: faciens pręmissa omnia in præiudicium, damnum & iniuriã ipsius non mediocria nullã iustitiæ administrationẽ apud præfatum M. dominum ipsius iuxta iuris formam affectando: Quæ omnia sibi pensat & æstimat contra te ad N. marcarum pecuniæ cõmunis, exindeq; habet totidem damni vel prout iudicium decernet; & dominus ipsius præfatus N. stat pro pœna sua 3. Marc. pecuniæ iuxta statutum penes ipsum, tanquam subditum suum, ad præmissa tibi in termino advenienti &c.

Datum

Cum aliquis alterum post factam concordiam processu iuridico vexaverit.

Qui te citat pro eo. Quia tu inita cum eodem actore certa concordia & transactione per medium Generosi N. occasione (in exemplum) perlustrorum affectorum siue processes asserti contra ipsum actorem, contra te coram Officio N. pro vadio quodam asserto N. florenorum pecuniæ Polonic: ratione &c. prosequuti erronei & iniuridici, qro quo salvam sibi reservat actionem eo modo, quod videlicet ipse actor redimendo & emendo pacem (non tam perlustrorum quæ de iure stare non possunt) tibi ratione expensarum per te irrogatarum 100. floren. pecuniæ concesserat; tu autem de huiusmodi lucris sive processu asserto, eundem tensbaris quietare coram Officio Castrensi: extunc tu siusmodi transactionem spreviſti, atq; eidem parere neglexiſti, actorēq; vlteriore iuris processu vexare non cessaſti, prout non cessas, in damnum & præiudicium actoris, non mediocre præmissa faciendo. Quod sibi contra te &c.

Pro arestatione subditi alicuius contra Cives.

Quia vos nescitur quo spiritu ducti, imò potiùs temerè contraveniendo legibus Regni, quibus sancitum est: Cives non debere subditos sive Kmethones Nobilium in Civitatibus arestare, nec detinere, pœniſque inde instituatis non formitatis, auſi estis tempore certo non ita pridem præterito anni præsentis laboriosum N. subditum & Kmethonem de villa prædicta N. ipsius Actoris hęreditaria, in Oppido vestro N. frivolè, & nulla causa contra ipsum habita, etſi etiā occasio aliqua fuisset ipso actore, de administratione iustitiæ sum ipso, vti domino suo irrequisiti arestare & hucusq; detinere: faciendo præmissa in damnum & iniuriam ipsius Actoris. Quod sibi contra vos pensat ad N. & ad totidem

damni

damni restitutionemque prædicti subditi sui, vel prout nos sive Officium nostrum predictum decernet, ad præmissa vobis latius in termino præsentium declarandæ iudicialiter & Officiosè sitis responsuri & subditum suũ restituturi. Dat.

Ad audiendum decretum Tribunale approbatorium ex remissione contra impossessionatum pro exequutione.

Tibi Generoso N. de bonis tuis omnibus mobilibus & immobilibus, hæreditariis & obligatoriis, in quantum aliqua habes & es possessionatus, si vero es impossessionatus, extunc de bonis tuis pecuniariis, per te vbilibet habitis & possessis (sine de quevis modo apud Generosum N. consistentibus præsentibus arestantur) personaq; tua Innotescimus Nobilem N. actorem iurevincentum coram Iudicio nostro N. certa perlucra, iuxta & ad inscriptionem N. pro vadio, ratione non solutionis &c. succubito ac pro summa nihilominus principali &c. non per soluta, ac pro complendis præmissis omnibus, super te & persona tua perduxisse, & iure obtinuisse, remissionemq; pro exequutione eorundem perlucrorum, iuxta iuris communis præscriptum tanquam contra impossessionatum obtinuisse. Proinde præfata pars actorea & iurevincens in persona tua vt impossessionati & ratione præmissorum iurevicti, exequutionem eiusdem causæ & perlucrorum extendendam fore necessariam fieri vult. Et quia tu existens iurevictus tanquam rebellis iuri parere non curasti, nec pro perlucris supra scriptis satisfeciſti: qua propter ad brachium Capitaneale, quin potius Regale, cuius vice hac in parte fungimur, causa eadẽ est devoluta. Idcirco tibi vigore Regio nostriq; Officij Capitaneatus autheritate mandamus, quatenus coram nobis seu Iudicio nostro G. C. N. in terminis nostris Castrensbus

bus Iudicialibus in Castro N. feria N. nunc instans proxima celebrandis, aut tunc dum & quando termini eiusmodi nostri celebrabantur; ad instantiam præfati Generosi N. personaliter peremptoriaque compareas. Ad videndum & audiendum te in defectu satisfactionis pro suprascriptis perlucris, vti rebellem, & iuri communi Regni contravenientem de Regno Poloniæ & dominijs sibi subiectis banniti & proscribi, bannitumque & proscriptum pronuntiari, idq; quod iuris est contra te procedi iudicialiter sis præmissa attenta turus, & si quid de forma iuris competierit responsurus. Alioquin contumacia tua non obstante, nos ad ea quæ Officio nostro incumbunt, contra te procedemus seu Iudicium nostrum procedet. Datum.

Adcitatio impossessionati in hærendo decreto libertatis ob absentiam delatoris.

Qui te denuò inhærendo decreto Iudicij nostri C.C.N. quo mediante ob absentiam Nobilis N. delatoris pro illa vice liber es pronunciatus, alias prout hoc idem decretum id latius in se complectitur, adcitat, aliàs *przypowiednie*, & hoc iuxta innotescentiam quæ ex parte ipsius delatoris fuisti innotescitus in hæc verba. Tibi Nobili &c. scribatur innotescentia ad finem & data præsentis verò adcitationis. Datum in Castro N. terra N. Anno N.

CITATIONES VARIÆ AD IVDICIA TERRESTRIA.

Citatio post amissam citationem primam.

Sigismundus III. Dei gratia Rex Poloniæ &c. Non integer titulus scribitur. Tibi Generoso N. de bonis tuis generaliter omnibus mandamus: vt coram Iudicio Terrestri N. in terminis Terrestribus N proximè immediateque ab hinc in

N. ce-

N. celebrandis. Ad instantiam Generosi N. Generosi olim A. N filij, personaliter, legittimè, peremptoriéq; compareas. Qui te post fortuitò amissam citationem (qua te citaverat paulò ante) suam quamvis non eadem verborum seriè, qua prior erat scripta, attamen non recedendo à natura rei ipsius, & causæ, nec citationem suam super citationem importare intendendo, citat te pro eo. Scribatur quod oportet.

Pro intempestiva positione citationis.

Qui te citat pro eo: quia tu contra iura Regni quibus citationes quasvis extradendas esse vna septimana integra sancitum est, ausus es, super eundem citatum, assertum, citationem quandam (scribatur essentia citationis pro quo) ad hoc idem Iudicium nostrum extradere, ac eundem actorem super ipsam condemnare volens, huiusmodique intempestivam positionem citationem quandam (scribatur essentia citationis pro quo) ad hoc idem Iudicium nostrum extradere, ac eundem actorem super ipsam condemnare volēs, huiusmodique intempestivam positionem citationis prædictæ, tali condemnationis in ipsum actorem inducere: faciendo præmissa &c. Quod sibi contra &c.

Citatio post liberam pronunciationem citati à Termino.

Citat te inhærendo decreto Iudicij Terrestris N. (vel officij nostri) (quo mediante liber pro illa vice tantum pronunciatus fuisti in causa infrascripta à citatione & termino, ex rationibus in eodem decreto expressis latiùs canentibus) denuò debitè, iuxta suam citationem qua te citaverat, in hæc verba. Scribatur tota.

Citatio meliorativa.

Qui meliorando citationem suam Terrestrem N. (vel Castellanj N.) nuperrimè contra te erroneè extraditam, & eandem

dem obmittendo, ab eaq; vti erronea recedendo, citat te &c.

Citatio ad transłapsam citationem primam.

Qui te adcitat, aliàs *przypozywa cie*, ad paratam suam citationem literalem Terrestrem N. vel Castrensem N. officiariam primam: paratumque terminum ex eadem provenientem, ob non celebrationem Iudiciorum Terrestrium (vel causarum Officij C. C. N.) sibi tempore non ita pridem præterito transłapsam, qua citatione Citatus fuisti in hæc verba.

Ad paratum decretum & terminum trāslapsum.

Qui te citat ad paratum decretum Iudicij nostri (vel officij) quo tibi est iniunctum &c. (scribatur competenter) cui nondum satisfecisti, ad quod quidem decretum terminum q; ex eodem assignatum provenientem trans-łapsum, te vt supra prænominatus actor citat, vt eiusmodi decreto nostro plenariè satisfacias, prout decretum præfatum, totusq; huius causæ processus in actis nostris N. præmissa fusius disponit, citatioq; (si ita fuerit) literalis N. qua citatus fueras in hæc verba Inferatur.

Citatio recedendo à motione.

Citat te recedendo à motione sua à decreto Iudicij Terrestris N. per Actorem interpositam, tum & toto processu citationeque erronea, & extra proprium districtum extraditam, non autem àre ipsa, imò eandem in pleno robore reservādo, denuò, debite ad propriū districtum citat te pro eo.

Adcitatio post mortem patris, ad cuius citationem terminus nondum venerat.

Qui te adcitat ad paratam citationem N. Nobilis olim N. Patris sui prædicti legittimi, qui antequam terminus ex eadem citatione veniisset ex hac luce decessit, prænominatum verò Actorem vt filium post parentem suum concernit, in-

fra-

frascripta actio, ad quam citatus fueras, à parente prædicto ipsius Actoris, in hæc verba. *Scribantur omnia & concludantur* Ad præmissa tanquam legittimo successori iudicialiter sis responsurus.

Citatio ad paratum terminum ex decreto Iudicij Tribunal. Regni provenientem trãslapsum.

Qui te adcitat aliàs *przypozywacie* ad paratam suam Citationem literalem Terrestrem N. vel Castrensem N. contra te infrascriptorum ratione editam, ac ad paratam causam & Actionem infrascriptam ex eadem Citationẽ intentatam, paratumque decretum Iudicij Trib. Regni N. ex motione decreti Iudicij præsentis (vel Officij præsentis) pro parte ipsius promulgati interposita, quo mediante decretum est tibi (scribatur decretum compendiosè) coram Iudicio nostro (vel officio nostro) N. ac ad paratum terminum ex eodem Tribun. Regni provenientem trasslapsum, quæ sibi actori sunt tecum tempore certo proximè præterito, videlicet Feria N. &c. proximè præterita, (ob pestem, vel ob non celebrationẽ Iudiciorum) translapsa seu interrupta iuxta citationem infrascriptam: qua ex parte ipsius Actoris fuisti citatus in hęc verba. Qui te citat pro eo. Quia tu in anno proximè prętterito, videlicet Feria N. &c. Datum.

Ad audiendum decretum Tribunale approbatorium ex remissione ad Officium Castrense.

Innotescimus oblatum esse nobis seu Officio nostro (vel Iudicio) decretum Trib. Regni N. approbatorium, in causa & actione inter te & præfatum actorem pro parte eius latũ, vnà cum remissione ad nos seu Officium nostrum Capitaneale, pro executione eiusdem decreti approbatorij & originalis in contumaciam tuam approbati, prout hoc decretum fusius obloquitur: Volentes igitur nos ex debito Officij nostri,

stri, illud in toto exequi, & ad debitum finem deducere: Tibi vigore Regio &c. Mandamus &c, Feria N. ad instantiam N. compareas. Qui te citat vigore remissionis Trib. Regni ad videndum & audiendum per nos decretum præfatum, approbatum & confirmatum in toto exequi, præmissa sis Iudicialiter seu Officiosé attentaturus.

Citatio ad prosequandam seu continuandam motionem post mortem.

Qui te concitat & adcitat, revificando causam & actionẽ ac citationem tibi per Nobilem N. patrem olim suum institutam idque post mortem olim patris sui, nuper vita functi, qua in causa (in exemplum) solutio damni per te succubiti est decreta: verum quoniam ab hoc decreto appellationem interposuisti, ideò vt supra nominatus N. vti filius & successor legittimus olim N. patris sui, adcitat te citatione revificatoria ad prædictam appellationem per te prosequendam, & ad videndum & audiendum decretum in causa supra scripta pro parte prænominati Actoris latum, per Iudicium Trib. Regni approbari, & prout de iure venerit, contra te procedi: ad præmissa sis &c. Datum.

Concitatio pro satisfactione lucri, ex vi motionis in Iudicio Trib. Reg. obtenso.

Qui te concitant aliàs *przypozywaia cie*, ad solvendum & satisfaciendum sibi pro his omnibus pro quibus te in Iudicijs Ordinarijs Generalibus Trib. Regni N. tempore non ita pridem præterito in termino ex vi motionis incidente, in toto suo lucro pro toto coram eodem Iudicio Trib. Regni N. iudicialiter condemnaverunt, iuxta acta & citationem suam secundam in acta motionis interpositæ contentam qua te citaverunt nimirum pro eo. *Inseratur citatio & concludatur.* Pro præmissis itaque sis Iudicialiter responsurus.

Pro

Pro potioritate iuris.

Quia tu nullo iure tenes & possides, imò vi & violenter occupas, bona N. eiusdem olim N hęreditaria, ad quæ bona idem actor, ius potiùs melius & pinguius habet. Quod sibi contra te penſat ad N flor: pac: Polonicalis: vade habet & totidem damni. Nihilominus citaris ad videndum & audiendum bona eadem Actoreæ parti, tanquam ius potiùs & pinguius habenti adiudicari, iura eadem approbari, condescensionem de bonis decerni, &c.

Pro occupatione bonorum prætextu inſcriptionis nulliter obtentæ.

Quia tu prætextu quorundam inſcriptionum, vt tu præſumis, quæ quidem de iure communi nomine inſcriptionum dici non merentur, bona ipſius Actoris hæreditaria, videlicet villas N. A. de facto occupaſti, poſſeſſionemque illerũ ipſi ademiſti: quoniam verò præſumptæ inſcriptiones tuæ nulliter atq; incompetenter confectæ, & aliis pleriſq; vitijs iuris ſunt refertæ quamobrem te ipſe actor citat ad videndũ & audiendum ex rationibus certis per Actorem in termino advenienti deducendis, præſumptas tuas inſcriptiones caſſari & annihilari & tandem memoratorum bonorum deoccupationem poſſeſſionemque prædictorum bonorum, ipſi actori, vti verò & legittimo hæredi adiudicari. Cæterum ſi & in quantum de legalitate alterutrius prætenſarum inſcriptionum conſtiterit; extunc & ad attentandum eam ipſam inſcriptionem præſumptam declarari, poſſeſſionemque tuam definiri: idque quod iuris eſt in præmiſſis decerni. Nihilominus tamen pretenſam inſcriptionum bonorum prædictorũ ipſe actor æſtimat ſibi contra te ad N. millia florenorum pecuniæ, & ex inde habet totidem damni, vel ita, prout Iudicium decernet, iudicialiter ſis reſponſurus. Datum.

Alia pro occupatione.

Quia tu tenes & possides villam N. nullo iusto iure desuper habito, quorum bonorum medietas ipsum N. iure hereditario vigore iuris sui quæsiti à Nobili N. habiti, concernit de qua medietate bonorum præfatorum quantum pro ipsius interesse pertinet, census, fructus, & redditus, ac vtilitates quasvis tollis & percipis ad iniuriam ipsius; sibique Actori tanquam legittimo hæredi fortis suæ bonorum præfatorum de bonis præfatis, quantum pro interesse ipsius pertinet, condescendere non vis, in grave damnū & præiudicium. Quod sibi contra te pensat. &c.

Pro non extraditione subditi.

Quia tu contra Constitutionem Regni ratione infrascriptorum sancitam, ausus es & audes providum N. de villa N. subditum, eiusdem Actoris non mancipatum, famulum verò tuum ab eodem N. profugum, circa se fovere, & conservare, ac eundem sibi vti suo Domino, iuxta easdem Constitutiones Regni non vis extradere, quem apud te arestare non prętermisit. &c.

Pro non extraditione subditi adcitatio post mortem ad translapsum Terminum contra plures hæredes.

Vobis &c. Qui vos seu eum quem ex vobis Actio præsens de iure afficere videtur præsertim vos N. N. in quantum minorennes sitis cum assistentia N. tutorum vestrorum naturalium & aliorum quorum de iure tutoriæ subestis, maritatas quoque cum assistentia maritorum suorum, vti tutorum coniugalium adcitat, alias *przypozywa* ad paratam suam citationem literalem Terrestrem N. contra vos ratione infrascriptorum extraditam translapsam, nec non ad paratā scriptionem termini super eandem citationem vobiscum factam peractamq; & terminum ex eadem scriptione Terrestri

prove-

prouenientem, similiter trasgressum, qui sibi vobiscum in Terminis terrestribus N. proximè præteritis, ob non attentionem vobiscum eiusdem termini sunt transgressi: mutationeq; status virginalis eiusdem N. M. in matrimonialem interrupta: idq; iuxta citationem suam eandem infrascriptã qua citati fugistis, in hæc verba. Quivos seu eum quem ex vobis actio præsens de iure afficere videtur, & præsertim vos A. B. inquantum minorennes sitis, cũm assistentia N. A. B. tutorum vestrorum naturalium & aliorum quorum de iure tutoriæ subestis, maritatas quoq; cum assistentia maritorum suorum, vti tutorum coniugalium, virgo itidem cum assistentia tutorum suoru naturalũ quorum tutoriæ subest vti in diuisæ, citat pro eo. Quia vos eidem Actori laboriosum N. A. de villa N. subditum eiusdem actoris proprium & hæreditarium, tempore certo non ita pridem præterito, cum vxore, pecoribus, pecudibus, totãq; supellectili de mesticam ad villam possessionis vestræ præfatam N. profugum, & ibidem existentem extradere non vultis, imò existentes eo nomine à præfato Actore sæpissime requisiti, eiusmodi extraditionem subditi præfati de die in diem differtis & protrahitis, in damnum, iniuriam, & præiudicium ipsius Actoris præmissa faciendo: quem subditum pensat sibi contra vos ad quingentas marcas pecuniæ Polonicalis in Regno currentis, vel prout iudicium in præmissis decernet. Sitis itaq; ad præmissa vobis in termino futuro copiosius deducenda & declaranda iudicialiter responsuri. Datum.

Pro non administrata iustitia ex subdito.

Qui te citat pro eo. Quia tu sibi actori debitam & competentem iustitiam facere & administrare non vis, cum & laborioso N. A. de villa N. qui quidem subditus (scribatur essentia causæ) præmissa in graue damnum & iniuriam

facien-

faciendo. Quam non administrationem iustitiæ de præfato subdito suo, idem actor pensat sibi contra te ad N. pecuniæ Polonicalis, damnique totidem, vel prout iudicium decernet, pro præmissis tibi in termino latius deducendis & declarandis sis iudicialiter responsurus. Datum.

Pro coarratione fundi & conseminatione varijs seminibus frumentisque.

Tibi Nobili N. &c. ad instantiam Gastrosi N. qui vos citat pro eo. Quia tu anno proximè præterito & præsenti, fundum sive pascuaria actoris hæreditaria ad bona N. actoris hæreditaria pertinentia in longitudinem medij miliaris, (si ita fuerit) in latitudinem similiter medij miliaris coarctasti, & varijs seminibus frumentisque, tam hyemalibus, quàm æstivalibus conseminasti. Intendens per eandem coarrationem & conseminationem eadem pascua, seu fundum actoris proprium appropriare. & actorem eis privari, ad bona autem tua N. adiungere. In damnum actoris præmissa faciendo. Quod sibi contra te pensat (fundum non tangendo) ad N. flor. pecuniæ & ad totidem damni, vel prout Iudicij decernet, sis ad præmissa iudicialiter responsurus. Datum.

Pro confalcastratione prati.

Pro eo. Quia tu in anno N. nunc currenti, subditos tuos de villa N. ad fundum actoris in villa N. situm N. appellatum, immisisti, ibidemque partem prati actoris hæreditarij per eosdem subditos confalcastrasti, fœniquæ N. currus citra vel vltra recepisti, in damnum ipsius actoris præmissa faciendo, quod sibi contra te pensat ad N. marcas pecuniæ Polonicalis, & ad totidem damni, vel prout iudicium decernet, sis ad præmissa iudicialiter responsurus.

Pro demissione frugum.

Quia tu anno præsenti, tempore nuper præterito, stadium

siliginis hyemalis, laboris ipsius actoris, & conseminationis proprii in fundo hæreditatis villæ N. proprio hęreditario in loco dicto N. vbi octo cassulæ colligebantur, immissis famulis, subditis ac mercenarijs tuis violenter demensisti, recepisti in currus tuos, & quo voluisti, convertisti, in grave damnum & iniuriam ipsius non mediocrem, prędmissa faciendo. Quod sibi, &c.

Pro coarratione metæ.

Quia tu tempore nuper elapso superveniendo, vi & violenter eam subditis tuis de præfata N. villa tua hæreditaria a fundum actoris proprium & hęreditarium in eadem villa N. iacentem, videlicet metam quæ fundum eiusdem actoris a subdito vestro dividebat nuncupatam coarasti, & vltra hãc metam instar duodecim sulcorum (si ita fuerit) campum actoris proprium & hęreditarium coarasti, volens fundum actoris fundo tuo appropriare, in grave damnum actoris præmissa faciendo. Quod sibi &c.

Pro quercu dissimitante exciso vel metæ dissectione.

Quia tu, nescitur quo spiritu ductus, imò vi & violenter immissis subditis tuis de bonis N. quercum acialem (vel metam, vulgò *viazd* granicialem) in graniciebus bona tua N. hæreditaria & villam N. eiusdem actoris hæreditariam dissimitantem excidisti, vel annihilasti (si meta fuerit) & destruxisti, & excisam quo voluisti convertisti: volens per eandem destructionem granicierum non modicam partem fundi actoris hæreditarij adimere, & sibi appropriare. Citaris itaque ad attentandum si id de iure venerit decreto Iudicij Terrestris N. cogi, vt officium Succameriale, sumptibus tuis educas, & per hoc idem Officium in locum quercus granicialis excisi, scopulum granicialem sipares facias & procures, luitis pœnis de iure luendis. In quantum verò contumax

extiteris, pensat sibi præmissa contra te, ad N. pecuniæ Polonicalis, & ad totidem damni, vel prout Iudicium decernet, præmissa iudicialiter sis attentaturus & si quid de iure venerit, responsurus. Datum.

Pro sepe posita.

Quia vos tempore certo in anno præsenti N. in fundo & hæreditate ipsius actoris, in præfata villa N. consistentem, super piscinam (si ita fuerit) aliàs *nadstawem*, eiusdem actoris propriam, posuistis sepes aliàs *postawiliscie ploty*, intra quas sepes, non modicam partem fundi eiusdem actoris proprij appropriare sibi vultis, appropriatisque in damnum eiusdem actoris: pro quarum sepium deportatione, ad iudicium nostrum citamini, & vt habeat idem actor, in quo vos condemnet, pensat sibi id contra vos ad N. pecuniæ Polonicalis, & ad totidem damni (fundum tamen in tangendo) vel prout iudicium decernet, ad præmissa vobis in termino fusius deducenda, sitis iudicialiter responsuri.

Pro depabulatione prati pecoribus.

Quia tu eidem actori tempore certo non ita pridem præterito, nescitur quo spiritu ductus, imò verò vi & violenter pecoribus tuis immissis pratum in fundo eius hæreditario dicto N. situm, ex quo duo acervi fœni citra vel vltra colligi solent depabulatus es faciens præmissa &c. Quod sibi idem actor contra te pensat & æstimat ad N. pecuniæ Polonicalis (fundum tamen non tangendo) vnde habet & totidem damni. &c.

Pro excisione sylvæ.

Quia tu tempore certo proximè præterito in anno nunc currenti immissisti vi & violenter subditos tuos de villa N. in fundum hæreditatis villa B. ibidemq; in sylva actoris propria per eosdem subditos, arbores, pinus aliàs *sosien* pro tecto aliàs *na krokwy* valentes in numero N. vi ac violenter excidisti,

sti, ad fundum villæ N. devehere feciſti, & pro vſu tuo quo voluiſti convertiſti, in grave damnum, &c.

Pro dimiſſione piſcinæ.

Quia tu eidem actori tempore certo non ita pridem præterito, ſtagnum aliàs *ſtawek* in fundo villæ N. ſitum in loco N. dimiſiſti, & ex eo ſtagno piſcium varij generis, quinquag nta (in exemplum) vaſa aliàs *cebrow* citra vel vltra expraniſ es, & pro vſu tuo ſeu quo voluiſti convertiſti faciens p ęmiſſa in grave damnum actoris eiuſdem iniuriamq; non m diocrem. Quod ſibi &c. (fundo in tacto) contra vos pē- ſat. &c.

Alia.

Quia tu tempore nuper elapſo, neſcitur quo ſpiritu ductus, imò vi & violenter ſubditos & famulos tuos multos tibi de nomine & cognomine notos, in fundum hæreditatis villæ N. eiuſdem actoris hæreditariam immiſiſti qui immiſſi, duo ſtagna vnum N. nuncupatum, alterum penes eum iacēs varijs piſcibus referta, aggeribus perfoſis, & palis conſecatis dimiſerunt, tuq́ue per eos dimiſiſti. Quo facto & ſtagno N. carpionum ſexagenas N. citra vel vltra luceorum itidem ſexagenas N. ſex genam carpionum decem florenis quamliber æſtimando, luceorum autem ſingulas ſexagenas ſedecim florenis Polonicis æſtimando, quæ partim per tuos ſervos & ſubditos ſunt expranſæ partim corruptæ, & in nihilū converſæ, tuq́; per eos partim exp ātiſti, partim corrupiſti & in nihilū redegiſti. Ibidēq́; molendinū (ratione cuius ſalva actio tecum manet) cum tuis ſervis & ſubditis deſolaſti, aliàs prout de his obductio latius canit, in grave damnum actoris p ęmiſſa faciendo. Quod ſibi &c.

Pro Inundatione.

Citat te pro eo. Quia tu nimia elevatione aggeris, circa ſtagnum inter bona tua villæ N. conſiſtentem, noviter facta

ac aquæ nimia elevatione ac detentione inundasti sibi non parvã quãtitatẽ fundi ipsius actoris hæreditarij villæ & hæreditatis N. lõgitudinis quatuor stadiorũ cirtra vel vltra: eaq; inundatione, pascua, prata, & agros hæreditarios ipsius N. submersisti, sterilesque fecisti, de quibus pratis ille copiam fœni recipiebat quotannis: faciens præmissa ad iniuriam & damnum præfati actoris non mediocria. Quod sibi contra te pensat & æstimat ad N. pecuniæ & totidem damni, perpetuitatem fundi non tangendo: vel prout iudicium decernet. Nihilominus vt eundem ipsius fundum exsiccares, & aquam dimitteres, ad præmissa & ad alia intermino advenięti tibi latius declarandas sis iudicialiter responsurus. Datum.

Pro scopulis parietalibus disiectis.

Quia tu tempore certo non ita pridem præterito nescitur quo spiritu ductus, imò verò vi & violenter privata tua authoritate superveniendo (si ita fuerit) cum subditis & servitoribus tuis, cum aratris, ad fundum eiusdem Actoris proprium & hæreditarium in hæreditate villæ N. situm ibidẽq; scopulos parietales in numero (in exemplum) decem bene notabiles, bona tua præfata N. & bona N. villæ prędatæ M. præfati Generosi N. distinguentes & dislimitantes coarasti, & in nihilum convertisti, volens per hanc coarationem & disiectionem scopulorum prędatorum fundum ad villam prędatam M. pertinentem adimere, & bonis tuis villæ N. appropriare, totasque granicies in nihilum redigere curas & intendis, quæ omnia contra te sunt obducta & protestata, quod sibi idem actor pensat contra te (fundum non tangendo) ad N. floren: pecuniæ Polonicalis, & exinde habet totidem damni vel prout iudicium decernet. Quare citaris ad videndum & audiendum te ad erectionem & reperationẽ dictorum scopulorum per te disaratorum in eisdẽ locis vbi

antea

antea erant erecti sumptibus tuis, educto Officio Succamerariali decreto Iudicij præsentis mediante stringi, ac in præmissis id quod de iure venerit decerni & procedi. Sis igitur præmissa iudicialiter auditurus, visurus & attentaturus, & si quid de iure competierit, responsurus.

Ad renovandas granicies:

Qui te citat ad faciendas granicies. vbi non sunt, ad renovandas vbi sunt, inter villam N. actoris hæreditariam ex vna & bona tua N. ex altera parte, tum ad attentandum eidem Generoso N. actoratum decerni, & adiudicari. Præmissa sis attentaturus, & si quid tibi competierit ad ea responsurus Datum.

Pro mala retentione Officij Succamerarialis in limitibus faciendis.

Vobis N. Quia vos spretis legum publicarum de observandis processibus Iudiciarijs, circa faciendos limites, inter bona Nobilium editis, seu sancitis, nescitur quo iure aut facto, in loco Campestri, dum & quando præfati actores cum Generoso S. P. inter bona ipsius hæreditaria dicta B. ex vna, & altera bona ipsorum dicta K. parte ab altera, cum iuxta occasionem Officij Succamerarialis continuabant, atq; ibidem Iuridicam eandem limitum actionem suam determinari volebant, in propria ipsorum hæreditate, & in loco circa villam dictam N. eundem Succamerarium revocastis seu retinuistis, alias *zebamowaliscie*, & ijsdem iter præpediuistis, & vlterius eidem Officio transire à loco præfato non permisistis, faciendo præmissa in grave ipsorum damnum & præiudicium in levipendium q; processus Iudiciarij de observādis limitibus eisdem sanciti, & contemptum: alias prout ex omnia ex parte ipsorum ibidem contra vos sunt protestata, prout fusius vobis in termino affuturo ea omnia latius de-

clarabuntur: quod sibi æstimat contra vos ad N. & exinde habet totidem damni Datum.

Pro non solutione census Widerkauff.

Qui te citat ideo. Quia tu eidem Actori N. censum reemptionalem in bonis suprascriptis per antecessores tuos inscriptum pro summa N. vngaricalium auri puri & iusti ponderis in vim reemotionis, alias *na widerkauff* emptum, & in bonis præfatis assecuratum ad altare N. spectantem & pertinentem per annos N. (si ita fuerit) infrascriptos, videlicet ab N. A. B. singulis annis per N. marcas pecuniæ polonicalis, pro tempore in eadem inscriptione descripto ad quam se idem actor cum præsenti citatione refert solvi & pendi debitum retinuisti, nec eundem censum, pro annis supra scriptis, de bonis superius scriptis solvere vis, imò temerè renuis, in grave ipsius actoris damnum & præiudicium id faciendo. Quod sibi idem actor. &c.

Pro Decima.

Quia tu eidem actori decimam manipularem omnis grani & seminis post omnes agros, Kmethonales villæ præfatæ N. ad Plebanatum N. ex antiquo spectantem & pertinẽtem, & in cuius decimæ vsu & pacifica possessione idem actor cum antecessoribus suis semper extitit pro anno N. presenti recepisti, nec eadem actori exdecimare vti eius possessori legittimo permisisti faciendo præmissa in graue damnũ, & diminutionẽ prouentũ Ecclesiæ præfatæ. Quod sibi, &c.

Pro non solutione pecuniæ vel debiti testamento legati.

Quia tu non vis sibi actori dare & solvere N. florenos per Nobilem N. testamento vltimæ voluntatis suæ (cuius tu pro parte tua exequator extitis) eidem actori legatos, quos tu in persona tua multoties (actore ipso à te petente) sibi verbo bono nobili obstrinxioneq; manus tuæ promisisti pollicituſq;

citusque es solvere & restituere prout teneris ratione officij munus hoc ipsum executionis testamenti præfati peragēs, quam & ratione promisi, & hucusque non solvisti, solvereq; & restituere spernis & neglgis, faciendo. Præmissa in grave damnum actoris. Quod sibi contra te pensat ad M. N. & ad totidem damni, vel prout iudicium nostrum decernet, præmissaq; tibi latius in termino præsentium deducentur & declarabuntur. Iudicialiter sis responsurus. Datum.

Pro non solutione debiti verbalis.

Qui te citat pro eo. Quia tu sibi non vis, imò temerè renuis & recusas, existens ab eodem actore, multoties amicabiliter requisitus, dare & persolvere N. florenos pecuniæ Polonicalis, per te eidem actori tentos, & verbo tuo bono nobili atque militari solvi iamdudum promissos & assecuratos, cuius promissionis tuæ immemor existens, solutionem prædictorum N. florenorum, tuis procrastinationibus, & pollicitationibus de die in diem differs: & prorogas. Quod sibi idem actor, contra te pensat & æstimat ad alios N. florenos pecuniæ polonicalis, vnde & totidem damni habet; vel prout Iudicium decernet. &c.

Ad chyrographom.

Quia tu eidem actori non vis solvere nec restituere florenos N. pecuniæ numeri & monetæ polonicalis, in quem libet florenorum triginta grossos computando, debiti certi per te chirographo certo assecurati, quos N. florenos pecuniæ ipsi actori pro tempore certo iam præterito solvere debuisti, & multoties requisitus illud bona fide reddere promisisti & huiusque solvere & reddere non vis neque curas, in grave damnum & præiudicium eiusdem actoris non mediocre. Quod sibi pensat contra te, &c.

Pro non reddita summa arestata.

Quia

Quia tu eidem actori summam N. maiorem vel minorem per te Nobili N. quovis modo debitam & assecuratam eundē verò Actorē vigore certorum iurium eius, legittimè concernentem, & iuribus eius indubitatis subiectam & obnoxiam, (qua summa sive sit maior sive minor apud te & in bonis tuis arestatur & in oneratur officiose) extradare non vis, in graue damnum Actoris præmissa faciendo. Quod sibi idem Actor. &c.

Pro summa in vsum citati exposita.

Quia tu eidem Actori summam N. florenorum polonicalium, quam actor pro tuis necessitatibus & vsibus, ad tuam vrgentem solicitationem, postulationem, ac petitionem diversis temporibus ac locis exposuit, & postulatus erog vit, & quas expensas ad vsum tuum distributas partim tuo chyrographo, partim regestris suis, aliisque documētis est idem Actor comprobaturus, licet te circa omnem requisitionem eandem summam obstrixisti redditurum, hactenus tamen eidem Actori exinde, ab eo, eo nomine requisitus non reddidisti, imo persolutionem eiusdem summæ de die in diem, ac de tempore in tempus tuis obsecrationibus differs ac cōperendinas. In grave damnum actoris præmissa faciendo. Quod sibi &c.

Pro debito ad regestra mercatoris.

Quia tu sibi non vis, reddere & restituere summam N. florenorum Polonicalium monetæ & numeri in Regno currentis, per te eidem Actori pro panno ex testitudine ipsius ad præstam iuxta regestra ipsius mercatoria (ad quæ se idem Actor cum præsenti sua citatione in toto referi) receptam, tantam & debitam. Quam summam debuisti præfatam Actori ad tempus certum iam præteritum solvere, non solvisti nec hucusq; existens eo nomine sępius ab actore, requisitus, solvere vis, faciēdo præmissa in grave &c. Quod

Pro

Pro pecunia testamento legata non extradita.

Quia tu summam N. per Generosum N. olim N. eidem actori testamento legatam, & per te perceptam vigore dicti testamenti & vltimæ recognitionis dare non vis; imò circa te conservas & retines eadem summam. In grave damnum eiusdem actoris præmissa faciendo. Quod sibi contra te pēfat & æstimat ad aliam similem summam N. & ad totidem damnat, vel prout iudicium decernet. Ad præmissa &c.

Pro verbis inhonestis.

Quia tu in ipsius N. Nobilis contemptum eiusq; Nobilitatis depressionē nulla iniuria per ipsū lacessitus, facto super ipso initio litis, turpibus inhonestisque verbis ipsum hominem probum bonesque de Repub. meritum nulla prorsus suspicionis nota aliquando notatum, bonam famam ipsius demigrando & deturpando ipsum affecisti, vel ipsum increpasti nominando eum esse meretricis filium (vel furem, homicidā, latronem, &c.) faciendo præmissa in grave damnum & iniuriam. Citaris itaq; ad pœnas in legibus de talibus casibus descriptas super te extendendas & decernendas, &c. Vel sic. Citaris ad revocationem; in quantum verò contumax fueris pensat sibi contra te ad N. marcas &c. per quam taxam & damnorum adiectionem, honoris æstimationi non nocendo.

Similis pro verbis inhonestis.

Mandamus quatenus in Terminis Terrestribus N. &c. ad instantiam &c. Qui te citat pro eo. Quia tu sibi lingua tua increpabili ac infrenabili, verba vituperiosa intulisti & obiecisti, nominando ipsum filium meretricis & fraudatorem. Quod fecisti contra statuta & iuscommune Regni & in prę-iudicium & levipendium ipsius non mediocria (cum ipse est de vtroq; parente Nobilis generis, & de legittimo iuxta

ritum Ecclesiæ Catholicæ choro, prout decet procreatus) nec talia verba per te sibi violenter illata & obiecta in instanti revocasti: ob idq; pœnam Statuti iuxta legum Regni præscriptum sexaginta marcarum cum revocatione sibi Actori succubuisti. Citaris itaque ad videndum & audiendum eandem supra nominatam pœnam iuxta iuris communis dispositionem super te decerni, prout tibi in termino adveniendi latius præmissa declarabuntur iudicialiter sis responsurus, In quantum autem non comparueris, pensat sibi Actor pœnam non obmittando, &c.

Alia citatio pro verbis famosis.

Qui te citat pro eo. Quia tu ore suo irrefrenabili usus es bonam famam & existimationem Actoris, verbis scurrilibus quæ tibi in termino commemorabuntur in absentia eiusdē, &c. in præsentia multorum Nobilium lædere & diffamare, volens & intendens eundem Actorem eo facto, hominem de Repub. benè meritum, honestiq; conversationis virum convicijs afficere, lædere & vituperare. Citaris itaq; in quantum obiectionem tuam non probaveris, ad attentandum pœnas condignas facto tuo iuxta præscriptum Statuti de diffamationibus sancitum, super te statui & extēdi. In quātum autem non comparueris pensat sibi Actor contra te (pœnam non obmittendo) ad centum Marcas, &c pecuniæ, danmiq; totidem, seu alias prout iudicium decernet.

Pro capite subditi occisi.

Ad instantiam laborioſi N. D. fratris germanis suprascripti. Qui te citat propterea. Quia tu timore Dei postposito & humanitatis officij immemor, laborioſum D. de villa N. prænominat; A. B. Kmethonem occidisti, & inhumaniter trucidasti in via publica, quod contra te officiosè obductum est, quod sibi pensat & æstimat contra te ad 30. marcas pe-

cu-

cuniæ, & totidem damni, vel prout iudicium decernet. Iudicialiter sis responsurus.

Pro captivatione Nobilis illicita.

Quia tu spretis legibus Regni de captivatione Nobilium personarum bonæ famæ existentium conditis & sancitis, quibus ita cautum existit. Nullum Nobilem captivandum fore, qui bona esset fama, nisi fuerit prius iure convictus, & quod talis absque iuris processu, præfatarumque legum patrocinio capi detinerique non poterit, & nil quicquam cum hoc tali Nobili statui, nisi prius de casu legittimo cognoscatur. Tu verò ea ipsa Nobilitatis prærogativa, præfatarumq; legum beneficio & patrocinio neglectis, & in partem reiectis, ipsum Nobilem N. semper intactæ, boneque famæ existentem personam & conditione seu vocatione tibi parem, & ex ordine Equestri, ex vi tamen in vincula tua deiecisti; seu detrusisti, ibique in vinculis eiusmodi eundem miserrimè tractasti, & diutius quam par erat aut decebat detinuisti, quem ibidem apud te in vinculis existentē Ministerialis Terrestris cum certis Nobilibus vidit & obsignavit, & de iuris observantia arestavit, quæ etiam præmissa in termino affuturo fasius & vberius tibi declarabuntur, quam itaque sui violentam & illicitam ac potius ignominiosam detentionem seu captivationem per te modo præmisso, præfata Actoris pars, tandem conquerens, æstimat sibi contra te ad pœnas in eisdem legibus descriptas de talibus casibus expressas, seu contentas & ad damna ex ea consequuta, nec non ipsas in termino eadem compensanda, per ipsumq; conquerentem comprobanda seu ita prout iudicium nostrū decernet; ideò ad præmissa iudicialiter sis responsurus.

Citatio contra fideiussorem.

Citat te pro eo. Quia dum præfatus Nobilis A. B. vnà

cum Nobili M. B. fecerunt contractum quendam vicissim: tradendo eidem N. in matrimonium per præfatum A. B. Nobilem (in exemplum) N. filiam suam eidem P. M. præfatus S. se submisit eandem filiam suam ex contractu inter vos facto in matrimonium vt præmissum est daturum, teque fideiussorem pro se de parentis promissis stare fecit, prout existens fideiussor eidem A. pro præfato nobili S. N. cavisti, & cautione fideiussoria te obstrinxisti sub vadio N. qui præfatus S. contractui præfato vicissim facto, debuit parere filiamque suam præfatam N. debuit dare. sed quia præfatus S. contractui præfato non satisfacit, filiamque tuam præfatam N. in matrimonium præfato N. non dedit, ipsumque in expensas plurimas induxit, propterea tu tanquam fideiussor pro præfato N. vadium N. flor. eidem N. B. succubuisti, ad solvendum, pro quo vadio per te succubito te citat, & prout tibi latius in termino declarabitur, iudicialiter sis responsurus; pro damnis verò exinde sequutis, salvam sibi reservat actionem tecum agendi in foro competenti. Datum &c.

Pro eliberatione à fideiussoria.

Citat te pro eo. Quia tu eundem intercedere & eliberare non vis à cautione fideiussoria pro te facta Nobili B. pro quo ipse de sese fideiussit, quod eidem N. vigore compositionis & amicabilis contractus, debueras (in exemplum) locare in matrimonium filiam suam Nobili R. pro tempore iam præterito, & hoc complere debuisti, & te submisisti sub vadio N. quibus non satisfeciisti, ratione quorum idem B. cum Nobili N. iuridicè impetitur, estque citatus ad hoc idem iudicium Terrestre: quoniam tu de bono esse intercedere cum non vis prout id tibi in termino futuro latius declarabitur: ideò te citat vt eundem à cautione fideiussoria præfata intercedas: quod sibi ipse pensat contra te ad N. marcas pecuniæ & ad totidem damni, sis itaque iudicialiter responsurus.

Pro

Pro depoſito contra ſucceſſorem tutor.

Citat te pro eo. Quia nobilis N. pater tuus habens in tutoria præfatum A. N. bona ipſius mobilia in regimen ac tutoriam ſuam fideleq; depoſitum accepit, videlicet (ſpecificentur res) ſed quia prefatus N. B. olim pater tuus non reſtitutis præfato A. bonis mobilibus ſupraſcriptis, ex hac vita ſublatus eſt, & tu poſt mortem illius in bona ſimul & in onera ſucceſſiſti, eadem bona ſupraſcripta per præfatum patrem tuum in regimen & fidele depoſitum ſuſcepta præfata N ſolvere & reſtituere non vis neq; curas, in damnum iniuriam, ac præiudicium præfati N. A. non mediocre præmiſſa faciendo. Quid ſibi &c.

Pro debito ad fideles manus concredito à ſucceſſoribus.

Qui te citat pro eo. Quia tu noluiſti neq; vis multoties exiſtens admonitus de hoc ipſis reddere & reſtituere ſummā pecuniæ N. quam ſummam prænominatus olim pater ipſorū N. tibi ad fideles manus fideleque depoſitum tuum conrediderat, quos eoſdem N. flor. pecuniæ prefatæ debuiſti, olim patri ipſorum reddere, & de manu tua, fidelique tuo depoſito reſtituere ad tempus iam præteritum. Nihilominus tamen eoſdem N. florenos ad fidele depoſitum tuum acceptos, de manu tua fideli, fidelique tuo depoſito, eidem olim patri ipſorum A. B non reſtituiſti, nec ipſis olim A. B. ſucceſſoribus legittimis, poſt mortem & deceſſum ipſius reddere & reſtituere non vis, neque hactenus curas, in damnum iniuriam, ac prejudicium intolerabile ipſorum A. B. præmiſſa faciendo. Quod ſibi &c.

Pro duello.

Quia tu non reformidando pœnas in Conſtitutionibus de duellis ſancitas, in contemptumque earum; Generoſum N. hominem pacificum & pace publica aſſecuratum, certo tempore non ita pridem præterito ad duellum armaque provo-

care ausus es, per quod in pœnas legũ eiusmodi duella vetãtes, incurruisti, ad quas per Iudicium super te extendendas, & decernendas citaris. Sis itaque ad pręmissa iudicialiter responsurus,

Pro depulsione à coaratura.

Quia tu tempore non ita pridem præterito immissis seruis & subditis tuis quorũ nomina & cognomina melius scis, cum bombardis, pixidibus, gladijs, fustibus & alio vario armorum genere ad id benè instructis, infundum villæ N. in loco dicto N. hæreditario existenti, Kmethones vel subditos de prædicta villa in loco dicto N. eiusdem Actoris hæreditario, arantes, prius eosdem Kmethones ac eorum pecora laborantia in aratris eorum, multis vulneribus, verberibus, illatis, inflictis, pro quibus tecum salua reservatur actio, vi & violenter depulerunt & eosdem ab incepta cultura agri præfati desistere coegerunt quo tuo facto præfati agri inculti & inseminati, nulliusq; vsui hucusq; extant & permanent: faciendo præmissa.

Pro occupatione bonorum successiue post mortem auiæ.

Qui te citat pro eo. Quia tu nescitur quo iure, imò potiùs vi & violenter statim post mortem, & de hac luce decessam Generosæ N. auiæ ipsius actoris bona omnia mobilia & immobilia videlicet &c. occupasti, & possedisti & in hoc vsque tempus occupas & possides, quorum bonorum medietas post sterilem decessum Generosæ N. auiæ, ipsum Generosum Actorem de iure divino & naturali, prout & te concernit & spectat nec eadem bona sortium pręfatarum, cum omnibus attinentiis eidem Generosæ N. actrici quantum pro interesse ipsius pertinet, de occupare vis, quinimo ad hoc vsque tempus, præmissa facere, frivolè detractas in grave ipsius damnum. Pro rebus verò mobilibus salva tecum reservatur actio, &c.

Pro

Pro decerptione prunarum.

Qui te citat pro eo. Quia tu tempore certo nuper prętęrito in anno pręsenti superveniendo violenter vnà cum familia tua domestica, in fundum sortis ipsius Actoris N. in villa præfata N. situm, pomarium que ibidem situm, in eodemque pomario ex arboribus prunorum fructiferis, in numero prunorum noncupatis *Węgierkie* decerpsisti, alias *oberwales*, ex quibus arboribus 10. coreti plus vel minus colligebantur, decerptaque vnà cum familia tua, in domum mansionis deportasti, & pro vsu tuo, seu quo voluisti convertisti. Quod sibi &c.

Pro homicidio ex bombarda.

Tibi Nobili &c. Mandamus vt coram Iudicio nostro Terrestri &c. Qui te citat pro eo, quia tu in contrarium pacis & securitatis atque tranquilitatis publicæ timore Dei postposito, nullaque denunciata hostilitate, habita mutua cointelligentia cum Nobilibus N. N. alijsque complicibus tuis, tibi de nomine & cognomine meliùs notis (cum quibus Actori speciales & seorsive actiones reservantur) prædictum olim N. hominem pacificum nihil adversi à quopiam suspicãtem: quin potiùs animo pensato atque studiosè eundem olim Generosum N. (scribatur modus homicidij & in quo loco fuerit factum) sicque enormiter prędictum olim R. ex bombarda occidisti, & de vivo mortuum fecisti, prout protestatio & proclamatio eo nomine facta præmissa latius obloquitur. Quod caput prædicti olim fratris N. sui, per te modo præmisso interempti, pensat sibi idem actor contra te iuxta prędscriptum Constitutionum Regni eo nomine sancitarum, ad quadringentas & octuaginta marcas pecuniæ polonicalis, vel prout Iudicium decernet. Sis ad præmissa tibi latiùs in termino deducenda Iudicialiter responsurus. Salva via a-

gen-

gendi prō pœna sessionis turris in foro fori actori reservata.
Datū.

Contra complices.

Tibi Nobili N. vti homicidij infra scripti complici, de persona bonisq; tuis omnibus, mandamus, vt in terminis Terrestribus N. &c. Quia vna cum Generoso N. principali complicibusque tuis in protestatione ratione infrascriptorū facta descriptis. (cum quibus actori speciales actiones reservantur) præfatum olim Generosum N. hominem pacificum, &c. vt supra: sicq; enormiter præfatum olim N. vna cum principali tuo occidisti, & sic complex necis supradictæ extitisti (Reliqua scribantur vt supra, &c. Quo quidē tuo facto in pœnas contra huiusmodi patratores sanctas incidisti & incurristi.

Ad sessionem turris pro homicidio ad Tribunal vel ad Comitia.

Qui te citat pro eo, Quia tu &c. (Scribatur essentia & modus homicidij) occidisti & de vivo mortuum fecisti, & sic contra omnia iura, præmissa severe vetantia excessisti, prout protestatio, &c. vt supra: Quo facto pœnam sessionis turris, vigore Constitutionum eo nomine sancitarum incurristi & incidisti: Citaris ad videndum & audiendum eandem pœnam sessionis turris continuis & integris annis duobus & duodecim septimanis, in causa necis ex ictu būbardæ constitutam, sub pœna infamiæ succumbendam, super te per decretum Iudicij Ordinarij Tribunalis Regni (vel Comitiorum) decerni, iusq; competens contra te eo nomine duci.

Ad prorogationem adcitatio ratione non sessionis in turri.

Qui te adcitat alias *przypozywacie* ad paratam adcitationem literalem C. C. C. Iudiciariam contra te ratione intrascriptorum ad Iudicium nostrum CCC. ex parte ipsius actoris

ris editam; tum paratum decretum eiusdem iudicij C.C.C. publicandæ infamiæ, per Decretum Trib. Regni N. (vel Comitiorum) ratione infrascriptorum super te decretæ, per te autem ob non sessionem in turri succubitæ; additionemque Ministeriali ad publicandam eandem pœnam infamiæ, ac ad paratam prorogationem eiusdem publicationis circa præmissum decretum publicationis decretæ subsequutam, idq; iuxta citationem infrascriptam qua citatus fuisti, in hæc verba. Inferatur citatio.

Ad exhibendum scruriniam ratione homicidij ante institutionem actionis.

Sigismundus III. &c. Tibi N. Mandamus quatenus in terminis Terrestribus N. proximè & immediatè celebrandis, coram eodem Terrestri iudicio, ad instantiam Nobilium N. A. &c. Qui te in hærendo Constitutionibus Regni publicis necnon protestationi & proclamationi contra te factæ, occasione (scribatur occasio) videlicet per te postposito timore Dei, spretisque statutis communibus Regni contra homicidas sancitis (scribatur locus & tempus) prædictum olim N. fratrem illorum nulla hostilitate cum ipso habita, hominis pacifici, in nulloq; tibi obnoxij violenti & atrocis cuspide gladij (in exemplum) in ventrem illius inflixi occisionem & interemptionem, alias vti proclamatio tum & protestatio ratione prædicti facinoris tui facta, de præmissis latius canit. Citant te, sive adcitant ad videndum & audiendū contra te in causa supra recensita, per ipsos actores deduci & expediri scrutinium, testesque fide dignos ad præmissa exequendi, de iuris forma necessarios & solitos statui, & te in præmissis omnibus eorundem testimonio ex parte sui convinci, & id quod iuris præscripti, exigentisque negotij præsentis poposcerit, contra te procedi & exequi, præmissa itaque

que sis Iudicialiter attentaturus, & si quid de iure venerit responsurus, certificando te, si non comparueris id quod iuris erit in causa præsenti contra te procedetur, contumacia tua non obstante &c. Datum.

Alia.

Qui te citant & adcitant, & quilibet eorum seorsim citat & adcitat pro interesse suo vigore Statutorum & Constitutionum Regni super hoc editarum, ad faciendum deducendumque scrutinium & audiendum testimonia hominum fide dignorum, investigandamque rem & facti veritatem in Iudicio Terrestri N. super eo videlicet (scribatur essentia causæ) &c.

Similis.

Adcitant te inhærendo legibus Regni, ad deducendum scrutinium, testesque fide dignos statuendum, eosdem contra te probandum, (in exemplum) invasionem domesticam per te in curia villæ N. mansionis protunc & possessionis eiusdem Actoris commissam, atque eiusdem obsanguinolationis: alias, prout tibi ea omnia latius in termino præsentiũ declarabuntur, & prout eo nomine protestatio contra te hodierna die facta latius præmissa obloquitur. Ideò vt stares & scrutinium contra te attentares, aliaque de iure necessaria per actorem peragi auscultares. Sis præmissa omnia Iudicialiter attentaturus. Et iam si non comparueris, contumacia tua non obstante, id quod iuris erit procedemus, actore præfato instante. Datum.

Ad deducendum scrutinium contra cives.

Vobis Famatis Proconsuli, &c. Qui vos vigore Constitutionum publicarum adcitat, quatenus vos Honest. N, M. & A. B. C. D. artifices & concives vestros coram Iudicio N. Terrestri (vel Castrensi) personaliter statuatis, vt videlicet

ipsi te-

ipsi testificentur de (in exemplum) innocentia prædicti Actoris ratione assertæ eiusdem necis Nobilis A. N. per fratres & successores eius iniustè accusatum, atq; de eiusmodi innocentia illius testimonium fideliter perhibeant prout scilicet sciunt & notum illis fuerit. Alioquin pensat sibi contra vos ad centum marc. pecuniæ Polonicalis, vel prout Iudicium decernet: sitis præmissa Iudicialiter expedituri. Datum &c.

Similis vt Nobilis subditos statuat ad exhibendum scrutinium.

Tibi N (scribatur essentia causæ) vt præfatus N. B. in præmissis innocentiam suam demonstret & sese de obiectis eius N. iniustis & iniquis expurget, te citat, non derogando citatione præsenti, citationi in ea quoq; causa deducendi scrutinij ad Iudicium Castrense N. contra te extraditæ ad statuendum subditos tuos de villa N. laboriosos A. N. perhibendumq; per eosdem veritatis testimonium, prout illis præmissa omnia & singula constant, quod videlicet supranominatus B. O. (scribatur vt supra essentia causæ) ac eorum testimonio cum A. C. in eodem convinci: certificando te &c. vt supra.

Pro pœna ob interemptionem capitis succubita contra successorem.

Quia tu existens (in exemplum) frater germanus & successor legittimus Nobilis olim N. qui sicut in bona morte eius derelicta successisti, merito & in onera eius succedere debes, existens sæpissimè per præfatum Actorem fratrem germanum Nobilis olim N. noluisti neque ad hoc vsq; tempus, vis solvere & dare præfato N. tanquam fratri germano & successori legittimo olim Nobilis N. pœnam in statuto descriptam videlicet 240. marcas pecuniæ Polon: monetæ & numeri in Regno currentis, & hoc pro capite præfati

N. Nobilis N. fratris germani & successoris legittimi eiusdem Actoris per prædictum Nobilem N. fratrem tuum germanũ in via publica nulla inimicitia antea sibi denunciata, feria N. proximè præterita violenter vulneribus gravissimis prius affecto & interempto, occisoque: prout eiusmodi proclamatio Ministerialis Terrestris & certorum Nobilium actis Castren. Capit: Cracovien. præmissa omnia latius in se disponunt, & prout ea omnia tibi in termino advenienti latius deducentur & declarabuntur. Quam tuam non solutionẽ pœnarum 240. marc. per præfatum olim N. fratrem tuum pro eiusmodi capite interempto Nobilis olim N. fratrem eiusdem N. perpetratam, & per te tanquam successorem eius & possessorem villæ N. ad solvendum succubitam & transgressa, idem actor pensat & æstimat sibi contra te ad N. marcas pecuniæ & totidem damni, &c. Datum.

Citatio pro obiectione ignobilitatis alicui, per aliquem.

Tibi Nobili N. &c. pro eo. Quia tu sibi certo tempore non ita pridem præterito, coram N. ignobilitatem obiecisti, dubitans forsan eum ex plebeia stirpe fuisse progenitum: Citaris itaque ad audiendum & videndum per se testes Nobiles de stirpe sua paterna, maternaq; & avita materna iuxta statutum Regni nostri commune induci, seque ex eorum fide digno testimonio, verum nobilem esse. Nobiliter progenitum, comprobari decerni. Casu verò quo tu parere nolueris, idem N. æstimat sibi hanc iniuriam ad M. marc. pecuniæ communis, monetæ & numeri Polonicalis & exinde habet totidem damni vel prout Iudicium decernet, à documento præfato nihilominus Nobilitatis suæ modo verificatorio non recedendo, vt sic nobilitati eiusdem N. verificationique eius, satisfieret in effectu. Datum.

Pro literis famosis & turpiloquio.

Quia temerè & nulla ratione habita, pœnisque in legibus contra tales editis, contemptis, usus es literis tuis detractorijs & iniuriosis manu tua scriptis & editis nomen bonū & famam eiusdem Nobilis A. B. vbique laudabilem convellere, & ledere aliisq; verba odiosa & famosa, bonam eius conversationem lædentia iniuriosè evulgare & proferre ad magnam ipsius & intolerabilem iniuriam atque levipendiū Quam iniuriam hoc modo sibi illatam ad animam revocando, pensat sibi contra te ad N. Marc. pecuniæ, & ad reparationem huiusmodi iniuriæ cum contraria divulgatione, aut alias ad revocationem horum in eum minus iniustè ac iniuriosè à te scriptorum & evulgatorum, vel prout Iudicium decernet, & prout tibi in Termino latius declarabitur. Præmissis sis iudicialiter responsurus.

Dum aliquis super aliquem importaret citationem.

Quia tu importasti & imposuisti, citationem N. titulo & sigillo N. M. munitam & obsignatam in bona & villam eiusdem tenutæ & possessionis N. N. videlicet super personam Nobilis N. patris eius in præfatis bonis nihil iuris & proprietatis habentis, volens tua perlucra in præfatis bonis & villa ipsius tenutæ & possessionis propriæ in persona prædicti N. perducere & acquirere, & eam in præfatis bonis villæ N, cum magno præiudicio & iniuria ipsius: prout tibi hoc latius in termino declarabitur. Quod sibi contra te pensat & æstimat ad N. florenorum pecuniæ & totidem damni; vel prout Iudicium decernet Iudicialiter responsurus.

Similis pro importatione citationis alicuius in bona super personam ibidem nullum ius possessionis habentem.

Qui te citat pro eo. Quia tu in bona ipsius hæreditaria

villæ N. importasti seu importare procurasti per Ministerialem Terrestrem N. citationem literalem Terrestrem N. vel Castrensem N. super Nobilem N. personam ibidem in eisdē bonis nullum ius hæreditarium seu possessionis habentem, præiudicando præfata impositione eiusdem citationis, iuri ipsius legittimo, hæreditario, possessorio: nec non cupiens quibusdam illegitimis perlucris onerare bona præfata ipsius libera, nemini quicquam in vllo obnoxia faciens præmissa in grave damnum, iniuriam & præiudicium ipsius actoris non mediocria. Quod sibi contra te pensat & taxat ad N. florenorum pecuniæ communis & totidem damni vel pront ius decernet; probareq; contra te intendit. Citaris itaque vt solutis damnis citationem ipsam de bonis ipsius suprascriptis deportares; ac ab onere quovis & eadem impositione citationis subsequuta munda & libera, facias. His & alijs intermino advenienti, latius tibi declarandis & deducendis sis iudicialiter responsurus.

Adcitatio pro deportatione citationum contra successores.

Qui vos vti successores legittimos &c. ad paratam citationem terrestrem &c. qua præfatum olim N. patrem vestrum citaverat in hæc verba videlicet pro eo. Quia tu citationes terrestres literales primas & secundas N. in bonis ipsius villæ & hæreditatis N. contra A. nulla præcusoditione ipsorū bonorum facta importasti. Ex quibus quidem positis & importatis citationibus, processum iuris in eisdem bonis in damnum eiusdem N. Actoris non mediocrè obtinere niteris. Quod sibi ipse contra te pensat & æstimat ad 10. Millia N. & totidem damni. Pro quibus damnis & pro deportatione earundem citationum te citat, ita pro vt citatio ipsa, qua prædictus olim pater vester citatus erat latius disponit. Et

quia

quia vos tanquã successores olim patris vestri actio ipsa concernit. ideò vos ad hæc præmissa & ad alia vobis in termino deducenda, iudicialiter responsuri. Datum &c.

Pro evocatione de proprio districtu.

Quia tu contraveniendo Statutis & Constitutionibus Regni publicis ac pœnis contra evocantes quempiam de proprio districtu editis: nec attento eo quod iuri communi provisum sit actorẽ sequi forum rei, & pro qualibet iniuria ad poprium districtum in quo est possessionatus, & cuius iurisdictioni bona ipsius subsunt ac consistunt, nisi accesserit sui districtus ac iuris proprij recessus, per personalem sui districtus abrenunciationem citare debere. Quibus tu non attentis, quodam tuo minus iuridico & inordinato iuris processu occasione (scribatur occasio pro quo) vnde tua eiusmodi importuna & iuri communi contraria in illo districtu, N. Officio Cap. B actionis & causæ cuiusdam assertæ prosequutione, & perlucrorum assertorum obtentione, de bonis præfatis N. in terra B. existentibus ratione bonorum, & iniuriæ factæ, hic ad Officium N. vel districtum, cuius iurisditioni bona præfata subiacent, & vbi est præfatus N. de N. possessionatus citare debuisti. Ea propter evocasti ipsum de terra, iure, & districtu proprio, à quo ille in hac parte nullum recessum, nec abrenunciationem fecit & in damna non postrema ipsum induxisti. Quæ sibi contra te pensat ad N. pecuniæ communis & ad pœnas statuti de evocatione editas, ad quas extendendas, nec non ad videndum, audiendum, & attentandum eiusmodi perlucra tua ac totum processum causæ, minùs iuridicè, inordinatè, iuri communi contrarium, per iudicium Terrestre B. cassari & annihilari, in nihilumq; redigi, prout Iudicium decernet. Ad hæc & alia pro tunc tibi latius in termino obicienda sis Iudicialiter responsurus & attentaturus. Datum.

Pro

Pro pupillis in administrationem tradendis.

Tibi N. Mandamus quatenus in terminis Terrestribus N. &c. Ad instantiam Generosorum N. A. B. D. tutorum legittimorum per Generosum olim N. Generosis N. A. B. filijs & filiabus suis legittimis actis Terrestribus inscriptorum, recognitorum, & ordinatorum. Quite vigore tutoriæ suæ citant. Ad statuendum coram Iudicio & extradendum in manus ipsorum pro administratione Generosum & Generosarũ N. M. C. filiorum & filiarum legittimarum Generosi olim C. N. D. vti veris & legittimis inscriptis & ordinatis tutoribus, ad quam ipsarum nominatam tutoriam præfati Actores sunt propinquiores vigore præfatæ tutoriæ suæ inscriptæ, quam tu. Ideò vt starcs & dictos N. C. coram Iudicio statueres, ac in tutoriam præfatis N. S. & C. D. traderes & committeres, iuxta inscriptionem tutoriæ, per præfatum olim S. patrem earundem in personam ipsorum factæ, & actis Terrestribus N. inscriptæ, prout in termino advenienti tibi latius declarabitur. In quantum verò præmissa facere recusaveris pensant sibi & æstimant contra te ad M. Marci & totidem damni vel prout Iudicium decernet. Iudicialiter sis responsurus.

Pro condescensione de bonis tutoribus & pueris.

Qui te vigore suæ tutoriæ citant vt eisdem tanquam veris & legittimis tutoribus Nobilium N. N. filiorum olim Generosi N. bona ipsorum hæreditaria in villis N. N. ipsis post mortem præfati olim Generosi N. patris præfatorum N. N. vti veris & legittimis hæredibus dimitteres, & de eisdem condescenderes, ac in regimen & administrationem gubernationemque præfatis N. N. tutoribus in manus traderes, vigore inscriptionis tutoriæ in actis Terrestribus N. per Generosum olim N. patrem præfatorum N. N. legittimum in-

perso-

personam ipsorum servientis ad quam ipsi sunt propinquiores, ad gerenda, gubernanda, providenda, ac administranda bona prædicta, morte prefati N. N. relicta, prout tibi in termino advenienti latius declarabitur. Idcò vt præmissum est te citant, vt ipsis vti veris & legittimis tutoribus, de bonis præfatis cederes, condescenderes, ac in eorum potestatem ac administrationem dimitteres, atque in defectu præmissorū pēsant sibi & æstimāt contra te ad N. Mar. pes. & totidem damni, vel prout ius decernet, sis iudicialiter responsurus.

Pro eximenda domina de dotalitio.

Citat te ad tollendam & recipiendam ab ipso tanquam hærede bonorum prædictorum sortis tuæ pecunias tuas, quas in bonis præfatis vigore reformationis tuæ dotis & dotalicij per præfatum olim N. maritū tuum tibi factā & inscriptā habere prętēdis, ideo vt stares inscriptionēq; tuā dotis & dotalicij corā iudicio ostenderes, pecuniasq; tuas vigore reformationis tuæ, ab ipso, quantum pro interesse ipsius pertinet, (seu etiam de tota reformatione tua) reciperes, fideiussoresq; de restituādo super dotalitio statueres, sibiq; tāquā legittimo hæredi, de bonis ipsius prædictis, cōdescēderes. Dat.

Pro alienatione, seu vice altera venditione aut donatione bonorum alteri personæ contra recognoscentem.

Quia tu non attentata inscriptione tua, per te sibi in actis Terestribus facta, qua inscriptione tua Nobili N. totam & integram sortem suam hæreditariam, seu medietatem bonorum villæ hæreditatis N. titulo perpetuo & irrevocabilis donationis inscripsisti & resignasti, realemque intromissionē in eadem bona seu ius tuum hæreditarium dedisti, prout de hoc acta Terrestria latius testantur: rursus tempore nuper præterito eadem bona seu sortem tuam in villa N. Nobili N. modo donatorio seu venditionis inscripsisti, quod facere

iam tibi non licuit, cum ad eandem bona iam nullum ius & interesse habuisti, imo id fecisti volens ius ipsius hęreditariū ad bona prędicta antea à te habita supprimere & sffocare, in præiudicium & derogationem iuris ipsius hæreditarij. Quod sibi contra te pensat &c.

Contra suscipientem eiusmodi donationem.

Quia tu suscepisti inscriptionem donatariam seu venditoriam super bona seu sortem ipsius hæreditariam N. in villa N. à Nobili N. in eisdem bonis protunc nullum ius & interesse habentem cum ipse N. eadem bona sortis suæ in villa N. eidem N. longè priori tempore titulo perpetuæ donationis inscripsit & resignavit, realemque intromissionem in eadem bona sibi dedit, prout ea omnia in termino advenienti latius declarabuntur, & deducentur, quod fecisti in derogationem iuris ipsius hęreditarij N. super eadem bona priori tempore ab eodem N. habiti. Ideo te citat ad videndam & attentandam præfatam inscriptionem tuam, taliter per te nulliter & illicite susceptam per decretum iudicij cassari, nullamque & invalidam pronunciari. Nihilominus talem suam iniuridicam & illicitam inscriptionis per te à præfato N. susceptionem, pensat & æstimat sibi ad N. pro illicita verò eiusmodi inscriptione reservat sibi salvam actionem.

Pro iniectione in tutoriam.

Quia vos iniecistis se nullo iusto iure ac legittimo ad id habito in tutoriam Nobilium N. Nobilis olim N. fratris patruelis germani præfati N. ac sub prætextu eiusdem tutoria bona prædictorum puerorum minorennium N. accepistis & possedistis, violenter, bonaque eorundem minorennium mobilia omnia recepistis & pro vobis vsurpastis, censusque & proventus ac alias vtilitates ex eisdem bonis percepistis ac hucusque percipis. Pro quibus omnibus rebus mobilibus ac

censibus, proventibus, vtilitatibusque per vos ex eisdem bonis receptis, ipse N. tanquam legittimus tutor eorundem minorennium reservat eisdem minorennibus salvam actionem ad speciales actiones. Tamen vos vt prefertur nullo iusto & legittimo iure de superhabito, non valtis sibi N. tanquam legittimo tutori præfatorum minorennium de tutoria eorundem condescendere, neque sibi eosdem minorennes nepotes ipsius ex fratre patrueli ad tuendam & educandum extradere, faciendo præmissa &c.

Pro non traditione bonorum per illicitos tutores legittimis tutoribus.

Qui te coniunctim tanquam in causa coniuncta, in quantum a cuivis eorum tam coniunctim quàm divisim in alterius cuiusvis tutoris negligentia, aut prosequenda actione, renitentia, vel tutoriæ eiusdem renuntiatione, ex iuris communis præscripto & consuetudine licuerit citat pro eo. Quia vos statim post mortem & obitum prædicti olim M. iniectione temeraria violentaque in tutoriam prænominatorum pupillorum actorum similiter violenter occupasti, & possedistis, & hususque possidetis & occupatis medietatem villarum N. morte præfati olim N. derelictorum ac à reformatione liberorum, & de eisdem ipsis actoribus vti præfatorum N. pupillorum suorum tutoribus, ad quos administratio & possessio dictorum bonorum eodem iure tutorio spectat & concernit, cedere sive potiùs eadem de occupare & in possessionem seu administrationem Actorum tradere non vis, in grave damnum & præiudicium &c. Pro damnis verò inde sequutis, salvam & specialem tecum reservant actionem in foro competenti. Datum.

Pro damnis ex eadem iniectione tutoriæ subsequutis.

Quia tu post occupationem iniectionemque violentam

in tutoriam prædictorum N. pupillorum actorum, violenter medietatem bonorum N. morte prędicti olim N. derelictorum à reformatione liberorum, ad possessionem & administrationem actorum concernentem, & post eorundem à te in possessionē violentā apprehensorum, de eisdē bonis prędictis proventus omnes & emolumenta, ac etiam redditus tum ex agris, pratis, campis, siluis, boris, pascuis, tabernis, molendinisque quam & orreis, forestis, prædio Kmethonibusque hortulanis & inquilinis & id genus attinentijs provenientes percepisti, ac pro te vsurpasti & vindicasti, actoribus verò eorundem omnium qui pupillis suis de his omnibus sufficientem calculum, ex iuris communis præscripto reddere sunt obligati, privasti & hucusque percipis, vsurpas & pro se vēdicas, actores verò eisdem privas, in grave damnum pupillorum & præiudicium præmissa faciendo. Quod sibi &c.

Pro non solutione reformationis.

Ad instantiam Nobilis N. successoris legittimi Generosæ N. filiæ, consortis verò legittime, prædicti olim Generosi N. C. personaliter & peremptoriè compareas. Qui vos minorennes si qui sint, aut etiam maritatas cum tutoribus tam naturalibus quam inscriptis, quam etiam coniugalibus, ipse similiter actor cum tutoribus suis legittimis coniunctim, ac quēlibet vestru pro interesse vestro, citat pro eo. Quia vos non vultis ipsi actori solvere & restituere N. per eundē olim Gener. N. super medietate bonorū suorū omnium reformatas, vel saltē bona eadem reformatione subiecta in possessionem ipsius dimittere, in damnum, & pręiudicium actoris præmissa faciendo. Quod sibi contra vos pensat, &c.

Pro machinatione & diffidatione in vitam.

Qui te citat pro eo. Quia tu violenter veniens, (si ita fuerit) in portam curiæ ipsius villæ N. cum certis coadiutoribus

& com-

& complicibus tuis extendendo contra eundem actorem manum suam eidem publicè & manifestè, in discrimen vitæ ipsius & magnum eiusdem levipendium diffidasti & machinasti, & sibi pro tunc verba vituperiosa, & inhonesta turpiloquaque seu vituperosa lingua sua irrefrenata, intulisti, lædendo eisdem inhonestis verbis, bonam famam, honorem, ac conversationem ipsius honestam. Qui honestè ac benè inter omnes homines vitute præditos existens in bona conversatione cum eisdem vna semetipsum conservavit. Tu verò nihili pendens eius bonam conversationem, bonam famã eius Nobilitatem que tangendo sibi diffidasti, & machinasti, diffidareq; & machinare in discrimen vt præmissum est vitæ ipsius ad hoc vsque tempus non cessas, faciendo. Præmissa in grave damnum iniuriam & præiudicium ipsius Actoris non mediocria. Quæ omnia sibi contra te pensat & æstimat ad M. marc: pecuniæ communis & totidem damni, vel ad pœnas statuti contra tales vituperatores & tangentes bonã famam alicuius, qui linguam suam ab inhonestis verbis refrenare nequeunt, sancitas & editas. Ad quas quidem pœnas statuti contra te extendendas recitat, vel prout ius decernet, Iudicialiter sis responsurus. Datum.

Pro homicidio in via publica comisio per servũ alicuius.

Qui te citat propterea, quia quemadmodum provido N. & N. servitores tui (te quidem authore principali existente necis infrascriptæ atque mandato tuo dicti) exequentes eadem mandata atque consilium & voluntatem tuam, contra officium boni viri & militaris, atque etiam leges publicas, tum quod magis timore Dei & amore proximi contemptis, prędictum olim N. in villa N. pro tunc apud Nobilem N. serviendo manentem &c. & vt verum incolam Regni decorosè conservantem [illegible] à quo [illegible]

te & tuis exequutoribus infrascripti sceleris nefandi infra nominati suspicans, imò eadem qua & omnes incolæ pace publica gaudens, dum scilicet idem S. M. per villam præfatam N. publica via & libera iret, tum alter servorum prætorum ipse videlicet K. N. sub specie amici accedens, & cum illo subsistente coloquens, alter servitorum præfafatorum ipse videlicet N.N. insidiosè in eundem N. exonerans &c. tempore certo non ita pridem pręterito, interemerunt & de vivo mortuum fecerunt. Cumque eo nomine de iustitia administranda de ipsis homicidijs, post factam apud te iuridicam arestationem requisitus fuisti, eandem iustitiā penitus facere vt par erat recusasti, quæ omnia contra te in recenti sunt cupiosiùs obducta & protestata, & prout tibi in termino præsentium omni genere probationum in præmissis tibi latiùs declarandis convinceberis, & iuxta iuris communis præscriptum, & rei ipsius veritate, tu eius modi crimini & facinori, subiaces, ac pro eodem crimine respondere teneris, onusq; totum sceleris præfati in te redundat: itaque iam vt is in quem actio præfati criminis remansit, citaris ad videndum & audiendum pœnas legibus Regni descriptas, articulo præsenti condignas, contra te extendi gradibusque iuris animadverti, vel id quod iuris erit decerni, præmissa sis attentaturus, visurus & auditurus. Dat. &c.

OBSERVATIONES.

In termino secundo Actor tenetur probare positionem citationis primæ originalis.

Si in termino motionis adcitatus negaret se scire de positione citationis; Actor autem positionis relationem exibet non est necessarium iuramentum ad termini probationem; sed tenetur citatus procedere & prosequi motionem.

In

In primo termino, si citatus à se affectatam comprobationem positionis eiusdem citationis primæ obtinuerit, iam respondere tenetur actori: licite enim poterit in lucro condemnari.

Post mortem Iudicis & Regis, non est necessaria adcitatio. Const. 1588. fol. 57.

Citationes duæ pro vna re non sunt ponendæ, alias cum pœna trium marc. vna obmitti debet. Si tamen actor vnã benevolè obmisserit, evadet pœnam.

In citatione, verba turpia scribens, pœnam sessionis vnius septimanæ in turri, punitur: negans verò id ipsum se scribere commisisti, iuramento comprobare tenebitur.

In civili citatone actore ponente verba criminalia, si citatus permiserit se condemnare, in pœna contumatiæ; in secunda citatione potest etiam actor ab illis recedere & ex ea citatione impune recidere. Igitur ad primam citationem stabit si vult lucrare pœnam in Actore Decretum Petr. in Trib. 1589.

In citatione pro graniciebus, omnes in citatione sunt nominandi de nomine & cognemine, secundum antiquam consuetudinem & praxim.

Quando ex relatione Ministerialis constat citationem citato in manus esse traditam, non potest eiusmodi positionem citatus abnegare. Decretum Petricovia inter Inftigatorem & Rozniatowski 5. post Valentini 1593. vbi habetur, quod ea citatio pati test abnegari, quam ex relatione Ministerialis non constat fuisse publicatam, vel ad notitiam citati non perveniisse. Nunc vsus obtinuit, quod positionem citationis & relationem ministerialis, citati evadunt quod est contra ius.

Ex citatione criminali. potest procurator in absentia Acto-

ctoris principalis verba criminalia delare, & ex illa citatione poteſt civiliter proponere.

Fratres diviſi ſeorſum, indiviſa bona habentes coniũctim ſunt citandi: etenim in bonis vnius proprijs citatio ſuperaliorum intereſſe non poteſt poni.

Actor non tenetur alia via depoſitione citationis docere, niſi Miniſterialis relationem: neque ſuper hoc iurare tenetur.

Citatio in illis bonis ponenda, in quibus diuiſio petitur, alias poſitio erit mala.

Citatio contra euictorem in bonis evictoris eſt ponenda, vel in manus citati tradenda.

Si citatio contra perſonam alienam in bonis alicuius ponitur, debet agere pro deportatione citationũ ante decurſũ anni, niſi ignoraret; quod probare debet iramento, ſalvo iure fœminei ſexus, & pupillorum de præſcriptionibus ſancito, iuxta Conſt. 1588. Fol. 38. Si autem non egerit, hoc incommodum habebit quod non poterit reintromiſſionem in dicta bona iure victori præpedire. Si verò ex ſuis perluceris victor in illa bona fuiſſet intromiſſus, non poterit pro expulſione agere.

Deportatione citationum nihil aliud eſt, niſi quod actor ampliùs non debet citationes in illis bonis ponere, ſed in alijs ſuum proceſſum continuare; hus præcuſtodito, quod poſitio citationis, nihil poſſeſſioni neq; bonis eius nocebunt.

Citationum falſarij per Iudicium ſunt puniendi Her. 30. Ille verò falſarius dicitur, qui falſam & non concordantem citationem, cum citatione adverſæ partis ad iudiciũ adfert.

Citatio pro Kæthone profugo, non debet excedere taxam 50. marcarum, iuxta Conſt. 1588. Fol. 72.

Citationis poſitio in molendinum & ſemma in bonis aliquibus inſcripta valet, verum exequutio non debet fieri, niſi in bonis hæreditarijs quando ſunt.

Pra-

Practici existimant non necessario agere debere obligatoriam possessorem pro deportatione citationū positarum, super hæredem in bonis obligatis, nam super ius hæreditariū potest processus obtineri, intromissionem nihilominus potest impugnare possessor.

Ev ctor nulla terrestri præscriptione obstante, tenatur deportare citationes, in bonis per se alienatis, ex ipsius occasione positas.

Pro deportatione citationis quæ ponitur super possessorem obligatorium pro simplici iniuria, potest citare idem possessor. Sed dum ponitur contra eum tanquam hæredem tam hæres debet citare.

Propter malam citationem non evasio est admittenda, sed pœna Herb. 55. Verum quando Actor recedit à citatione, tunc pœnæ non succubit. Nunc observari solet, quod ob inordinatam citationem, libertas à termino decernitur.

Nemo potest citari de summa, & bonis in summis inscriptis, si habuerit alia bona hæreditaria, similiterque de tenutis molendinorum, & tabernarum est intelligendum. Si citatur; exequutio tamen in bona hæreditaria procedet.

Citatio super citationem posita in bonis per eum alteri resignatis, male posita esse reputatur, præsertim cum citatus habet alia bona sua libera.

Citatio non à data in ea scripta, facit terminum neque litis contestationem; sed à positione citationis & relationem ministerialis de positione eiusdem recognoscentis & incepta litis contestatione, si citatus moritur, & lis contestata fuerit, extunc in adcitatione post insertam originalem citationem debet addi. Et præfata actio tanquam successorem concernit, eamq; tecum actor prosequi vult. Sed vbi lis contestata non fuerit, extunc hæc cōditio non vitiat concitatio.

Si quis citat pro receptione aliquarum rerum generaliter & non specificat res illas: extunc citatus liber decernitur.

In citatione autem pro damnis ex expulsione sequutis, specificare res non debent nam evasio citato sequeretur. Si verò citatus vult evadere secundum rotam per se porrectã, cum propositione discrepantem, actor potest dicere propiorem se esse ad probandum.

Dum aliquis citatur pro receptione fructuum, tunc in tali casu semper actori decernitur probatio, parte citata à probatione repulsa.

Citatus ad recipiendas pecunias de obligatione non debet allegare quod non debeat super citationem respondere nec in tali accessorio dilationem affectare debet: alias si non responderit, vel à decreto appellaverit, extunc condemnabitur iuxta citationem non obstante appellatione: & ministerialis ad intromittendum in bona exempta additur pecunia verò in Cancellaria reponitur.

Quando duo vel tres in criminali causa citant; vna citationem aliquem, & si tantum vnus actor esse circa Iudicium, licet alij competitores non sint præsentes, cum vna eademque citatione citant; tantum valet ac si omnes in Iudicio adessent.

Cum citatio ponitur in bonis, super quæ ius aliquod citatus habet, possessionem tamen eorum non fuerit assequutus, mala positio esse iudicatur, quæ non in possessione citati est posita citatio.

Citationis importatio super bona aliena, in personam alienam, ad ea bona nihil habentem valida conferi non potest, nisi expresse de eisdem bonis citatio fuerit.

Non data sed positio citationis facit terminum.

A protestatione facta, præscriptio; à positione verò citationis fatalia computantur.

Citans

Citans aliquem pro damno vel iniuria nomine plebei subditi sui, sine assistentia domini, talis citatio invalida censetur. Plebeius si quidem non potest stare in Iudicio contra Nobilem citatum, sive domino suo vel eius procuratore: ideò talibus citationibus ea formula debet adscribi. Et dominus pro pœna stat circa subditum suum. Nam vbi in citatione deest talis clausula: liber citatus à termino & à citatione declarari debet.

Criminales citationes non debent scribi cum taxa, sed ad pœnas statuti extendendas pro facinore perpetrato. Civiles verò citationes non debant in se continere pœnas sed tantum taxam pro iniurijs illatis.

Citatio ex vi inscriptionis promanans, debet concordare cum ipsa inscriptione alias erit inordinata: & si instituitur pro summa, debet summa exprimi: & hoc propterea, ne diversa decreta super vnam citationem necesse sit scribere, vel ratione diversorum decretorum in contumatiam procedere. Alias licet pro pluribus rebus vna citatione citare, & plures propositiones in citatione ponere expresse, modo sint res eiusmodi, quæ eodem genere sunt prosequendæ: nec tamen citatio propterea erit inordinata.

Propter illa verba omissa in citatione Castrensi Vigore Regio: citatio est inordinata: nam Capitaneus non privata authoritate, sed Regia debet Citare.

Citatio in qua propositiones diversæ & ad diversum scopum tendentes sunt, est inordinata.

Citans post Curiam, exceptis rebus meré Regalibus, pœna 500. marcarum ponitur, iuxta Const. anni 1597. fol. 7.

Ad Iudicium Castrense pro re meré foro Terrestri pertinenti citantem evocationis pœna iure sequitur? & actio ad forum competens remittitur.

Citans aliquis pro ex divisione non nominatis nec specificatis villis, seu hæreditatibus in quibus cupit divisionem habere, extunc citatus liber à citatione, sed debet actor denuò citare nominando bona ex divisenda.

Si aliquis Iudicem incompetentem citat, adcitet vna & partem, cum qua apud illum Iudicem controvertebat: alias Iudex liber pro illa vice pronunciatur.

Duo actores citantes aliquem pro vna re, tenentur de iuris potioritate experiri, citatus autem suspensionem obtinebit, etiamsi vnus actor vno termino præcedat alium. Ita sentiunt alij.

Officialis quando citatur ex Officio, debet simul citari & pars adhærens: dumque actio cum Officio prorogatur, debet suspendi cum adhærente, quousque terminus cum Officio advenerit.

Dum aliquis importat citationem super alicuius bona, ante condemnationem pars actorea citatur pro importatione citationis super aliam personam, tunc pars Actorea citata pro importatione citationis, iure potest dicere evadendo pœnas: Deporto meas citationes, & in nihilum redigo, & paratus sum facere inscriptionem desertationis citationum mearum; tunc in eo puncto pœna non debet decerni. Sed cum pars actorea condemnat partem citatam vigore suarum citationum in pœna contumatiæ, & fuerit postea citata pro importatione citationum, tunc luendo pœnam trium marcarum Iudicio & parti totidem, tenetur deportare citationes suas.

Quando in citatione non est scriptum: Iudicialiter sis responsurus, non est citatio, sed querella. Etsi poneretur hoc verbum. Concitat. Et non poneretur: Iudicialiter sis respõsurus: etiam citatio non est. Ratio huius est. Mãdatum enim

& lite-

& literæ ad querelam eodem vigore ligantur, ſicut & citationes, vbi ſcribitur ex vſu: Mandamus. Sed citationes à mandato hoc differunt: Quia in citatione hoc verbum ſcribi debet: Citat: & hoc: Iudicialiter ſis reſponſurus. Hæ enim particulæ citationum faciunt: Si enim aliter citationes clauderentur, abſque; Citat te: Et, Iudicialiter ſis reſponſurus; intelligerentur eſſe mandata vel literæ ad querelam.

Citatus poſt propoſitionem, poteſt ſibi reſervare ad defectus ſi quos cernit, citationis; dicendo: Domine Iudex, antequam ad propoſitionem reſpondebo, contra citationem primo loquar. Aliàs non haberet locum dicendi contra defectus, quia iam intravit in controverſiam omittendo defectus citationis.

Quilibet poteſt pro vna re diverſi modè tamen, plures citationes dare, ſi diverſa natura actionis, & alia taxa ibi exprimitur.

Citans aliquis pro adviperio, id eſt pro incenſione ſylvę ſive etiam domus; in tali progreſſu Iudiciario, poteſt in citatione ponere cauſam iniuriæ, ſed pars citata proprior eſt evadere iuramento proprio, de tali facinore obiecto; quam quod debeat ipſum condemnare pars actorea in tali caſu criminali: & talis pars citata debet remitti ad forum competens pro expurgatione ſui ac pro obiectione criminalis.

Si taxa iniuriæ vel damni maior quam par videretur, in citatione poneretur, dicta tamen clauſula: vel prout ius decernet: eiuſmodi citatio ordinata eſt, nec poteſt reijci.

Taxam in citatione deſcriptam in termino iuramenti actor augere non poteſt ſed minuere.

Evocatio non cenſetur dum pars pro iniuria terreſtri citat ad Caſtrum ſui diſtrictus, ſed termini nullitas fit iuxta ſtatutum.

Concitatio post mortem vnius litis comparticipis est necessaria intra annum, alias pro interesse mortuorum actio moritur.

Minorennes possunt citare pro damnis illatis non obstante illorum minorennitate.

Actor negans verba turpia suo procuratori in citatione scribere commisisse, iuramento id ipsum cõprobare tenetur.

Importans aliquis citationem innotescentiæ, occasione perlucrorum in aliena bona, tenetur illam citationem deportare, & ibi ea perlucra quærere, vbi sunt perducta.

Melioratio citationis secundæ, post actum condemnationis, ex prima citatione, per partem Actoream in Iudicio; potest fieri, meliorando citationem primam, quod sibi defecit in eadem addendo, & quod superest omittendo: Nihil tamẽ addi debet vltra contenta citationis primæ.

Sed si pars citata scribit terminum ex prima citatione, & post scriptionem termini pars citata nihil faciens permittit se citare citatione secunda; iam citatio prima meliorari non potest, quia non accepit effectum suum, videlicet ex scriptione termini, secus est si se permittit condemnare in pœna contumaciæ, tunc actori licet omnia facere sine aliqua pœna.

Relatio Ministerialis de positione citationis, coram quibuscunque actis facta, tantum valet, quantum personalis recognitio eiusdem Ministerialis valere debuit, nisi quod recognoscat in eisdem actis, tempus & locum positæ citationis, & cui eandem citationem publicavit in bonis, & cum quibus Nobilibus, vel Nobili hoc fecerit.

Relatio Ministerialis cum duobus Nobilibus facta de diuisione inter fratres vel alios quosvis coparticipes, valida censetur. Si autem absq; nobilibus facta fuerit nullitatis vitio subiacet.

Mi-

Miniſterialis aliter conuinci non poteſt, præterquam ſi probetur, cum alio in loco tunc fuiſſe quando falſa fabricata eſt relatio.

Vxor cum citat aliquem pro iniuria bonorum ſuorum, ſimul cum tutore ſuo marito, contra quem hac intenta actione bannitio ſit obtenta, ob id quæ locum ſtandi in iudicio non habet; citataque pars allegat, illam ſine marito, tanquam tutore non poſſe agere nec potuiſſe, tum & citaverit partem cum marito tutore ſuo. Decretum, Cum per bannitionem eſt à viro ſeparata, qui eſt quaſi civiliter mortuus, ex eo vxor eſt ſui iuris liberumque eſt ei omnia ſine viro, tam ex iure, quam & alia quævis peragere, bona inſcribere, vēdere, alienare, donare, & alia pro voto facere, cum per bānitionem intercceſſit inter coniuges, quaſi ciuile divortium, agnoſcituruque ex eo actricem ſui iuris extitiſſe.

Citationis in qua ponitur taxa, non eſt terminus peremptorius.

Cum quis in inferiori ſubſellio negativam non interponit, in ſuperiori ſubſellio minimē facere id licitum ſit ei: Nam quod omiſit inferre, invare cum non poteſt in inferiori ſubſellio.

Citans pro ſumma pecuniaria, non ponat taxam in citatione, Nam ſuccumberet in pœna trium Marcarum parti & iudicio totidem.

Pro invaſione domeſtica, non ponatur taxa in citatione, ſed ſimpliciter ad extendendum Statutum citetur, alias amitteret cauſam, & reus Actore repulſo ad evadendum prior, quam pars Actorea ad probandum.

Super poſſidentem bona ciuilia exempta à iure civili; in talibus bonis mala adinuenitur poſitio citationis, ex eo, cum illa bona iuriſdictioni Civili ſubiecta ſunt.

Cita-

Citatio in obligatorijs bonis bona hæreditaria habentis, non debet poni, nisi in hæreditarijs bonis: Quæ si habet in illo districta, tum de illo fundo obligatorio iniuriam faciens iam respondere tenebitur.

Citatio pro evictione, vel fideiussione, in manus dari debet semper, vt eo citiùs ad notitiam citati deuenire possit.

Cùm in citatione aliqua scribitur: vel prout ius decernet: Ibi actor non potest iuramento damnum taxare, sed taxatio iniuriæ stabit in decreto Iudiciario, parte actorea hoc ipsũ instinguante.

Cum aliquis citatur pro administratione iusticiæ cum aliquo subdito, illam iustitiam pars facere tenetur ex citatione prima: & debet dicere in termino coram actore: Quod non feci faciam. Et hoc causa evitandæ pœnæ. Quod si permiserit se condemnare, & postea erit concitatus secunda citatione, iam tunc luet pœnam 3. marcarum Iudicio, & totidem parti, & iustitiam facere tenebitur.

Inordinata citatio est, vbi maior taxa in ea scribitur quàm summa principalis.

Mente captus cum sit in vinculis, si fecerit citatus pro iniuria, tum non ille, sed curatores illius, si fiat de iure ei dati, vel tutores sunt citandi. Si verò non sint, tunc successores qui in successionem bonorum succedere debent. Si verò est in vinculis, tunc sic est citandus: Si es mente captus, tunc te citat cum tutoribus, ac successoribus ad bona tua ius naturale habentibus, &c.

Dum aliquis pro vna & eadem re duabus citationibus citatur, adquodcunque Iudicium, & pars citata allegat positionem citationis esse vnius super alteram, pœnamq; affectat, extunc pars Actorea alteram illorum potest obmittere, & alteram reservare: & in isto puncto nul. ã pœnam succũbit.

Cita-

Citatione Regia cancellata existente, reus absolvitur à termino; & citatio cum pœna triam marcarum destruitur. Praxis Przyl. Fol. 48.

Condescendens aliquis de iure suo, & progressu iuris sui incepti cedendo sibi de bonis, citationibus & omni iure ille, cui condescenditur, ita adcitet: Qui te citat ad inscriptionem & transfusionem iuris sui transfusi in actis Terrestribus id latius canentem, super eundem per Nobilem N. sibi factam, & ad paratas citationes, concitationesque Terrestres ipsius B. quibus te citaverat prædictus B. & ad omnes continuationes terminorum, & ad totum processum iurium in actis Terrestribus contentum, ad omnesque actus & gradus Iudiciarios, in quibus causa pendet tecum in decisa, pro qua citatione prima & secunda te adcitaverat, in hæc verba, videlicet pro eo, Et inferatur tota citatio.

Decreta non possunt fieri nisi subsequuta propositione partis actoreæ, & responsione partis citatæ, & præsertim vbi scribitur Iudicialiter responsurus. Dum citatio granicialis scribitur (vbi sunt plures hæredes in vna villa) non debet scribi cum suis participibus, sed quilibet debet nominari ex nomine in citatione, & specialiter debet citari ad Iudicium Terrestre pro actoratu.

Citatus pro damno in fundo bonorum facto, quamvis etiam & pro graniciebus inter eadem bona sit citatus; respõdere tamen pro iniuria & damno tenetur.

Si actoris citatio cum citatione rei non erit conveniens, citatus liber à termino ideo meritò intercisæ sunt faciendæ.

Quando prefigitur tempus in citatione, ponitúrque feria ante festum aliquod, vel post, debet addi proxima; alias erit citatio inordinata.

Ministerialis portans citationem Commissorialem, debet

habere secum Nobilem, & illam ad manus citatidare debet.

Citationes inordinatæ dicuntur, quando dividit pars citationes pro vna eadem re sonantes. Et sic iudicium semper decernere debet cum pœna, omnia narrata, in omnibus citationibus vnam intelligentiam, & specificationem in se cõtinentia, in vnam citationem concludere, & ad ea respondere, iuxta Stat. Casimiri in Ciuitate Korczynen. editum.

Citare non potest citatus actorem pro damnis etiam si decretum obtineat, solummodò actor citatum.

Citationis positionem tenetur actor citato in termino deducere: post condemnationem vero debitã iudicialiter obtentam, iam amplius actor positionem illam primæ citationis in termino secundæ citationis peremptorio deducere nõ tenetur, sed de plano procedere tenetur secunda positione citationis deducta.

Citatus aliquis existens pro debito & volens præscriptione evadere solutionẽ, iàm illico apparet illum fateri quod teneatur debitum. Si itaque præscriptio non supportat debitum nec locum videtur habere; extunc iam illud debitum absque vlla probatione actoris citatus solvere debet.

Si alicui Kmetho aufugeret ad bona minorennium, tunc non minorennes sed tutores citari debent pro Kmethone fugitivo.

Si citatus moritur & lis contestata fuerit; extunc in adcitatione post consultum originalem citationem debet addi. Et præfata actio de tanquam successorem concernit, eamque tecum actor prosequi vult.

TITVLVS TERTIVS DE PROCESSV.

Est autem Processus Iudiciarius ordo quidam legittimus, secundum quem controversiæ causarum cognitæ ex bono & æquo celeriter definiantur.

Vel est actus trium personarum, Iudicis, scilicet Actoris & Rei, ac forma & ordo legittimus, certisque legibus vel consuetudine iuris præscriptus secundum quem actiones definiantur & determinentur.

Processus Iudiciarius est duplex.

Alter, quando reus citatus contumax est, seu non comparet in iudicio.

Alter quando reus citatus comparet coram Iudicio.

Termini seu tempora Processus Iudiciarii, quando reus citatus contumax est seu non comparet sunt tres.

Primus terminus, seu primum tempus, inchoatur à citatione ad sententiam condemnatoriam, seu condemnationem rei in contumatia.

Processus Iudiciarius in contumatiam contra successores certis terminis sive temporibus comprehensus.

Primæ Citationis Exemplum.

N. A. de N. Capitaneus B. Tibi Nobili N. filio & successori legittimo Nobilis olim N. hæredi villæ N. de eadem villa, & de alijs bonis tuis omnibus, vbicunq; consistentibus. Vigore

re Regio, & noſtra Capitaneali, qua in hac parte fungimur authoritate. Mandamus vt coram nobis, aut Iudicio Caſtr. N. in terminis querelarum in Caſtro N. prius, qui poſt præfixum tempus celebrabuntur, perſonaliter & peremptoriè compareas; ad inſtantiam Nobilis N. qui te citat ad inſcriptionem Terreſtrem N. à Nobili olim N. patre tuo recognitam, qua ſe ſuoſque ſucceſſores obligaverat, mille floren. numeri & monetæ Polonicalis, pro tempore iam præterito, ſub vadio ſimilis ſummæ ipſi ſoluturum, nec ſolvit: & ideo vadio prænominato ſuccubuit, pro quo cum ſumma principali, perſolvenda te citat: qui vt in bona eius, ita iniuria ſucceſſiſti; latiùs tibi in termino præmiſſa declaraturus, ad quæ iudicialiter ſit reſponſurus. Dat. in Caſtro N. feria N. Anno N.

OBSERVATIONES.

Qui pecuniam ſcriptam in primo termino (*etiam peremptorio*) reponit, non ſuccumbit vadium. Decretum Regiæ Maieſtatis Varſaviæ in Vigilia Omnium Sanctorum 1556. Pœnam tamen trium marcarum triplicem ſolvit: quod ſi huic Statuto in inſcriptione abrenunciavit, aliter cenſendum eſt.

Si extra terminum quis in cauſa procedit per exceptiones, vel litis conteſtationem, ipſo proceſſu terminum approbat, ac ſi legittime excitatione, vel decreto proveniat.

Iudex præſidens ex Officio ſuo petenti procuratorem idoneum, deputare tenetur, qui procurator ſi ad mandatum Iudicis onus procurationis ſuſcipere noluerit, pœna vnius ſexagenæ à Iudicio non diſcedendo, toties quoties in hoc mandato Iudicis contravenerit, puniatur: tam diu donec onus procurationis ſuſcipiat, cum effectu. Et nihilominus cauſas coram iudicio ne procuret, donec pro omnibus pœnis prę fatis ſatisfaciat.

Succeſ

Successor quilibet existens, oneratus inscriptione antecessoris sui sine vadio; non in Castrensi, sed in Terrestri iudicio respondere tenetur.

Si citatus actorem in termino primæ citationis evasisse dixerit, actorque se nescivisse de eiusmodi citatione, super quàm evasio obtenta est, allegaverit, decernitur ipsi super ignorantiam iuramentum.

Successores alicuius, divisim citati pro facienda ratione pro patre, si aliqui essent minorennes, non tenentur seniores absque minorennibus pro interesse suo respondere, sed omnes simul pro toto.

Cùm aliquis scribit terminum cum aliquo ex citatione, in qua notatur evocatio de districtu, tunc in tali scriptione termini ista clausula est servanda. (Ad contradicendum iure pro evocatione de districtu.)

Cùm aliquis infamaverit aliquem, volens eum spoliare honore eius, & pro illa infamatione citatus fuerit, tunc in illo termino primo eundem pœnam infamiæ dicat: Ego illum pro bono homine habeo, & nihil mali scio de ipso. Illa allegatio quæ continetur in Statuto de turpiloquijs, vbi scribitur, (*si statim non revocat*) habetur pro revocatione in illo termino. Sed si permittit se condemnare in pœna contumatiæ, ex prima citatione, & pars Actorea astat terminum secundum contra eum, in termino illo non potest aliter revocare præterquam iurare mettertius. Quod illa non fuit locutus. Si non iuraverit, iam luet pœnam in Statuto descriptam: & descendēs sub scamnum, debet dicere: id quod locutus fuit, mentitus fuit vt canis.

Notandum, quod in actione criminali pro verbis famosis instituta nemo potest per suum procuratorem verba famosa, vlla conditione revocare vel declinare, tantum solus met citatus.

Dum alicui cum aliquo intercedit causa iuridicè, & Actor Reo & Reus Actori promittit verbo contra illum terminum non attentare, & tandem attentat, aut in lucro, vel in evasione alter alterum condemnat, condemnatus non potest iure agere occasione verbi, quia in talibus, verbis non convenit agere, sed scriptis coram Iudicio.

Dum actor suam propositionem facit in causa criminali per procuratorem suum, pars citata non tenetur respondere ad propositionem parti actoreæ, in absentia actoris. Quia causa criminalis ventilatur inter partes.

Formæ in contumatiam obtentæ

contenta.

1. *Nomen Actoris & Rei.*
2. *Occasio.*
3. *Ministerialis acclamatio.*
4. *Terminus positus non peremptorius.*
5. *Admissio Iudicij, seu eff.cij.*
6. *Condemnatio in pœna contumatiæ.*

Forma Contumatiæ

NObilis N. Actor Nobilem N. citatione literali Castren. N. citatum ad inscriptionem Terrestrem N. ab olim Nobili N. patre eius facta, super summam millæ florenorum, & totidem vadij in defecta solutionis præfatæ summæ deponendi; citatione præmissa latiùs continente, huc ad Officium præsens Capitaneale Castren: N. per Ministerialem Generalem providum N. ter, & vltra iuris communis formam, quater vocatum, & non comparentem, nec ad præmissa respondere curantem, ex admissione Officij præsentis, in termino primo, in pœna contumatiæ iudicialiter, ac officiosè condemnavit, iuxta citationem suam primam.

Se-

Secundus terminus, qui ex secunda citatione provenit (& est peremptorius) seu secundum tempus est, ad condemnandum Reum in lucro.

Secundæ Citationis Exemplum.

PRæmissis vt supra, vsque ad eum, locum. Qui te citat, addendum; Secundò: prout te in term no primo, in terminis querelarum Castren. N. ex admissione Officij nostri in pœna contumatiæ Iudicialiter condemnauit, iuxta citationem suam primam, qua te citauerat ad inscriptionem patris tui, Terrestrem N. qua se suosque successores obligauerat. &c, vt supra.

Est autem lucrum, obtento desiderij Actoris secundum contenta citationis.

Et est quadruplex lucrum.

1. *Solius taxæ fundi; vt potè in causis simplicium iniuriarum; & aliis fundum non tangentibus:*
2. *Taxæ & fundi, vt in causis violentæ expulsionis.*
3. *Vadii & fundi, vt in causis diuisionis, & violentæ expulsionis. Obserua tamen quod in causis violentæ expulsionis coram iudicio Terrestri damnorum taxa obtinetur,*
4. *Pœnæ infamiæ, vel capitis & fortunarum, vel alterius eorum.*

Condemnatio in lucro quæ iniusta esse videtur?

1. *Si non clamatus per Ministerialem condemnatur.*
2. *Si non condemnationis tempore in Statuto descripto condemnatur*
3. *Si non in legittimo termino condemnatur.*
4. *Si coram in competenti Iudicis extra forum condemnatur.*
5. *Si nomen citati aliud sit scriptum in citatione, aliud in concitatione.*
6. *Si in condemnationem citatio tota non inseritur.*

7. Si

7. *Si mortuus, & à mortuo condemnatur, idque citra controuersiam elucet: nam actor ad probandum esset proprior.*
8. *Si post motionem interpositam admissibilem vel non admissam condemnatur.*

Tales condemnationes postquam sufficienter probantur, nullitatis vitio subiacent.

Condemnationis remedium iuridicum.

COndemnans aliquem citatum & è contra, condemnatioque talis non existens arestata pernoctata fuerit, condemnatus tali modo protestabitur coram iudicio vel officio contra condemnantem. Quia propter aliquod legale impedimentum venire ad terminum præfixum non potuit (nominando impedimentum) & inscribi libris eiusdem Iudicij protestationem talem curet, & tunc demum citet pro male obtento lucro, & condemnatione ad hoc idem forum, offerens sese probaturum impedimentum causæ, ob quam tempestivè ad terminum præfixum venire non potuit.

Formæ lucri contenta.

1. *Eadem, quæ in contumatia, nisi quod hic terminus peremptorius nominatur.*
2. *Citatio tota loco occasionis inseritur.*
3. *Pœna quindecim alias trium marcarum.*

Forma lucri.

NObilis N. Actor, citatum N. citatione secunda literali Castren. N. tenoris talis. (Inseratur citatio integra: post citationem verò) ita ponendum. Hic ad Officium præsens Capitaneale Castren. N. per Ministerialem Generalem Regni providum N. ter, & vltra iuris formam quater, ad instãtiam præfati Actoris vocatum, & non comparentem, iurisq; ac Officio, nec per se, nec per suum legittimum quempiam

pleni-

plenipotentem parere curantem, ex admissione Officij præsentis in sao lucro, pro toto iudicialiter ac Officiosè condemnavit, iuxta suam citationem, & in pœna quindecim, aliàs trium marcarum p[illegible]ti; & Officio totidem.

Lucrum post arestum.

QVandoquidem in lucro citati præfati condemnationem Nobilis N. nuncius eiusdem ad præsens Iudicium tempestive eodem die veniens arestavit, sed sequenti demum die prædictus N. actor supra nominatum N. citatum, per Ministerialem Regni Generalem providum N. clamatum & non comparentem coram eodem Iudicio pro toto in suo lucro, iterum post arestum interpositum ex regestro causarum arestatarum condemnavit iuxta citationem suam; cuius tenor sequitur eiusmodi. *Abnegatio lucri.*

EX decreto Iudicij præsentis & partium infrascriptarum Actoreæ per Nobilem M. citatæ verò per Nobilem A. controversia, Nobilis N. ad instantiam Nobilis A. Actoris citatione literali N. Terrestri ad satisfaciẽdũ pro cõdemnatis in lucro concitatus, occasione per ipsum eidem Actori N. ac aliàs iuxta citationem taxam in se M. & totidem damni continentem de præmissis latiùs obloquentem, evadet medio corporali iuramento hinc in proximis terminis Terrestribus in eam iuramenti rotam. Quia de citatione literali Terrestri N. secunda, super quam in lucro est condemnatus quicquam scivit, nec ipsi de ea constabat; Deo & sancta Christi Passione ita ipsum adiuvante. Post quam autem iuraverit, Iudicium decernet id quod iuris erit habebunt itaq; partes terminum in proximis terminis Terrestribus N. ad præmissa & vlterius ea in causa, prout de iure venerit procedendi, iuxta citationem prænominati actoris, decretum præsens, termini conservationem & acta,

Arestum post condemnationem quamcunque.

TAndem ad Officium actaque præsentia veniens tempestivè iuxta Constitutionem Nobilis N. condemnationem suprascriptam arestavit: quod arestum Officium ab eo susceptit, verum quoniam iudicia querelarum ante hanc arestationem iam determinata fuerunt; ideo vlterior processus causæ præsentis differtur per Officium (seu Iudicium) præsens iuxta obseruantiã iuris in similibus ad diem crastinum *Vel si feria sexta aut pridie alicuius Festi arestum interponatur scribendum sic:*
ad primam sessionem Officij præsentis in qua habebunt partes terminum iuxta arestum præsens, citationem actoris, termini conservationem à acta.

OBSERVATIONES.

Erronea perductio iuris, seu perlucra minùs iuridicè obtenta; vel in foro incompetenti nulla sunt: etiam si victus eo modo intromissionem in bona sua metu vadiorum concederet.

Res iudicata duobus modis iure obtinetur.

1. *Per sententiam scilicet deffinitiuam.*
2. *Aut per condemnationem citati in lucro.*

Libertas fit à citatione vel à termino, vel à citatione & impetitione actoris: & hoc fit quando contra mentem inscriptionis actor citat: vel à citatione termino & à causa, & hæc est absoluta & perfecta libertas, qua tota causa destruitur. Fit tamen interdum vbi evictor intercedit aliquem quod ille qui intercedit liber pronunciatur à citatione & à causa: tamen reservatur contra illum salvà actio, si quid in evictore deffecerit.

In causa criminali quando Actor non est præsens, liber fit.

fit citatus perpetuo; & super actore pœna talionis decernitur, secus fit in puncto bannitionis, vbi ob defectum actoris seu delatoris citatus tantum à termino liber. Nam Instigator iuvat partem actoream.

Lucrum tunc temporis quando pars citata in alio Iudicio habuit terminum pro maiori super parte actorea obtentum cassatum est Decreto Maiestatis Regiæ, Petricoviæ.

Bona civilia pro lucris Castrensibus onerari nequeunt, & ramatio actoreæ partis in lapideam iuri civili subiectam, vigore exequutionis extendi non potest.

Reus permittens se condemnari in termino peremptorio, facti vel debiti, reus habetur: Iam etenim & Iudicem contempsit, & se teneri fatetur.

Dum pars actorea condemnat partem citatam in causa granicierum in pœna contumatiæ iuxta primam citationem; & post illam condemnationem ex prima citatione, iterum pars citata permittit se condemnare ex secunda citatione in lucro: tum illud lucrum vocatur actoratus. Cum quo actoratu iam pars remittitur cum parte citata ad campum ad ius Succamerarij, & stante illa remissione in loco campestri, pars citata non potest movere aliquas controversias; sed debet sequi partem actoream, quæ obtinuit partem actoratum in iure Terrestri; ex illa condemnatione in lucro.

Cum quis amicus citati absentis, cum plen potentia, aut munimentis comparet & lucro arestato vult defendere causam eius, actor verò causæ repellit à causa: iudicium eundē amicum posse cum sit possessionatus causam sui amici attentare decernet.

Vbi firma est inscriptio & is cui inscriptio servit citaret postea, pro non satisfactione alicuius clausulæ in inscriptione contentæ pro vadio; in termino verò proveniente, pars

citata personaliter comparens : actorem absentem in evasionem condemnaret, petens se liberum â citatione, & à causa pronunciari: extunc non debet fieri liber nisi à citatione & progressu iuris, salva actione. Agat denuò Actor.

Cùm aliquis in bonis alicuius quibuscunque, summam maiorem, aut perlucra habuerit, extunc minorem summam, aut perlucra alterius solvere, & in vtraque summa eadem bona tenere & possidere potest, vsque ad solutionem vtriusque summæ: aut is qui minorem summam habet, si ei qui summam maiorem, aut perlucra habuerit placuerit, eidem summam maiorem & perlucra solvere, & in vtraque summa, eadem bona tenere & possidere, vsque ad solutionē vtriusque summæ potest. Decretum Sacræ Regiæ Maiestatis Cracoviæ, feria secunda post Dnicam Rogation. proxima 1539.

In termino citationis secundæ non tenetur actor relationem citationis primæ producere tantū pœnam cōtumatiæ.

Dum quis sese in Iudicio sistit & de positione citationis quęrit, iam tenetur vlterius procedere: alioquin si recedit, luerum super illo obtinetur: videtur enim in litem intrasse.

Quando alicui per Iudicium decernitur luita pœna trium marcarum Iudicio satisfacere: ibi pro tempore non debent decerni damna, sed pars vincens conveniat partem iuresictam pro damnis, iuxta iuris formam, in foro competenti.

Arestum in vna actione bis vel plus fieri non potest, & contra decretum Iudicis, arestum non fit, sed in contumatiam: post arestum verò tenetur pars experiri.

Qui facit arestationem condemnationis, eadem die debet facere, aliàs postero die factum arestum nihil valet.

Septem marcas solvit, qui evasionem arestat, sed hanc arestationem faciat cum protestatione, quod pro ea vult experiri in Iudicio in futuris terminis. Sarnitius fol. 766.

Quando

Quando ex controversiis lucrum obtinetur, non est opus concitare ad satisfaciendum pro lucro: sed statim satisfactio in vim lucri obtinetur.

Item. Quando in Tribunali taxa decernitur, non est opus concitare ad satisfaciendum: sed statim pro interponendis vadijs triplicatis reus vocatur.

Lucrum obtinetur, cum citatus in termino peremptorio non comparet.

Ex controversia etiam, si termini Castrenses in sex septimanis non celebrentur, ad quos terminus conservatus inciderit: tamen in alijs terminis, lucrum obtentum validum.

Condemnatio facta & non arestata, sed pernoctata est firma.

Condemnatio super citationem in termino nullo vel coram incompetenti Iudice (licet in lucro) nihil condemnatum afficit.

Condemnatio in lucro non valet in primo termino, præsertim cum se pars condemnata in inscriptione, in termino primo, tanquam peremptorio respondere non submisit.

Quando aliquis pro ex divisione bonorum, fratrem aut aliquem consanguineum citat, ille autem non pareret in termino secundo, scilicet permitteret se condemnare in lucro, extunc non debet fieri concitatio, tantummodo debet remitti pro ex divisione facienda loco lucri per decretum: etsi noluerit divisionem facere, debet remitti ad Capitaneum pro exequutione.

In facionato termino nihil aliud lucratur quam restitutio rei ablatæ cum pœna: pro damnis verò agendum in foro competenti.

Si quis in Iudicio, alieno nomine, absque mandato illius cuius nomine procuratorium continet, comparuerit, & actus

gesserit, vel causam perdiderit, & de hoc legittimè convictus fuerit, facies eius in signum maleficij euidentis cauterio notetur, cum impressione: & nihilominus parti, cui per falsum procuratorium damnum irrogatur, tenetur: iuxta statutum.

Tertius terminus astitus concitatorius.

TErtius terminus (seu tertium tempus) & astitus concitatorius, qui ex tertia citatione prouenit, seu ex citatione ad satisfaciendum pro lucro, in eoq; astitio obtinetur, & ibi in continenti additur Actori Ministerialis ad intromittendum ipsum in bona (si actione personali actum non est) in revicti, secundum quantitatem æstimationis rei luciatæ, seu iniuriæ illatæ, & in totidem damni. Alias verò in omnia bona (si actione reali actam est in rem, seu bona, pro quibus actio est instituta) & in summa æstimationis damni illati, & ad vallandam pœnam quatuordecim marcarum super iure victum de non impugnanda, sed admittenda intromissione ac possessione, admissáque tandem non præpediendæ; ac in casu intromissionis cum possessione impugnatæ, vel etiam admissa intromissione possessionis denegatæ, seu præpeditæ tam per se, quam per suas quasvis submissas personas, ad remittēdum actorem cum reo iurevicto, ac re iudicata ad loci Capitaneum seu Capitaneos cuius, seu quorum iurisditioni bona iurevicti subsunt pro exequutione rei iudicatæ faciendæ & determinandæ, debito iuris ordine seruato.

Concitationis Exemplum.

PRæmissis, vt supra, vsque ad hunc locum: Qui te citat.

Et post ea ponendum: & concitat aliàs *przypowieszą*, ad soluendum & satisfaciendum sibi pro his omnibus, pro quibus te in terminis querelarum Castren. N. iudicialiter in suo lucro pro toto condemnauit iuxta suam citationem, qua te citauerat ad inscriptionem Terrestrem N. Nobilis olim M.

patris

patris tui. *Cætera superiori citatione inserenda.* In fine autem pro responsurus, concludatur. Pro his igitur, pro quibus in luco condemnatus es, iudicialiter sis satisfacturus. Datum in Castro, &c.

OBSERVATIONES.

Vt damna lucretur Actor, necesse est, vt in concitatione exprimatur: Ad videndum & audiendum, iurari super damna in citatione & concitatione expressa. Etenim hoc est molumentum concitationis, vt si in termino illius, citatus in contumatiam condemnatus sit, non opus est actori iurare de damnis. Si verò comparuerit citatus, actor ad instantiam eius damna iuramento probare tenebitur: quod extra citationem non possit obtinere.

Cum de damnis agitur, vadia, & damnorum taxæ triplicantur.

Concitationem satisfactionis duo sunt destruentia. Primo si in termino concitato ad satisfaciendum nomen mutetur, vel obmittatur, vel condemnatio sit mala. Secundo, cùm aliquis offert se probare aliquid, & non probat, eo non probante petitur evasio per partem citatam.

In termino concitato, si citatus diceret se nescire de citatione ac progressu iuris, ac vult iurare, extunc sibi iuramentum decernitur in instanti, & mox iuret, postque ibidem super citationem respondere tenetur.

In termino satisfactorio id totum decernitur, super quo est obtentum lucrum, videlicet taxa qua res principalis taxatur.

Quando non ex controversia partium decernitur lucrum necessaria est concitatio ad satisfaciendum iuxta Statuta. Herbor. 200.

Formæ

Formæ astitionis contenta.

Ea sunt quæ in contumatijs additur tamen ex rei occasione.

1. *In termino astito, condemnatio.*
2. *Concitationis integræ positio.*
3. *Petitio, & obtentio intromissionis.*
4. *Additio Ministerialis & Nobilium ad intromittendum.*
5. *Remissio pro exequutione.*

Formæ Astitionis.

NObilis N. citatum N. ad Officium præsens Capitaneale Castren. N. concitatione sua ad solvendum, & satisfaciendum pro lucro, eundem ad Officium præsens per Ministerialem Generalem Regni, Honestum N. ter & vltra iuris formam quater vocatum & non comparentem, in termino astito concitatorio condemnavit, iuxta concitationē suam, tenoris talis. *Inseratur concitatio integra*, postea scribatur. Postquam condemnationem in vim satisfactionis pro lucro petijt sibi addi ipse Actor Ministerialem cum duobus Nobilibus quibuscunque, ad intromittendum ipsum ad bona illius omnia, & id quod iuris est decerni. Officium vero præsens Castrense N. inhærendo condemnationi & petitioni Actoris, addidit ipsi Ministerialem Generalem Regni cum duobus Nobilibus quibuscunque, ad intromittendum ipsum in bona citati & iurevicti omnia, inscriptione & processu causæ istius onerata in illius lucris, perlucris, quæ ipse super eo, ac bonis eius omnibus, ratione decreti debiti, & vadij obtinuit: Quam intromissionem nullo modo denegare, imò liberè admittere, admissamque tam per se, quàm per quasvis submissas & subordinatas personas, non debebit

bit præpedire. *Quod si vero decreto huic contrauentum in aliqua parte fuerit, causa ipsa cum partibus ipsis remittitur ad loci Capitaneos: sub quorum iuris dictione bona iurevicti consistunt, pro illius exequutione, iuxta formulam processus Iudiciarii.*

Cum decreto hoc ad intromittendum proficiscendum si denegabitur intromissio; hoc modo fit relatio per Ministerialem & Nobiles.

Ministerialis Generalis Regni providus N. de cuius autẽtico & functione Officij constat, ac N. & N. coram Officio & Actis hisce Castren. N personaliter stantes, sani, publicè ac benuolè recognoverunt: quia vigore decreti Officij Castren. N. astitionis termini concitatorij fuerunt personaliter in bonis villæ N. Nobilis iurevicti, feria N. in eaque ac in alia omnia Nobilem N. iurev ctorem intromittebant in illius lucris, perlucris, quæ ipse super eo, & bonis illius omnibus, ad inscriptionem Terrestrem N. ab olim patre eius Nobili N. factam ratione debiti 1000. florenorum & similis vadij obtinuit: sed eam intromissionem famulus iurevicti, nomine ipsius iurevicti denegavit, & non admisit, de quo ab ipso actore contra iurevictum protestatio est facta, & de prosequutione ipsius causæ.

OBSERVATIONES.

In Termino astito non prius tenebitur Actor causam prosequi contra comparentem reum nisi prius lucrum tollat reus.

Item is, qui se ius ad bona habere prætendit, in quibus ponuntur citationes, debet pro deportatione citationum agere, antequam ex processu res ad exequutionem devenerit. Nam si tam diu siluerit, non poterit exequutionem præpedire. Excipitur tamen fœmina gaudens reformatione.

In causis divisionis & expulsionis non fit astitio, sed cum

lucrum decernitur, & in vim lucri decernitur divisio; tum citatio datur ad interponenda vadia triplicata, vadio Capitaneali primario correspondentia.

Ministeriali mortuo, si in termino astito pars vult videre Ministerialem, neque (adhærendo Statuto) vult respondere ad propositionem, nisi prius viso Ministeriali; pars Actorea statuet Nobilem loco Ministerialis, qui fuit præsens circa positionem citationis cum Ministeriali mortuo, cui relationi Nobilis, simpliciter absque iuramento credendum est, tanquam Ministeriali soli. Et post huiusmodi relationem, pars tenetur ad respondendum.

Intromissio accepta per Ministerialem non additum, in Iudicio quocunque nihil valet.

Ius perpetuitatis habens vel acquirens cum intromissione firmus est perlucris, licet ante hac super eisdem bonis perductis: modo intromissio non subsequatur in summa perlucrorum in eadem bona.

Ministerialis, quasvis relationes intra decursum sex septimanarum in districtu proprio (excepta legittima causa) recognoscat.

Relatio Ministerialis, coram quibuscunque actorum libris, depositione citationis facta, tantum valet, quantum personalis recognitio eiusdem Ministerialis valere debuit, si recognoscat in eisdem actis tempus, & locum positæ citationis, & cui eandem citationem publicavit in bonis, & cum quibus Nobilibus hoc fecerit iuxta Statutum Sigis. 1543.

Intromissio nullitatis vitio subiacet, si tantum in deserta bona, vel molendinū capitur, obmissa possessione iurevicti.

Intromissiones extra proprium forum factæ nullius roboris sunt. *Acceptare intromissionem in perlucris actori liberum est non expectato vlteriori spatio duarum septimanarum.*

In Ius

In Iudicio Terrestri hic stat processus, postea pro exequutione remissio fit ad Officium Capitaneale vlteriorque processus est exequutionis.

Exequutio Capitanealis contra reum iurevictum incipit à citatione quarta: quæ dicitur Innotescentia.

Innotescentiæ autem sunt duæ:

Vna; pro interponendis.

Secunda, pro decernendis vadijs triplicatis.

FORMA INNOTESCENTIÆ QVARTÆ Citationis quæ datur à Capitaneo contra iurevictum, de interponendis vadijs triplicatis.

DRæmisso titulo Capitanei, vt supra, loco, Mandamus, scribendum. Innotescimus. Ministerialem Generalem Regni providum N. cum certis Nobilibus secum personaliter comparentibus, coram nobis & Officio nostro Capitaneali Castr. N. personalem feciſſe relationem. Quomodo dum super additus fuisset ex decreto Officij nostri astitionis termini concitatorij, Nobili N. Actori iurevincenti, ad intromittendum ipsum in bona tua omnia, vbivis locorum consistentia, vigore ipsius per lucrorum super te, & bonis tuis omnibus legittimè obtentorum: quorum series & ordo in actis nostris latius continentur, occasione summæ 1000. florenorum, & totidem vadij, cui succubuisti, ob non solutionem principalis summæ 1000 florenorum coram actis Terrestribus N. per olim patrem tuum Nobilem N. recognitorũ. Extunc tu existens iurevictus & rebellis, ad requisitionem præfati Ministerialis & Nobilium, intromissionem cum possessione in bona tua per famulum tuum N. vel per te ipsum non

non admisisti, quo facto exequutio eorundem perlucrorum nobis & Officio nostro legittimè incumbit. Qua propter tibi vigore Regio, & nostra Capitaneali authoritate, mandamus, vt coram nobis, seu Officio nostro Capitaneali Castren. N. in terminis Officiorum in Castro N. feria N. ante festum N. proxima celebrandorum, vel dum & quando termini prædicti prius post præfixum tempus celebrabuntur, ad instantiam prædicti Actoris personaliter ac peremptorie cõpareas. Qui te citat ad videndum & audiendum nos auctoritate brachij Regalis in vim exequutionis, prædictam partem iure vincentem, in bona tua omnia potenter intromitti; & vadia triplicata, videlicet 6000. florenorum pecuniæ communis summæ debitæ & vadia correspondentia de non impugnanda eadem intromissione vadari & interponi, ac alia in talibus fieri solita, constitui, alias contumacia tua non obstante, nos ad ea, quæ Officio nostro incumbuant contra te procedemus, seu Officium nostrum procedet. Datum in Castro N. Anno & die.

In Innotescentia Exequutoriali post assequutam inè remissionem interveniente cessione iuris sic scribendum.

Omnia vt supra in Innotescentia de interponendis vadiis triplicatis scribantur vsque ad hunc locum: Quapropter &c. *Scribatur postea.* Quæ itaque summa ac perlucra memorata, quoniam per suprascriptum N. post affectatam & denegatam per te intromissionem prædictam in personam N. M. inscriptione N. sunt transfusa & realiter abscessa: proinde te idem N. ad præmissa omnia, vigore iuris eiusdem ceffi, & in se actis N. vti prædictum transfusi adcitat: nosque tibi mandamus vigore Regio & nostra Capitaneali authoritate, ex officioque quatenus coram nobis seu Officio nostro in terminis querelarum feria N. ad instantiam suprascripti N. iuscessum vti

præmissum est ad supra scripta omnia habentem actoris moderni, legittime, personaliter, peremptorieque compareas. Ad videndum & audiendum nos authoritate brachij regalis, in vim exequutionis eorundem perlucrorum præfatum Magnificum N. actorem iurevincentem modernum in bona tua præfata omnia iuxta perlucrorum prædictorum ipsi modo præmisso cessorum, continentiam, potenter intromitti tuerique, prout ad nostrum pertinet Officium: alias contumatia tua non obstante, nos ad ea quæ nobis ex officio nostro incumbunt contra te procedemus, officiumq; nostrum proced et. Datum.

OBSERVATIONES.

Vt ordinata sit Innotescentia, opus est de nomine Ministeriale m denominare qui facit relationem non admissæ intromissionis, alias citatio erit inordinata contra formam videlicet statuti.

Ante positionem Innotescentiæ brachij Regalis exequutorialis existimant quidam esse necessarium in actu inscribere relationem Ministerialis de non admissa intromissione: Ideo, quod in eiusmodi innotescentia scribitur. *Significamus coram nobis relationem feciss e providum* N. Verum ego necessitatem huius rei non video.

Citationes Castrenses ad querelam, ab eodem verbo Innotescimus incipiunt. Similiter in notescentiæ Commissoriales.

Termini seu tempora processus

in exequutione rei iudicatæ in foro exequutionis Officij Castrensis Capitanealis, contra Reum iurevictum sunt tria.

PRIMVS TERMINVS EXEQVVTIONIS OFFICII CASTREN. CAPIT.

PRimus terminus, seu primum tempus est ad astandum terminum contra iurevictum innotescitum, contumacem, & ad exequutionem rei iudicatæ, per Officium Castrense Capitaneale, super iurevicto decernendam (facta probatione ab actore relatione Ministerialis ac Nobilium duorum; de non admissa actori intromissionem cum possessione) pœnamq; quatuordecim marcarum ratione intromissionis impugnatæ luitam, & addendum Ministerialem actori ad intromittendum eundem iuxta continentiam decreti Iudicij Terrestris: & ad imponenda vadia triplicata super iurevictū de non impugnanda intromissione cum possessione, ac admissa tandem non præpedienda.

OBSERVATIONES.

In hoc termino nulla defensa incumbit citatio, saltem hæ:

1. Deducere in competentiam perlucrorum, ex ea solùm ratione, si in foro incompetenti sint obtenta. Nam incompetentia fori; præsertim Castrensis, non obstante quovis processu, sive in contumatiam, siue per controversiam obtento, etiam in ipso vltimario puncto exequutionis deduci potest.

2. Ignorantia processus, prout in termino concitatorio.

3. Reproductione quietationis in quantum vera sit, aut non comentita.

4. Satisfactione, hoc est submissione dandæ intromissionis in perlucris.

Post interposita vadia triplicata actor cum instigatore debet citare, alias citatio erit inordinata: nam medietas vadiorum competit Capitaneo pro qua agit instigator.

For-

Forma condemantionis super innotescentiam: & interpositio vadiorum triplicatorum.

NObilis N. Actor, citatum N. ad Iudicium præsens citatione innotescentiali exequutoriali per Ministerialem Generalem Regni N. ter, & vltra iuris formam quater vocatum neque per se, neque per plenipotentem suum comparentem in termino interponendorum vadiorum triplicatorum condemnauit, iuxta suam citationem innotescentialem, tenoris talis. *Inseratur citatio tota.* postquam condemnationem ipse Actor petijt sibi addi denuò Ministerialem cum duobus Nobilibus: ac vadia triplicata interponi. Officium verò Castrense N. attenta eiusmodi contumacia citati, & viso eo processu iuris actoris, ex quo liquet denegatam esse ipsi intromissionem; ad petitionem ipsius addidit ipsi Ministerialem Terrestrem Generalem providum N. ac duos Nobiles, quoscunque sibi conducere poterit, ad intromittendum ipsū iurevictorem, in bona iurevicti omnia N. in N. & alibi vbicunque existentia: quæ sunt inscriptione & processu iuris onerata, in illius lucris, perlucris, quæ ipsi super eo, ac bonis illius omnibus ad inscriptionem Terrestrem N. pro debito mille florenorum, & simili vadio obtinuit: quam intromissionem ipse iurevictus, cùm ad eam capiendam victor quandocunque venerit officiosè, vel quempiam nomine suo miserit, nullo modo, tam per se, quàm per quempiam alium denegare debebit, nec datam præpedire sub vadijs triplicatis summæ debiti, & vadij correspondentibus nunc interpositis, & in bona iurevicti deferendis. Quod si verò decreto huic quomodo contraventum fuerit, reservatur Actori salva continuatio, & prosecutio istius causæ debita iuris via.

Tandem ad maximum in duabus septimanis Ministerialis cum

duos

duobus Nobilibus acceptas ab Officio Capitaneali, authentice patentes literas, ponit easdem in bonis citati perlucris subiectis, requirendo ipsum officose, vt sub iisdem triplicatis admittat intromissionem. Quam si non admiserit, recognoscit de eo relationem coram officio Capitaneali.

Forma literarum significatoriarum à Capitaneo, de vadiis interpositis.

TIbi Nobili N. villæ N. hæredi, de omnibus bonis tuis notum facimus præsentibus Nobilem N. actorem & iure superiorem, certa perlucra, & rem iudicatam super te, ac bonis tuis omnibus, coram Officio nostro Castri N. obtinuisse, occasione non soluti debiti 1000 florenorum, & totidem vadij, ab olim Nobili N. patre tuo, coram actis Terrestribus N. recogniti. Quare nos seu Officium nostrum Capitaneale N. inhærendo Statuto regni, & consuetudini receptæ eidem præfato N. actori iureuincenti, Ministerialē Regni providum N. ad intromittendum eundem, in bona tua villæ N. & alia omnia, cum vadiis triplicatis literalibus, 6000 florenorum Polon: tum & 18 marcarum pecuniæ pœnarum exinde sequutarum; iuxta quantitatem & exigentiam perlucrorum interpositis, addidit & deputavit: iniungendo tibi, vt sub eisdem triplicatis vadijs, per Officium nostrum interpositis, ipsi actori iurevincenti, realem intromissionem cum pacifica possessione, in prædicta bona tua hæreditaria; super quibus eiusmodi perlucra actoris sese extendunt, iuxta illorum continuationem liberè admittas, admissamque per te & per submissas personas non præpedias subjisdem triplicatis vadiis, ipsi actori, & Nobilis loci Capitaneo per medium adiudicandis. De quibus triplicatis vadiis interpositis, vt certior fiat, illa per eundem ministerialem supra nominatum, in domum & curiam tuam, iuxta iuris communis formam, defert ibidemque relinqui: ac ad notitiam

titiam tuam deduci ininuximus, in fidemque præmissorum sygillum nostrum Capitaneale N. præsentibus appressum est. Datum de Anno D. &c.

Si decreto huic non paruerit citatus, rursus citatur citatione inno tescentiali, pro decernendis vadiis triplicatis, tam ab Instigatore Officii quam à parte lureuincente.

Quintæ citationis exemplum.

PRæmissis; *vt in superiori proxima citatione, vsque ad eum locum*: Decreto Officij nostri astitionis termini cocitatorij sic immutandum. *Decreto Officii nostri interpositionis vadiorum triplicatorum*: Continuandumque, vt in eadem citatione superiori, vsque ad eum locum: *Quo facto exequutio eorundem per lucrorum*: vel ita ex materia subiecta immutandum. *Quo facto vadia triplicata iure solvere teneris & vt vlterioris iuris rigor contra te extendatur ipse tibi author extitisti.* Quapropter tibi vigore Regio &c *vt supra ad eum locum*: Ad instantiam præfati actoris &c. *vbi quoque ita immutandum.* Ad instantiam Instigatoris Officij nostri Castren. N. ac Nobilis N. iurevincentis, qui te citat ad videndum & audiendum vadia ipsa triplicata, decreto priori officij nostri interposita, super te & bonis tuis, ob denegationem ipsius intromissionis, per nos seu officium nostrum decerni, & eorum alteram partem Instigatori nostro, & alteram victori adiudicari, in vimque vlterioris exequutionis brachij Regalis, rumationem tui, de bonis tuis omnibus, in ea vero ipsi actori intromissionem decerni & ad id exequendum, Vicesgerentem nostrum cum Ministeriali, & duobus Nobilibus quibuscunque addi, & deputari. Ea igitur Officium nostrum exequi sis iudicialiter attentaturus. Datum in Castro N.

SECVNDVS TERMINVS EXEQVVTIONIS.

SEcundus terminus, seu secundum tempus est ad astandum terminum contra iurevictum innotescitum (facta similiter probatione per actorem relatione Ministerialis, & duorum Nobilium, de non admissa intromissione, cum possessione, sub vadijs triplicatis interpositis) & ad decernenda vadia triplicata, actori & Capitaneo, per medium super iurevicto innotescito, & rumationem iurevicti de bonis eius faciendam. Additurque Vicesgerens cum duobus Nobilibus ad rumandum & eiciendum iurevictum de bonis processu oneratis: tum ad intromittendum: & interponitur pœna bannitionis, ob denegatam rumationem.

OBSERVATIONES.

In hoc termino nullæ etiam defensæ admittuntur, præter eas, quæ in termino innotescentiæ primæ nullæque dilationes, motiones, prout & aliis terminis exequutionis rei iudicatæ admittuntur.

Post astitionem innotescentiæ eiusdem, seu condemnationem super citatum pro vadijs triplicatis, decernuntur triplicata vadia, medietas parti actoreæ, & medietas loci Capitaneo: qui manu forti & armata citatum de bonis (iuxta formalia verba Statuti) potenter eijcere debet.

Capitaneus non habet triplicata vadia, si pars citata iuraverit se nescivisse de Processu iuris: vel si actor iramentum ei dimiserit. Similiter si pars citata cum actore concordiam iniverit.

Si iurevictus in aliquo gradu exequutionis personaliter in ludicio vel officio stans, admiserit actori intromissionem, tandemque actorem expulerit, extunc ad loci Capitanei defensio actoris pertinebit, tanquam violenter expulsi.

Si autem in contumaciam obtento processu actor nemine impugnante in bona iurevicti se intromiserit, & per iurevictum expulsus fuerit; extunc non pro expulsione aget, sed contra iurevictum Processum obtinebit, & continuabit: secus si eam personaliter admiserit.

Capitaneus seu eius officium in exequutione rei iudicatæ vel perluctorum, admittere non debet appellationem: sed non obstante appellatione, debet procedere ad exequutionem perluctorum seu rei iudicatæ. Nam tunc Capitaneus est exequutor, non Iudex causæ.

Evasio in exequutione rei iudicatæ locum habere non potest.

In exequutione rei iudicatæ nullæ dilationes sunt concedendæ. Exequutio enim non patitur moram; præter dilationem ad quietationem. Existimant alij quod etiam aliæ dilationes quæ destruant totum processum ita vt quietatio possunt consedi in exequutione.

In exequutione rei iudicatæ tollens processum in Iudicio Terrestri obtentum, remittendus est ad Iudicium Terrestre ad experiendum super originalem citationem.

Si quis citatus pro debito de omnibus bonis suis terminũ scripserit, asserens se eorundem bonorum hæredem; tandem in lucro condemnatus subsequutioneque temporis post astatum terminum pro exequutione remissus fuerit inexpurgationis autem termino comparens, allegat non posse in ijs bonis officium exequutionẽ facere, quia ipsa bona sunt (quod inscriptione verificat) fratris sui; quoniam igitur officium non est Iudex sed exequutor rei iudicatæ, non obstante allegatione iurevicti, procedet ad exequutionem.

Iuramentum quod non impugnabat citatus intromissionem actori, non potest ad proximos terminos prorogari, sed in instanti præstari debet.

Forma condemnationis super hanc citationem.

Vt supra proxime posita: nisi eo loco: In termino interponendorum vadiorum triplicatorum *scribendum* in termino decernẽdorum vadiorum. *Inseratur citatio tota, vt in prioribus: Post eam ita scribendum.* Postquam condemnationem ipsa pars Actorea producto ipso processu, & eo probato, quod sibi sit denegata intromissio in contumatiam iurevicti: petijt sibi vadia triplicata in decreto priori interposita cum rumatione decerni Officium verò Castri N. annuendo iustæ & legittimæ partis actoreæ petitioni, viso ipso processu, & quod sit denegata intromissio citatum vadia triplicata ad solvendum meruisse, sua sententia adinvenit, quorum alteram medietatem instigatori, alteram iurevictori adiudicavit; & in vim vlterioris exequutionis addidit illi Vicesgerentem, sive officium Castrense competens, cum Ministeriali, & Nobilibus quibuscunque, ad rumandum & eiciendum ipsum iurevictũ de bonis illius omnibus, inscriptione & processu causæ istius oneratis, in eadem verò iurevictorem, in illius lucris, perlucris, & in media parte vadiorum triplicatorum; in altera verò instigatorem officij huius ad intromittendum. Quam rumationem, tum & intromissionem modo præmisso effectat citatus, & iurevictus nullo modo denegabit. sub pœna bannitionis, quæ nunc contra citatum interponitur.

Post hoc idem decretum, officium Capitaneale specialiter deputat de nomine aliquem Nobilem, instituendo ipsum ad Officium Vicesgerentis ad rumationem cum Ministeriali ac Nobilibus: qui sine qua vlla turba solent descendere ad rumationem, & solet requiri an admittatur rumatio nec ne? qua denegata, citatur reus ad bannien dum.

Sextæ

Sextæ citationis exemplum, quæfit ad iudicium Capitaneale hoc est, ad terminos Castrenses terminusque ei post affectatam rumationem, non nisi in duabus septimanis præfigendus.

Præmissis, *vt supra in citatione prima, vsque ad eum locum:* Ad instantiam, à quo continuandum ita. *Instigatoris Officii nostri, tum & Nobilis N.* actoris intervenientis, personaliter & peremptoriè compareas, qui te citat ad banniendum, & de Regno ac Dominijs eidem annexis proscribendum: ideò quia tu existens iurevictus, occasione 1000. florenorũ non persolutorum, & totidem vadij, per olim N. patrem tuum, coram actis Terrestribus N. recognitorum ac inscriptorum, rei iudicatæ non vis satisfacere, nempè rumationem tui de bonis tuis omnibus, ac in eadem intromissione vigore lucrorum, & perlucrorum vadiorumque triplicatorum ratione præfati debiti super eadem, à præfato N. actore iurevincente obtentorum, noluisti & non vis admittere: Citaris itaque ad videndum & audiendum contra te bannitionem decerni, ac publicari, ad omniumque notitiam deduci, præmissa iudicialiter attentaturus.

TERTIVS TERMINVS.

TErtius Terminus, iamque vltimus, seu tempus vltimum est ad astandum terminum, per officium Capitaneale, ex instigatione partis iurevictoris (facta similiter probatione de non admissa intromissione cum possessione, & hoc ex relatione Vicesgerentis & Ministerialis, ac Nobilium) contra reum iurevictum citatum, seu innotescitum contumacem, & adpronunciandum bannitum & proscriptum de Regno & Dominijs ei subiectis, similiter etiam & complices eius pro vno & eodem termino, citatos etiam ad pronuciandum eos bānitos & proscriptos de Regno & Dominijs ei subiectis.

Condemnatio post astitionem termini citationis vltimæ exequutorialis ad decernendam publicandamque bannitionem editæ, & Decretum bannitionis:

Coram Iudicio præsenti Capitaneali Castri N. astiterunt iudicialiter termianum peremptorium citationis vltimæ exequutorialis, ad decernendam publicandamque bannitionem editæ, Instigator Officij nostri, & Nobilis N actor iurevincens, contra Nobilem N citatum citatione tenoris talis. *Inseratur citatio tota.* Postea addendum: & hoc ideo, quia præfatus iurevictus, per Ministerialem Regni Generalem providum N Judicij huius apparitorem, ter & vltra iuris communis formam quater, ad iudicium præsens clamatus, iuri & iudicio præsenti parere minimè curavit, admissione iuridica iudicii præsentis mediante. Post cuius quidem termini peremptorii, vltimi exequutorialis debitam & iuridicam astitionem, parte ipsa actorea & iurevincente, vlteriorisque iuris gradu à iudicio præsenti super ipsa citata & iurevicta parte decerni affectante; Judicium præsens Capitaneale N. cui præsidebat N. M. visa & attenta etiusmodi terminis exequutorialis debita actione, auditaque ipsius actoreæ, & iurevincentis partis, iusta & digna affectatione, considerata etiam iurevictæ rebellione ac contumatia, nolens in exequationibus rerum iudicatarum aliquam committere negligentiam, inhærendo iuri communi, super ipso citato & iurevicto, bonisque illius, pœnam bannitionis, & de Regno dominisque illi subiectis, proscriptionis in ipsius contumatiam decrevit, & præsentibus bannitum proscriptumque decernit, ac pronunciat, decreto iudicij mediante. Et vt eadem pœna bannitionis super ipso iurevicto ad præsens decreta, eidem citato & iurevicto innotescat, ad notitiamque debitam perveniat: hoc idem iudicium præsens eandem pœnam bannitio-

tio-

tionis per Ministerialem Regni Generalem providum N. in Castro & in circulo civitatis N. alta & sonora voce publicandam, denunciandam, proclamandamq; censuit: ad quod exequendum eundem Ministerialem præfatum de iuris forma addidit & deputavit, iuxta ipsius actoreæ partis citationem, prout astitio vltima exequatorialis, totusq; iuris processus, & acta de præmissis latius testantur.

Si vero in decreto annotabitur relatio publicationis ita scribendum:

Et hic idem providus N. Ministerialis Regni Generalis coram eodem Judicio Capitaneali N. personaliter comparens in vim suæ veræ ac fidelis relationis, publicè ac per expressū recognovit, quia ex mandato eiusdem Judicii præsentis bannitionem præfatam per Justigatorem eiusdem iudicij, & Actorem iurevincentem Nobilem N. super citatum modo præmisso obtentam, hic in Castro & in circulo Civitatis N. ac locis publicis alta & sonora voce publicavit & proclamavit, ad notitiam q̃ue omnium in præsens existentium deduxit, sua præsenti recognitione mediante.

Si autem post additionem Ministerialis differetur publicatio ad proximos terminos ita scribendum.

Cuius quidem bannitionis publicationem iudicium præsens ex consensu personali delatorum ad proximos terminos C. C. N. ab hinc immediate celebrandos distulit & prorogauit.

Post obtentam bannitionem processus contra bannitum.

Post obtentam bannitionem, antequam Capitaneus Nobilitatem manu armata moverit, mittit prius Ministerialem cum nobilibus ad intromittendum se & partem iurevincẽtem. Si intromissionem ipsemet bannitus (non autem alia persona iure non convicta, vigore iuris sui possessorij) impugnat, obtinet actor literas vniversales ex Cancellaria

Regiæ

Regiæ Maiestatis ad Capitaneum & Nobilitatem illius districtus, vt se contra bannitum tanquam contemptorem iurium & hostem patriæ moveant: contra cuius personam proceditur iuxta Statuti informationem pleniorem. Qui si capi poterit, vita illius sit in gratia Regis similiter & complicum ipsius, si cum eo capti fuerit. Si autem non ipsemet bannitus; sed aliquis alius qui non est iure convictus intromissionem impugnat, Officium Capitaneale super sedere debet ab exequutione viteriori hoc est, ab acceptione intromissionis in bona. Iure enim non convicto: bona non sunt recipienda. Alioquin Capitaneus succumberet possessori summã 100. marcarum ob excessum modum in exequutione contra personam iure non convictam: sed pars actorea huiusmodi intrusorem, seu interceptorem possessionis citare debet, tanquam complicem ad banniendum: contra quem proceditur vt supra. Non obstante autem eiusmodi processu contra complicem, super personam banniti exequutio fieri potest iuxta instructionem Statuti.

Impossessionatus verò postquam ei in Iudicio Castrensi satisfactio iniungitur, debet sese vel parata pecunia eliberare in duabus septimanis, vel fideiussores dare, quod satisfaciet in sex septimanis. Quod nisi fecerit, citari debet ad banniendum, & cùm bannitus fuerit, capi & detineri debet vsque ad satisfactionem. Sigism. III. 1588. fol. 35.

Contra impossessionatum ad banniendum post astitionem termini concitatio.

Titulus Capitanei. Tibi N. tanquam impossessionato de persona tua vigore Regio &c. Innotescimus Nobilem N. actorem & iurevincentem super te & bonis tuis omnibus coram officio nostro Castrensi Capitaneali N. per lucra certa (in exemplum) pro vadio centum florenorum pecuniæ polo-

polonicalis, ratione non solutionis summæ principalis totidem, eidem N. actis Castrensibus Capitan: N. inscriptæ, ac pro ipsa summa principali perduxisse, remissionemque pro exequutione eorundem pro iuris communis præscripto, & negotij eiusdem exigentia obtinuisse. Quoniam verò de possessione bonisque tuis, super quæ exequutio eorundem perlucrorum, peti & apprehensio possessionis requiri, tum etiam gradus exequutionis contra possessionatos observari solitus contra te extendi possit, non constat: proinde exequutio eiusdem causæ, & perlucrorum super te vti impossessionato, fieri necessario ex præscripto iuris communis debet. Et quia tu existens iure convictus, tanquam rebellis iuri parere noluisti, nec pro perlucris, tum & pro ipsa summa principali, centum florenorum pecuniæ eidem actoris satisfeciſti, igitur exequutio eorundem perlucrorum ad brachium nostrum Capitaneale, quin potiùs Regale cuius vices fungimur in hac parte est devoluta. Quapropter tibi vigore Regio, nostriq; Officij Capitanealis authoritate mandamus, quatenus coram nobis, iudicioque nostro Castrensi Capitaneali N. in terminis Judicialibus Castrensibus N. feria &c. nunc instans proxima in Castro N. celebr: vel alias quando prius vel proximus eiusmodi termini nostri Judiciales N. N. celebrabuntur, personaliter & peremptorie compareas. Ad instantiam nostram sive Justigatoris Officij nostri C. C. N. & ad instigationem seu delationem præfati Nobilis N. ad videndum & audiendum te in defecta satisfactionis pro supra scriptis perlucris, ac pro ipsa summa principali, centum florenipecuniæ, vti rebellem & iuri communi Regni contravenientem de Regno Poloniæ, dominiisque eidem subiectis, banniri & proscriptum pronuntiari, idque quod iuris est contra te procedi: itaque præmissa sis attentaturus, & si quid tibi de iu-

re competierit respondsurus, alioquin contumatia tua non obstante, iudicialiter contra te super præsentem citationem procedetur. Datum in Castro &c.

Contra complicem impossessionati.

Innotescimus Nobilem N. actorem & iurevincentem certa perlucra in Officio nostro Castrensi Capitaneali N. super Nobilem N. summamque pecuniæ N. A. per te eidem N. actis Castrensibus Capitanealibus N. inscriptam, & aliis quibusvis, per eum vbilibet & quomodolibet habitis & possessis, pro quorum interesse salvam & specialem sibi reservat actionem, seu perlucrorum eorundem exequutionis prosequutionẽ, pro vadio N. ratione non solutionis summæ principalis actis Castrensibus Capitanealibus N. inscriptæ, tum & pro ipsa summa principali, iure perduxisse: remissionẽq; pro eorundem exequutione vt negotium hoc idem expostebat obtinuisse. Cum verò is ipse N. fuerit impossessionatus nec exequutio de eodem per affectatas in bona illius intromissiones, & aliorum graduum Judiciariorum prosequutionem, quæ contra possessionatos permitti & fieri ante finalẽ & vltimam exequutionem rei iudicatæ debet, necessario super ipso tanquam impossessionato, pro iuris communis præscripto, hanc ipsorum perlucrorum exequutionem, de summa prædicta, per te illi inscripta determinari debet, prout & in vim exequutionis eorundem perlucrorum est prędictus N. ob non satisfactionem pro eisdem perlucris, ad iudicia eadem nostra ad instantiam nostram sive Instigatoris officij nostri Castrensis Capitanealis N. adbannìendum citatus & attractus. Quoniam autem & complices eiusmodi iurevicti, simili processu convenire licet, nec plus principali suo bannito, iuris beneficia habere possunt. Ideò tibi vigore Regio & nostri Capitaneatus ex officio mandamus, quatenus per-

sonaliter compareas, ad videndum & audiendum te in quā tum summa eadē præfati N. iurevicti per te inscripta & circa te existens, in vim datæ & admissæ in eandem intromissionem & actualis pacificæque possessionis, atque præstandæ exequutionis prænominato actori & iurevincenti reponere, neglexeris renueriscque, ac sese exequutioni sinsmodi oppositis; te vti complicem prædicti N. de Regno Poloniæ dominijsque illi subiectis banniri & proscribi bannitumque & proscriptum pronunciari, idque quod iuris erit contra te exequi & procedi. Sis præmissa tibi latius in termino præsentium declaranda, iudicialiter attentaturus, & si quid ius permittet, responsurus. Datum. &c.

Pro defensione banniti & non permissione eundem captiuari.

Quia tu tuscepto in domum tuam Nobili N. ausu temerario ac contra leges publicas Generosо N. qui ob (*scribatur quod commiserit*) de Regno & Dominijs nostris illi annexis bānitus fuit, dum ad eum in vim exequutionis decreti præfati pro debito officij sui capiendum, ad domum tuam defecēdisset; non modo permisisti libere cum officio suo, vti bannitū præfatum captivare, sed quantum in te fuit exequutioni eidem obstitisti, & profugo præfato opem & auxilium manifestum præbuisti, ab eoque capiendo crebra (si ita fuerit) sclopetarum expulsione aliisque modis repellere conabaris, neque eo contentus, ausus es & audes etiam nunc contra præscriptum legum, exequutionem decreti præfati oppugnare, ipsique bannito favorem præstare, vti protestatio cōtra te facta, latius de præmissis testatur. Propter quos tuos excessus, pœnas legum & statutorum Regni contra conservatores profugorum & bannitorum violatoresque Officij sancitas incurristi. Citaris itaque ad videndum & audiendū has contra te extendi, & id quod iuris est, hac in causa de-

cerni. statui & animaduerti, quod in ipso termino copiosius tibi explicabitur, & deducetur. Sis ad præmissa responsurus. Datum.

Mandatum Sacræ Regiæ Maiestatis ad Capitaneum siue Executoriales literæ.

Sigismundus III. *integer titulus scribatur.* De latum est ad nos Nobilem N. occasione N. ex parte Nobilis M. bannitum & proscriptum esse eamque bannitionem illum nihili facere, sed vti rebellem iurique communi aduersantem bona per lucris subiecta, temere possidere neque vt â dicta bannitione liber esse queat, curare. Quod cum non sine contemptu legum publicarum brachij nostri Regalis, nec non iniuria, damnoque iurevincentis fiat, præsentibus literis nostris Fid. T. mandamus: ne hanc ipsius temeritatem neglectam esse patiatur, sed in eundem vti rebellem, & leges Regni contemnentem, iuxta legum præscriptum animadvertat, atque bannitionis decretum contra ipsum editum debitæ exequutioni demandet, & alia omnia quæ ad officium Fid: T. pertinere videbuntur, sedulo perficiendum curet, adhibito sibi in auxilium totius Nobilitatis si opus fuerit Capitaneatus sui præsidio. Factura id ipsum Fidelitas tua pro gratia nostra & debito officij sui. Dat.

Ad Nobilitatem.

Sigismundus &c. Vniversis & singulis Palatinatus N. vel terræ, cuiuscunque status & conditionis existentibus. Equestris ordinis hominibus sincere & fideliter nobis dilectis gratiam nostram Regiam. Sincere & fideliter nobis dilecti. Iniunximus Generoso N. Capitaneo nostro, vt decretum bannitionis in iudicio N. ad instantiam Instigatoris Officij loci illius, ex dellatione N. (*scribatur essentia*) latum exequatur, in eundemque tanquam rebellem & leges Regni contemnen-

mnentem, ex præscripto iuris publici animaduertat. Si itaque in hoc negotio, auxilio Sincer: & Fid: vestrarum indiguerit, cum literis illius eo nomine requisitæ fuerint, loco & tempore sibi assignato, armati omnes se se sistant atq; eundem in exequendo huiusmodi decreto, vt ex præscripto legum tenentur, iuvent. Pro gratia nostra aliter non facturi. Datum.

OBSERVATIONES.

Consuetudine quadam inolevit, eum terminum non posse prosequi, sine personali comparitione iurevictoris.

In eodem termino dilationes & motiones admitti non debent, excepta aliqua insigni perplexitate perlucrorum.

Nullæ etiam defensæ locum habent præter has, quæ in termino primæ innotescentiæ sunt annotatæ.

Si citatus ignorantiam processus infert, in instanti tenetur iurare moxque respondere. Si verò per procuratorem infert negativam, tum dilatio ei veræ infirmitatis conceditur.

Notandum quoque, si ante bannitionem, vel intromissionem admissam, concordia inter ipsasmet partes intercessoris, & iurevictor iurevictam de perlucris quietaverit, non posse Capitaneum pro interesse triplicatorum medietatem repetere, etiam si decreta sibi fuerint. Idque iuxta Statutũ de partibus lite pendente, inter se concordiam facientibus, à pœnis quibusvis absolvendis. Sed post admissa intromissionem, & promulgatam bannitionem, concordia partium, triplicata, suffocari non potest.

Si quis aliquem citando, ius suum in alienis bonis (vt potè si per citatum ante suscitationem, ea bona vxori vel alteri cuipiam sunt inscripta) ad bannitionem vsque perduxerit, bonaque illa perlucris tenuerit; si postmodum is, cui bona inscripta erant, etiam post tota illa perlucra imò & post

ipsum bannitionem, pro indebita perlucrorum obtentatione in suis bonis & pro damnis inde sequutis illum iuris perductorem citaverit; tunc & bona & damna lucratur, quia in bonis alienis nihil lucrari potuit.

Post decretum bannitionis additur Ministerialis ad publicandum.

Citans aliquis aliquem ad banniendum, & si quoque aliquem citat tanquam complicem, ille autem complex petijt suspensionem fieri, quousque comprincipali causa determinabitur, illico vbi suspenditur hæc actio & principalis bannitus esse pronũciatur, in instanti post bannitionem factam debet complex directè respondere. Si vero complex loco responsionis, peteret sibi dari dilationem ad munimẽta non nominando ex quibus actis, sed solummodo se velle ostendere munimentis quod non sit complex: Judicium decrevit non deberi dare dilationem ad munimenta cum prius suspẽsionem obtinuerit in eadem causa, sed respondeat super citationem actoris directè.

Gradus exequutionis rei iudicatæ.

1. *Innotescentia prima in qua Ministerialis cum nobilibus ad intromittendum iureuincentem in bona iureuicti processu onerata additur, vadia triplicata interponuntur; quod ex superioribus præcepti videre licet.*
2. *Innotescentia secunda, in qua vadia decernuntur, & rumatio ac intromissio.*
3. *Innotescentia vltima ad banniendum.*
4. *Super bannitum violenta manu per Capitaneum exequutio, ad instantiam iureuincentis.*

Quæ sententiæ sunt exequutoriabiles?

SEntentiæ exequutoriabiles sunt, quæ exequutioni illicò tradi debent. Item omnes legittimæ & bonæ sententiæ latæ, &

tæ, & in rem iudicatam transeuntes sua vi & effectu, quæ nec per appelationem legitimam suspenduntur, nec in integrum restituuntur, exequutioni mandandæ sunt. Si verò aliquid prædictorũ interceserit, nullo modo exequi potest.

Sententiæ quoque post trium annorum à die prolationis ipsarum decursum, exequutioni mandari non possunt. Eo quod vsu obseruatur, rem iudicatam expirare, nisi ad decursum temporis suprascripti exequatur. Nam non liti, sed privilegio quodammodo æquipolet.

Sententiæ per quas pars parti condemnata est ad aliquid dandum, faciendum, præstandum, patiendumm, exequutio nem requirunt.

OBSERVATIO.

Hoc autem de sententiarum exequutionibus notandum est, quod quæcunque sententia semel pronunciata fuerit exequutoriabilis contra aliquem, si is contra quem pronunciata est, morte præriperetur ante eius exequutionem; in eo casu hæredes disiunctè adcitandi sunt, cum hac clausulæ: ad videndum & audiendum eandem sententiam contra eos pronunciari exequutorialem.

Idem sentiendum, si actor moritur ante sentẽtiæ exequutorialis exequutionem factam.

Et quoniam iuxta præscriptum Statuti, similis processus seruari debet contra complicem, prout & contra principalem; ideo etiam complices pro vno & eodem termino citari solent.

Citatio ad bannieudum complicem.

CItamus te, sive, Instigator Officij nostri citat te pro eo. Quia tu contra iura omnia Regni, ac in oppositionem exequutionis brachij Regalis per Capitaneos fieri solitam, complicitatem præbens, Nobili N. rematationem, & electionem, per Vicesgerentem Officij nostri N. in bona N. prædicti N.

cti N. hæreditaria in perlucris præfati N. delatoris super eodem N. coram Iudicio Castrensi N. ratione non solutionis N. flor. pecuniæ debiti certi & totidem vadij perductam, idque post adiudicationem vadiorū triplicatorum actori præfato B. pecuniæ ex eodem processu subscpuatorum officiosè affectandam & acceptandam, Nobis vero sive Instigatori nostro præfato, & eidem delatori Nobili N. quantum ad sortem cuiuslibet nostrum spectat, intromissionem & possessionem conferendam, rebelliter & temere denegasti. Et ideò in pœnas bannitionis, & de Regno, dominijsq; ei subiectis proscriptionis incidisti & incurristi. Ad quas contra te decernendas citaris, vt sis iudicialiter præmissa attentaturus, visurus, & auditurus. Datum.

Reus facti & complex facti potest esse quadrifariam.

1. *Si solus noxam fecerit.*
2. *Si auxilio ad id fuit.*
3. *Si consilium dedit.*
4. *Si malefactores fouet.*

Item complices sunt triplices.

1. *Alii qui personæ banniti patrocinantur: videlicet conseruantes eum in domibus, defendendo ipsum, & vires auxiliumque ei suppeditant: ne capi per Capitaneum possit.*
2. *Alii qui non personam banniti, sed bona illius defendunt, vigore iurium suorum, ante institutionem causæ obtentorum; & qui pro importatione citationis non agunt.*
3. *Qui lite pendente iura acquirunt.*
4. *Qui nullo iure habito bona iure victi defendunt.*
5. *Qui habito etiam iure legittimo illi abusi sunt.*

Breviori divisione complices tres.

Alii nudi, alii vestiti;

Nudi: *qui personæ banniti patrocinantur.*

Vestiti:

Vestiti: *qui ius suum, vel vigore iuris sui bona perluerit obnoxia tuentur.*

Et hi sunt duplices:

Alii ante inchoationem causæ potiuntur: vt supra.

Alii qui lite pendente iura acquirunt:

Si complex est vestitus, & ius aliquod reproducit, remittitur ad Judicium Terrestre pro cognitione iurium. Practica enim de iuribus Iudicio Castrensi non competit.

Dilatio ad munimenta specificata ex quibus probari possit citatum non esse complicem banniti, sed vigore iurium suorum possessorem, conceditur.

Et motiones complici sunt admissibiles.

Complex banniti conferi non potest, si iure legittimo etiã in perlucris, licet posterius inceptor, attamen prius quam ille primus actor ad possessionem bonorum banniti pervenit; sed partes in foro Terrestri de potioritate perlucrorum experiantur. Quoniam iudicio Castrensi potioritatem iurium discernere non competit.

Si complex citatur, priusquam principalis bannitur, obtinet suspensionem, quousque banniatur principalis. A quodam per Actorem provocatur, & principalis vigore motionis in Judicio superiori bannitur, tenetur ibidem & complex procedere.

Actor in puncto bannitionis præsens adesse debet: poterit tamen procurator actoris á Judicio petere instigatorem, cum quo actionem promovere poterit: Et si citatus procuratorem Actoris removere voluerit, citatus tantum à termino, & non à causa liber decernitur. Decretum Lublini, 1582. 15. Maij.

Sunt etiam duæ causæ ob quas in integrum restituuntur processus.

1. *Si quis ignorantiam de processu super se obtento inferat, eam que paratum se probare offerat.*
2. *Obiectione non iuridice decreti obtenti, vbi sane tenetur actor totum processum, quo causam obtinuit deducere: in quo si aliquid defuit, vel non secundum iuris formam obtentus sit; cassatur decretum & causa ad nihilum redigitur per decretum superioris iudicis & motione aut appellatione partium ad Tribunal superius, delata.*

Aliæ causæ propter quas non fiatur sententiæ Judicis, sed propter quas, male obtentum seu male iudicatum proferri debeatur.

1. *Ratione personæ iudicantis vt puta quia non fuit cõpetẽs Iudex.*
2. *Ratione fori, quia videlicet non in foro competenti causa ventilabatur.*
3. *Si feratur sententia post lapsum terminũ: idem extra terminum.*
4. *Si sit lata in causa in qua interuenit falsus procurator, vel etiam in qua interuenit falsus tutor vel curator.*
5. *Si feratur super aliud quam quod fuit petitum.*
6. *Si feratur contra solitum ordinem iudiciorum vt pote non oblato libello, nec lite contestata, nec aliis solennitatibus iudiciarii ordinis obseruatis.*
7. *Sententia iudicis erit nulla, ratione personæ, veluti si feratur contra absentem infirmitate detentum, vel iam mortuum.*
8. *Si lata est contra pupillum minorennem indefensum.* (die.
9. *Si sit lata non in tempore, videlicet nocturno tẽpore, vel in festo*

Strictiori modo quinque sunt genera male obtenti.

1. *Judex incompetens.*
2. *Forum incompetens.*
3. *Actor incompetens.*
4. *Saltus in processu.*
5. *Terminus nullus.*

Citatio pro male obtento processu iuris.

Quia tu contra ius commune Regni processum exequutionis, & bannitionis in officio & Judicio Castrensi loco & occasione (scribatur occasio) male, iniustè, & minus iuridicè, incompetenterque obtinuisti, in derogationemque libertatis publicæ, & vsus possessionisque bonorum ipsius: quam iniuriam & præiudicium æstimat ad N. pecuniæ vsualis & exinde totidem damni habet, ac prout tunc tibi lactius deducentur, sis iudicialiter responsurus. Pro infamatione varo & bannitione illicita sibi derogata, specialem cõpetentemque referuat totum actionem Datum.

Similis.

Quia tu nescitur quo Spiritu ductus, ausus es (in exemplum) super eandem actorem, quædam asserta perlucra, occasione cuiusdam debiti asserti infrascripti, videlicet trecentorum florenorum pecuniæ in contumatiam ipsius coram Judicio Castrensi Capitaneali N. in foro incompetenti illicitoque erroneè, iniustè atque iniuridicè ad bannitionem vsque ipsam super ipso actore perducere, de quo tua erronea, iniuridicaque super ipso perductione & perlucris, tibi actori iniustè atque iniuridico, illegitimèq; impositis & obtentis, de citatione etiam aliqua pro eisdem iniustis atque iuridicis, perlucris ac vadijs, & etiam de toto processu suo iniuridico atque erroneo nullam notitiam habuit, neque etiã alicui hanc suum erroneum processum præpediendum curavit, causamque hanc tuam iniustam, suo nomine, tanquam inscius nemini deffendere commisit. Quod vult omni genere probationum, evadere, atque evitare. Itaque te citat ad videndum & audiendum atque attentandum eadem perlucra, & omnem processum iniustum atque erroneum, tanquã in contumaciam super ipso insicio in alieno foro & iurisdi-

tione, obtentum & perductum, cassari, retractari, annihilari & in nihilum redigi. Quam tuam hanc iniustam, erroneã, illegitimamque perductionem, pensat & æstimat sibi præfatus actor contra te ad M. N. pecuniæ & ad tetidem damni exinde sequuti: vel prout &c. Pro quibus quidem omnibus damnis ex inde sequutis, salvam sibi actionem in foro competenti, tecum in toto reservat. Sis igitur. &c.

Ne autem aliquo erroneo processu grauaretur iureuictus, ius bona intentione bannito impertiuit beneficium obtinendi sublevationem bannitionis à Sacra Regia Maiestate ad sex menses, qua, securitas conceditur bannito in Regno manendi, & spacium temporis conceditur pro malè obtento agendi.

Forma sublevationis bannitionis.

VLADISLAVS IV. &c. Significamus &c. Quia ad supplicationem Generosi N. apud nos factam, bannitionem quæ contra illum in Iudicio Castren. N. ad instantiam Justigatoris officij loci illius, ex delatione Nobilis N. N. in causa civili occasione N. edita & promulgata est, hinc ad spatium sex mensium sublevandam & suspendendam esse duximus, sublevamusq; & suspendimus literis hisce nostris, idquo eam ob causam, vt de male (vt asserit) obtento contra se processu, iure agendi habeat facultatem. Cuius quidem sublevationis nostræ beneficijs, ille ad temporis suprascripti spatium, in Regno, & Dominijs nostris versari ac coram quibusvis Iudiciorum ac officiorum subsellijs comparere, causasque suas defendere, ac negotia quævis licita & honesta peragere poterit. Ita tamen, vt rei iudicatæ parere teneatur, neque exequutionis vlteriori in bonis suis, non autem persona, à brachio nostro Regali faciendæ sese opponat, illiq; per se, aut submissas aliquas personas contraveniat. Alioquin ipso facto omne sublevationis eius sibi concessæ beneficiũ

amis-

amissurus esset. exequutioque in personam etiam ipsius, secundum legum præscriptum extenderetur. Quod omnibus quorum interest, præsertim verò Capitaneis nostris, locorũ quorumvis notum esse volumus, mandantes: vt has sublevationis nostræ literas, servatis de iure servandis, in acta sua Castrensia inscribi, & præconis voce publicari faciant, eamque & ipsi observent, & ab aliis observari curent. Secus pro gratia nostra non facturi. In cuius rei fidem. &c. Dat.

Post expiratum vero tempus sex mensium, conceduntur ex Cancellaria Sacræ Regiæ Maiestatis literæ, pro vlteriore eiusdem subleuationis prorogatione ad sex mensium decursum, vsque ad decisionem actionis male obtenti.

Obtenta tamen subleuatione bannitionis, debet adcitare bannitus Actorem ad Officium Castrense, ibidemque probare, quod nullum gradum iuris omisit, probando contra se male obtentum processum esse. Si vero id non demonstrauerit: talis subleuatio locum habere non debet.

Adcitatio ad soluendam bannitionem.

Titulus Capitanei &c. Qui te citat seu adcitat, ad videndum & audiendum attentandumque sublevationem bannitioni, per te illegittimè & incompetenter super eundẽ N. proscribatur occasio pro quo) coram Officio nostro, idem accedẽte publicari permissam: sis iudicialiter visurus, auditurus, & attentaturus, & si quid tibi de forma iuris, competierit, responsurus. Datum &c.

Forma prerogationis.

SIgismundus III. &c. Significamus &c. Quod cùm expositum nobis esset nomine Generosi N. N. cum impetrata à nobis sublevatione bannitionis contra se in Judicio Castr. N. ad instantiam Instigatoris Officij loci illius, ex delatione Nobilis, N. in causa civili occasione N. N. editæ; non po-

tuisse hoc temporis spatio, hanc causam, de indebito iuris contra se processu, cum parte sua aduersa, non celebrationē Iudiciorum Terrestrium, aliaq́ue impedimenta legittima ac iuridica, ad finem suum deducere, supplicaretuŕ; nobis pro vlteriori eiusdem sublevationis prorogatione: Nos animadversa eius supplicationis æquitate inhærendoq́ue legibus atq́ue Statutis Regni nostri, sublevationem eandem, vlterius, hoc est, ad spatium sex mensium, à data præsentium computando, prorogandam duximus esse, prorogamusq́ue hisce literis nostris. Cuius quidem prorogationis, &c. *vt supra in forma subleuationis.* Ita tamen, vt cœptam de processu contra se illegittime obtento causam, sine intermissione prosequatur, & rei iudicatæ parere teneatur, neq́ue executioni vlteriori. &c. *vt supra in forma subleuationis.*

Si vero bannitus omissa actione, pro male obtento, satisfecerit parti pro perlucris, & Capitaneo pro medietate triplicatorum; extunc non sufficit sola quietatio ab Actore & Capitaneo: verum etiam necesse est à Sacra Regia Maiestate obtinere literas relaxationis bannitionis, quibus bannitus in pristinum suum statum restituatur.

Forma relaxationis bannitionis.

Sigismundus III. &c. Significamus præsentibus literis nostris quorum interest vniuersis & singulis: Exhibitas nobis esse literas ex actis Castren: Capit. N. authentice emanatas quibus Generosus N. Generosum N. de causa & actione ipsi ad iudicium N. ratione (*scribatur essentia citationis*) institutа, tum lucris, perlucris ac toto processu, nec non pœna bannitionis, super ipso bonisq́ue ipsius ratione suprascriptorū, per præfatum Generosum N. obtento & producto quietavit, & liberum misit, supplicatumque nobis esse nomine eiusdem Generosi N. vt eandem bannitionem occasione suprascriptorum in eum editam relaxare & abrogare dignaremur.

mur. Nos itaque attento eo quod præfatus Generosus N. cum parte adversa transgesserit, & quietationem obtinuerit: bannitionem eandem relaxandam & abrogandam esse duximus, relaxamusque & abrogamus præsentibus literis nostris, atque prædictum Generosum N. liberum à bannitione memorata absolutum pronunciamus, & iuribus & libertatibus Regni nostri, abolita bannitionis macula eundem restituimus. In cuius rei fidem præsentes sigillo Regni nostri communiri iussimus. Datum.

OBSERVATIONES.

Bannitus in omni iudicio locum standi non habet, sed si fuerit actor suæ causæ in cuasione; sin verò citatus in lucro condemnatur. Neque potest vllus facere inscriptiones, neque factas suscipere, neque faciēdis consentire: nam ista nullitatis vicio subiacebunt.

Tamen cum obtinet sublevationis literas, habet locum standi, quas tamen; citando partem ad demonstrandum se agere velle pro male obtento, coram Officio Capitaneali, publicare & acticare debebit.

Publicationem sublevationis bannitionis, in proprio Castro faciet bannitus, alias invalide. Poterit etiam eam facere in vicinieri Castro, sed cum protestatione; si non fuerit suscepta in proprio Castro.

Bannitus amittit beneficium sublevationis, si impedierit possessionem suorum bonorum actori iure lucratorum: vel etiam exequutioni in ijsdem bonis faciendæ sese opposuerit, poteritque citari ad Judicium Castrense, ad videndum amitti beneficium subleuationis.

Bannitio à quolibet in omni iuris gradu obijci potest, etiamsi in prioribus instantijs non obijceretur.

Si actori vel citato obijceretur aliqua bannitio in contuma-

maciam obtenta: eius ignorantiam probabit iuramento, & habebit locum standi. Sed si bannitio per contoversiam obtenta esset, ad probationem bannitus non admittitur.

Cùm aliquis bannitus citatur à quopiam, & per decretū Iudicij non datur sibi locus standi in Iudicio, condemnaturque in lucro; Idem concitatus ad satisfaciendum si allegat quod pro tunc is vsus est exceptionibus, quia de bannitione illa ignoravit, nec ibi vbi bannitus est habuit possessionē, hoc facere debet obtenta sublevatione. Si autem hæ exceptiones à iudicio priori non sunt susceptæ: extunc comprobabit iuramento, quod de illa bānitione ignoravit, eademque tunc vsus est exceptione: & sic causa ad integram restituetur.

TITVLVS IV.

DE EXCEPTIONIBVS.

Exceptio est intentionis Actoris exclusio. Quemadmodum enim Actoris arma sunt actiones, ita rei exceptiones, quibus intentionem actoris excludat.

Exceptionum subdiuisio:

1. *Declinatoriæ fori.*
2. *Exceptiones dilatoriæ.*
3. *Exceptiones peremptoriæ.*

Declinatoriæ fori, quæ mutant forum aut Iudicij authoritatem impediunt & suspendunt vt:

Si te alleges ratione priuilegii respondere non debere.
Si ratione personæ, contractus vel districtus.

Et sunt ex parte:

Personæ Iudicis

mur. Nos itaque attento eo quod præfatus Generosus N. cum parte adversa transegerit, & quietationem obtinuerit: bannitionem eandem relaxandam & abrogandam esse duximus, relaxamusque & abrogamus præsentibus literis nostris, atque prædictum Generosum N. liberum à bannitione memorata absolutum pronunciamus, & iuribus & libertatibus Regni nostri, abolita bannitionis macula eundem restituimus. Incuius rei fidem præsentes sigillo Regni nostri communiri iussimus. Datum.

OBSERVATIONES.

Bannitus in omni iudicio locum standi non habet, sed si fuerit actor suæ causæ in cuasione; sin verò citatus in lucro condemnatur. Neque potest vllus facere inscriptiones, neque factas suscipere, neque faciēdis consentire: nam ista nullitatis vicio subiacebunt.

Tamen cum obtinet sublevationis literas, habet locum standi, quas tamen, citando partem ad demonstrandum se agere velle pro male obtento, coram Officio Capitaneali, publicare & acticare debebit.

Publicationem sublevationis bannitionis, in proprio Castro faciet bannitus, alias invalida. Poterit etiam eam facere in viciniori Castro, sed cum protestatione; si non fuerit susceptа in proprio Castro.

Bannitus amittit beneficium sublevationis, si impedierit possessionem suorum bonorum actori iure lucratorum: vel etiam exequutioni in ijsdem bonis faciendæ sese opposuerit, poteritque citari ad Judicium Castrense, ad videndum amitti beneficium subleuationis.

Bannitio à quolibet in omni iuris gradu obijci potest, etiamsi in prioribus instantijs non obijceretur.

Si actori vel citato obijceretur aliqua bannitio incontu-

maciam obtenta: eius ignorantiam probabit iuramento, & habebit locum ſtandi. Sed ſi bannitio per controverſiam obtenta eſſet, ad probationem bannitus non admittitur.

Cùm aliquis bannitus citatur à quopiam, & per decretũ Iudicij non datur ſibi locus ſtandi in Iudicio, condemnaturque im lucro; Idem concitatus ad ſatisfaciendum ſi allegat, quod pro tunc is vſus eſt exceptionibus, quia de bannitione illa ignoravit, nec ibi vbi bannitus eſt habuit poſſeſſionẽ, hoc facere debet obtenta ſublevatione. Si autem hæ exceptiones à iudicio priori non ſunt ſuſceptæ: extunc comprobabit iuramento, quod de illa bãnitione ignoravit, eademque tunc vſus eſt exceptione: & ſic cauſa ad integrum reſtituetur.

In termino bannitionis, ſi iurevictus minorennis, ſine tutoribus intromiſſionũ admittit, non ſuſcipitur ſine tutoribus

Kneto pro ſua iniuria poteſt Nobilem banniri, & bannitionem obijci, cum agit ſemper cum aſſiſtentia Domini ſui.

Actores duo in citatione ad banniendum ſcripti exiſtentes, ſufficit vnum illorum in iudicio comparere.

Actor ſi in termino bannitionis non comparet, citatus à termino liber pronunciatur.

Nobilem bannitum, & de bannitione non ſublevatum occidens, nullam pro eo pœnam incurrit, neque pecuniariam, neque ſeſſionis turris.

Succeſſori adcitato actor non tenetur deducere proceſſũ paternum, ſi per controverſiam vltimum decretum latum fuiſſet, niſi illud vltimum decretum.

In quolibet iuris vlteriori proceſſu, quilibet tenetur deducere parti, citatæ (etiam mortuo actore poſt revificatoriã citationem contra ſucceſſores) citationes, concitationes, relationes, contumatias, dilationes, lucra, perlucra, nullum

gra-

gradum iuris obmittendo. Quocunque obmisso, cadit in causa ipsamque amittit.

Processus contra personam in legatione Reipublicæ existentem obtentus, nulitatis vitio subiacet.

In termino bannitionis non datur dilatio ad alia munimenta, nisi quibus probare velit, eam causam esse sublatam.

Cum parti obijcitur bannitio & ipse trahit se ad munimēta quod habet relaxationem vel sublevationem: datur ei dilatio præsertim si bannitio esset vetusta. At nunc de sublevatione & relaxatione subsequuta est Constitutio Anni 1588 Fol. 39 quæ docet, quod vbi alicui obiecta sit bannitio in contumatiam obtenta, debet super ignorantiam illius bannitionis iurare & ita locum standi habebit. Quod si procurator comparet & offert iuramentum per principalem suum præstare; tunc eiusmodi iuramentum erit pro futuris terminis decernendum. Quod si quietationem de illa bannitione allegat & vigore eius relaxationem: tunc concedenda erit dilatio ad producendam quietationem & relaxationem iuxta Constit: memoratam.

Brevis series processus ad inscriptionem in contumatiam.

1. *Citatio originalis in forma solita.*
2. *Relatio eiusdem citationis positionis.*
3. Condemnatio ad inscriptionem fit dupliciter.
   Contra successores inscribentis in pœna contumatiæ.
   Contra inscribentem ipsummet in lucro.
4. *Concitatio ad satisfaciendum post obtentum lucrum ad minus post duas septimanas fiat.*
5. *Astitit terminum ex concitatione ad satisfaciendum pro lucro.*
6. *Relatio positæ concitationis.*
7. Condemnatio triplex.

Astitit terminum concitatum, additur, remittitur contra possessionatum.

Astitit terminum indifferenter concitatum: hoc est, si est possessionatus, tanquam contra possessionatum: si vero est impossessionatus, tanquam contra impossessionatum.

Astitit terminum concitatum tanquam contra impossessionatum.

8. *Intromissio in duabus septimanis post condemnationem est affectanda in bonis possessionati per Ministerialem cum duobus Nobilibus: terminus vero post vnam septimanam præfigendus: si vero est impossessionatus extunc post condemnationem ipsius in astitione termini concitatorii, ad banniendum citetur.*

9. *Relatio denegatæ intromissionis, contra possessionatum post astitionem termini concitatorii.*

10. *Innotescentia brachii Regalis poni debet post vnam septimanam*

11. *Relatio eiusdem positionis. Condemnatio sequitur.*

12. *Astitit terminum innotescentiæ brachii Regalis, Ministerialis additur. Vadia triplicata interponuntur.*

13. *Ministerialis post duas septimanas in bona citati cum vadiis triplicatis, debet cum duobus Nobilibus mitti.*

14. *Relatio impugnatæ intromissionis, & positionis vadiorum triplicatorum inscribatur:*

15. *Citatio pro vadiis triplicatis.*

16. *Relatio positionis eiusdem.*

17. *Astitio ex citatione pro vadiis triplicatis.*

18. *Condemnatio in vadiis triplicatis decernitur; Vicesgerens ad rumationem additur.*

19. *Relatio denegatæ rumationis.*

20. *Citatio ad banniendum.*

21. *Relatio positionis ipsius.*

22. *Condemnatio in pœna bannitionis. Ministerialis additur ad publicandum.*

23. *Relatio eiusdem publicationis.*

Atque hic finis processus ad inscriptionem causa, per contumatiam rei procedente.

Obseruandum tamen ne hic processus vltra præscriptum iuris communis præcipitanter obtineatur, alias malè obtẽtum obiceretur.

Item Processus Judiciarius est, cum Reus citatus comparet in Judicio.

Cum Reus comparet in Judicio, vel dilationibus vtitur, aut exceptiones opponit (si quibus abundat) dilatorias seu temporales, vt totum negotium simul iugulet peremptoriũ.

Si verò vsum dilationum respuat, exceptiones nullas habeat, super citationem directè respondere tenetur, scilicet affirmando, vel negando.

Omnis itaque responsio Rei, aut est exceptio, vt potè in accessorio, aut litis contestatio.

Si exceptio; extunc aut est Declinatoria, aut Dilatoria, aut Peremptoria. Et quemadmodum exceptiones in triplici genere sunt positæ ita in decreto quolibet tres de iure & consuetudine instantiæ debent obseruari.

Videlicet prima Procedendi. Procedere autem cum iubetur; in Processu vlteriori dillationes iuridicæ concedi possunt.

Tandem Respondendi. Ad extremum: Directè respondendi: hoc est, negandi, vel fatendi factum. Cum verò directè respondere citato decernitur decreto Judicij, pars verò in responsione directa deficiens, respondere nolet; extunc Actori debet concedi iuridicè ad contenta citationis sum vlterius procedere, vel in lucro citatum condemnare.

TITVLVS IV.
DE EXCEPTIONIBVS.

Exceptio est intentionis Actoris exclusio. Quemadmodum enim Actoris arma sunt actiones, ita rei exceptiones, quibus intentionem actoris excludat.

Exceptionum subdiuisio:

1. *Declinatoriæ fori.*
2. *Exceptiones dilatoriæ.*
3. *Exceptiones peremptoriæ.*

Declinatoriæ fori, quæ mutant forum aut Iudicij authoritatem impediunt & suspendunt vt:

Si te alleges ratione priuilegii rospondere non debere.
Si ratione personæ, contractus vel districtus.

Et sunt ex parte:

Personæ Iudicis
Actoris: Procuratoris:
Et ex parte rei ipsius causæ:

Exceptiones sunt duplices:

Exceptiones dilatoriæ sunt quæ causam ex contractu legis seu pacto, ex dispositione seu iudicis sententia in aliud tempus & locum differunt & prorogant; hæ autem non semper locum habent, sed quandoque euitari possunt. **Qualis est.** *Pacti de non petendo intra tempus certum, puta quinquennium.*

Et procuratoria exceptio: Procuratorium mandatum non habere: vel principali ius constituendi non esse.

Et sunt contra:

Terminum.
Positionem citationis.
Formam ipsius.

Hæc

Huc pertinent & dilationes variæ quæ non perimunt causam sed terminum prorogant & differunt, de quibus infra.

Post dilatorias consumptas vel per iudicem amputas, extunc proferendæ sunt exceptiones peremptoriæ.

Peremptoriæ seu personales; quæ semper locum habent, nec cuitari possunt.

Qualis est pacti perpetui, ne omnino pecunia petatur.

Rei iudicatæ transactæ, & finitæ solutionis.

Et si quid contra iura & constitutiones factum esse dicitur.

Et sunt ex parte:

Fataliorum.

Præscriptionum.

Condemnationum in Euasione.

NOTANDVM.

Harum exceptionum ea est natura, vt primo exceptiones declinatoriæ, deinde dilatoriæ introducantur: omnes autem debent induci ante litis contestationem hoc est affirmationem, vel negationem vel contradictionem.

Peremptoriæ verò, (exceptis quibusdam peremptorijs: scilicet de re iudicata, transacta, & finita, quæ de sui natura, ante litis contestationem inducuntur, quibus reus conatum actoris perimere & diluere intendit.

Advertendum etiam, hoc loco præcepta illa, quæ de oppugnationibus citationum superius sunt connotata, exceptionum vim sapiunt quod excludunt Actorum intentionem.

Ordo inferendarum earundem exceptionum, ne per alteram alteri derogetur.

1. *Contra terminum.*
2. *Contra positionem citationis.*
3. *Contra forum & personam Iudicis.*

4. *Ex parte personæ Rei.*
5. *Contra personam Actoris.*
6. *Contra formam citationis.*
7. *Contra processum & fatalia Iuris: tum & præscriptionum.*
8. *Dilationes.*
9. *Litis contestatio, seu responsio in causa principali.*

DE TERMINO.

In primis attendendum est: An sit legittimus terminus, vel non.

Si est legittimus, aut ex citatione, aut ex anteriori conservatione fieri debet.

Si non est: Id fit aut ob translapsitatem, aut mortem Actoris, vel Rei, aut Judicis, aut propter cessionem Actoris de actione, & transfusionem in aliam personam. Quibus casibus intervenientibus necessaria est adcitatio & revificatio causæ.

Ex eodem fonte & fatalia ob intermissionem vnius anni & sex septimanarum petuntur.

DE POSITIONE CITATIONIS.

Si terminus provenit ex citatione, observandum est: an Relatio positæ citationis sit personalis, vel literatoria.

Si literatoria, notandum est: an instrumentum sit sufficiens, vel non.

Si personalis. Attendendum est authenticum Ministerialis: Juratusne, an tonsus & publicatus, an etiam Generalis, vel provincialis sit.

Præterea inquirendum est ab ipso, de tempore positionis: An in vna septimana ad iudicia Terrestria, vel Castrensia.

An

An in duabus septimanis ad iudicia Tribunalis, vel Commissariorum.

An in sex septimanis in causa exemptionis bonorum Regalium.

An ex Maiori Polonia in Minorem in quatuor septimanis vel è contra, in eadem verò Polonia; an in duabus septimanis ad iudicium Regiæ Maiestatis posita sit.

DE FORO ET PERSONA IVDICIS.

Attendenda proprietas & differentia Magistratuum: videlicet, Ecclesiastici & secularis: Item Regij & Tribunalis.

Demum Terrestris, Castrensis, Succamerarialis.

Tum Fori Maideburgensis & Culmensis.

Item circumstantiæ considerandæ sunt.

Personæ, Judicis, Partium causæ, & loci.

Judicis in eo.

Habilisne sit: hoc est, an adultus. An indigena.
An non bannitus. An Nobilis.
An possessionatus. An iuratus.

Partium in eo.

Vt Actor forum rei sequatur.

Personæ Nobilis possessionati in Foro Terrestri.

Impossessionati, vbicunque præventus fuerit in foro Castrensi.

Plebei in Maideburgensi.

Villani, coram suo Domino.

Pruteni in foro Culmensi.

Serui cum Domino & Theloneatoris, in quocunque foro.

Causæ autem circumstantia in eo perpendenda est.

Civilisne sit, an Criminalis.

Si Ciuilis, aut ad Iudicium Terrestre aut Capitaneale pertinet.

Si Criminalis, aut Iudicio Conuentionali Sacræ Maiestatis Regiæ, aut Castrensi subest.

Si Capitanealis, tunc est aut Iudicij, aut Officij.

Loci circumstantia in eo examinanda est.

Ne sit euocatio ex alio districtu in alium.

In criminibus tamen recentibus etiam possessionatus forum, respectu delicti in eodem loco vbi commissum est habet.

DE PERSONA REI.

Videndum num sit bannitus, vel pleni iuris.

Item ætas attendenda: num sit Minorennis, vel adultus.

Si minorennis: an cum assistentia Tutoris est citatus.

Denique an sit in Regno vel extra Regnum, in seruitio militari, vel legatione.

Demum sexus & status perpendatur.

An sit virgo, vel maritata, an vidua.

Si Virgo, an cum Tutoribus.

Si maritata, an cum assistentia mariti citata sit.

Vidua enim sui iuri est.

DE PERSONA ACTORIS.

Similiter attendendum est, an sit bannitus vel pleni Iuris:

Item discrimen sexus virilis & muliebris, vt supra.

Præterea. Nobilisne sit, an Plebeius.

Quod præcipue in personalibus causis puta capitis, vulnerum, & incarcerationis obseruandum est. Ea enim aliter in persona Nobili, litere in Plebeia æstimantur.

Ex vi-

Ex visceribus itidem ipsius causæ, plurima argumenta incompetentiæ petisolent, vt pote: hæreditariam questionem vsufructuario non competere, ad alienaque inscriptionem, & pro iniuria aliena neminem agere posse: & alia pene infinita ex natura causæ diligenter considiranda.

DE FORMA CITATIONIS.

Videndum an ordinata sit.
Cuius quidem tres essentiales partes esse debent.
Forum. Nomen & cognomen Actoris & Rei.
Tum expressa descriptio negotij, de quo agitur.
In descriptione rei præcipuè circumstantia loci, temporis, tum etiam instrumenta attendantur.
Data etiam, & terminus, an sit sufficiens,
Tum etiam Titulus non est negligendus.
Plura de Citationibus habes supra.

DE FATALIBVS.

Videndum an in causa cæpta, fatalia vnius anni & sex septimanarum non sint intermissa.

In exequutione autem definitiuæ sententiæ, si tempus trienale, & trimestriæ non sit elapsum: Decretum quippe eiusmodi æquipollet eo in passu Privilegio.

Sciendum preterea discrimen esse inter fatalia, & præscriptionem.

Fatalia, si quidem in processu, præscriptiones verò in causa conseri. *De præscriptionibus vide infra sub Tit: 9.*

In causis verò diuisionis, exemptionis, limitum, & inscriptionis, fatalibus, & evasione non causa, sed processus perimitur.

Sed in exequutione rei iudicatæ fatalibus causa, euasione, autem duntaxat terminus tollitur.

OBSERVATIONES.

Natura fataliorum alia est; quæ non nisi autheticis probatur literis, hoc est, Ministerialium relationibus citationes ponentium. Alia verò præscriptionum, quæ non nisi iuramento probatur. Itaque in fatalijs, authentica probatio; in præscriptione iuratoria decernitur.

Si quis inceptam causam post condemnationem vnam intermittit & post annũ & sex septimanis non adcitat ad prosequutionem illius: amittit causam fatalibus pro qua citavit: nisi ob aliquam causam Iudicia suspensa, tunc ex causa fatalibus non amittitur, iuxta Statut: tamen adcitare tenetur. Contra inscriptionem firmam fatalia obijci non possunt, si decernuntur, à processu & termino liber citatus pronunciatur, non autem à causa.

Cum aliquis citat pro aliqua re, duos vel tres competitores, & interea vnus ex citatis moritur, postea verò Actor adcitaret post mortem illius, alios fratres simul citatos, illi autem dixerint: quod non cito nos adcitasti post mortem nostri fratris; & vellent id comprobare iuramento corporali. Pars verò actorea offeret se comprobaturum, quod post mortem defuncti illius non omiserit citare ante fatalia: extunc Iudicium adinvenit propiorem esse partem Actoream ad comprobandum, quod non omisit ante fatalia adcitare post mortem præfati fratris ipsorum & super hoc solus iurare debet. Ratio, quia si citatus deberet evadere de fatalijs, semper actores causam suam perderent.

Vbi Reus non agnosci factum, sed processum impugnat; sublato processu fatalijs, tollitur & causa. Exceptis causis limitum, diuisionis & exemptionis.

In exequutione rei iudicatæ, nimirum post rumationem factam, fatalia trium annorum & trium mensium currunt, quoniam res iudicata vim sapit privilegij. Quod si Actor in exequutione rei iudicatæ aliquid processerit & post illum processum in exequutione anno & sex septimanis siluerit, processum illum exequutionis fatalijs amittit: nisi fortasse nondum tres anni & tres menses expiraverint, tunc Actor ad rumationem denuo citabit.

Scriptio termino, citatus fatalia obijcere non potest. Si censet alij.

Si quis post mortem Judicis non adcitat intra annum & sex septimanas, fatalis causam amittit.

In exequutione, post mortem citati, vel Actoris, si quis intra annum & sex septimanas non concitat, amittit causam fatalijs.

Actor obtinens decretum ex quacunque actione si per triennium post obtentum decretum causam suam contra illum cui intentavit actionem non prosequitur, amittit causam illam fatalibus.

TITVLVS V.

DE DILATIONIBVS.

Dilatio est prorogatio temporis in causa.

Dilationes diuiduntur.

In peremptorias. & Dilatorias.

Peremptoriæ sunt. *Quibus probatis causa lucratur & obtinetur, non probatis amittitur; vt est ad munimenta specificata causam perimentia: ad quietationem: vere infirmitatis: & pro maiori.*

Dilatoriæ. *Quibus tantum terminus prorogatur & iis probatis restat controuersia integra de negotio principali.* vt sunt: *ad munimenta specificata causæ necessaria: ad statuendum Ministerialem: ad euictorem. visionis: ad scrutinium deducendum in criminalibus: ad inquisitionem in causis expulsionis; Possunt etiam sub hoc genus poni suspensiones causas differentes.*

Item aliæ dilationes sunt strictæ aliæ non latæ.

Dilationes strictæ sunt quibus si pars non satisfecerit amittit causam, vt est dilatio ad quietationem *Herb.* 117. dilatio veræ infirmitatis, si illam iuramento non comprobauerit mettertius. *Herb.* 200. dilatio ad munimenta specificata *Herbor.* 66.

Dilationes non latæ sunt, quibus non probatis libertas obtinetur, vt est dilatio ad munimenta simplicia: qualiacunque enim munimenta producuntur; & ipsa citatio; satisfit dilationi. Item dilatio ad statuendum Ministerialem, si enim non statuerit eum, terminum perdet. Eiusmodi sunt dilationes ad euictorem & visionem si enim eis non satisfactum fuerit, controuersiæ testant de principali negotio. Vnde si quis dilationi quæ est iuris stricti non satisfecerit, & dilatio ante lucrum est obtenta, decernitur eum in causa succubuisse, & amisisse, & propterea in lucro causæ condemnandus est atque in vim lucri decernenda est satisfactio parti iurevincenti durantibus Judicijs iuxta causæ exigentiam, sub pœnis 14. marcarum: intromissioque in defectu solutionis iam exnunc erit decernenda & Ministerialis cum Nobilibus tam in re lucrata quam in pœnis erit addendus ad intromittendum in bona iurevicti. In defectu autem intromissionis causa remittenda ad Capitaneum. Quod si citatus alicui dilationi peremptoriæ non satisfecerit, tum decernenda erit eum dilationi non satisfeciſſe, & propterea in causa,

sua

sua ruisse & in lucro actori condemnandum esse atque in vim lucri decernenda est satisfactio eo modo prout decernitur, quando ex controversia succumbit in causa, vt supra.

Quando verò causa in exequutione vertitur, similiter procedendum erit vt proceditur, quando adinventum est eum succubuisse vadio.

Dilationi verò non peremptoriæ non satisfaciens, illud beneficium perdit quod ex illa habere debuit, & tenetur procedere.

Item dilationes, quædam ante litis contestationem petũtur: aliæ post litis contestationem, quædam etiam post sententiam.

Dilationes, quæ ante litis contestationem petuntur, hæ sunt.

1. *Propter minorennitatem.*
2. *Propter veram infirmitatem.*
3. *Ad statuendum Ministerialem.*
4. *Pro maiori.*
5. *Propter absentiam, causa Reipublicæ.*
6. *Ad visionem.*
7. *Ad monimenta literatoria.*
8. *Ad euictorem.*
9. *Ad scrutinium.*
10. *Ad deliberandum.*
11. *Ad quietationem.*

Dilatio propter minorennitatem conceditur, ob teneram Actoris & Rei ætatem.

Propter veram infirmitatem: ob aduersam valetudinem alterius litigantium.

Ad Ministerialem, vel propter eum statuendum, vel relatio-

tionem eius ex Actis producendam: qui aut citationem posuit, aut quidpiam sibi protestatum recognouit.

Pro maiori datur dilatio, propter actionem pro maiori summa, vel negotio, in aliquo alio Iudicio, vel Officio eodē die habito.

Propter absentiam causa Reipublicæ: cum quis aut legationem, extra Regnum obit, aut ad aliquod publicum negotium peragendum deputatur.

Ad munimenta literatoria dilatio explicatione non eget.

Ad euictorem datur dilatio citato prouocanti in materia actionum personalium, aut reali petitoria fundi bonorum immobilium ad probandum munimentis se posse habere euictorem, aut in materia actionis pro fideiussione verbali, aut venditione rerum mobilium.

Dilatio ad visionem cum quis ad inspiciendum iniuriæ illatæ locum ablegatur.

Ad Scrutinium. Quando prorogatur tempus, ad inquirendam rei vel facti veritatem.

Dilatio ad deliberandum. Est prorogatio temporis, quæ datur à Judicio ad recedendum cum aduocatis & amicis suis consilij capiendi gratia. Citato quidem vt ad propositionem Actoris digne respondeat: Actori verò, vt adcitati exceptionem replicet.

Dilatio ad quietationem. Est cum Reus reijcit se probaturum quietatione per Actorem sibi facta, vel de re pro qua citatur, vel de processu iuris instituto, se exemptum esse.

Per nūcium petitur dilatio propter veram infirmitatem: Pro maiori & in causa absentiæ propter negotium Reipublicæ. Reliquæ dilationes prænominatæ possunt peti per Procuratorem.

Reo in primo vel secundo termino comparenti dilationes legales istæ concedantur.

1. *Propter minorennitatem.*
2. *Propter veram infirmitatem.*
3. *Pro maiori.*
4. *Ad munimenta.*
5. *Ad euictorem.*
6. *Ad visionem.*
7. *Ad quietationem.*
8. *Ad scrutinium.*
9. *Reipub. causa absenti.*

Actori vero hæ conceduntur.

1. *Propter minorennitatem.*
2. *Propter infirmitatem in personali iuramento.*
3. *Pro maiori.*
4. *Causa Reipub. absenti.*
5. *Ad munimenta.*
6. *Ad visionem.*
7. *Ad scrutinium.*
8. *Ad statuendum Ministerialem & probandam citationis positionem.*
9. *Terminus est, ad satisfaciendum alicui dilationi.*

De Dilatione propter minorennitatem.

SI impuberes cuiuscunque, ante legittimam ætatem ad Iudicia attrahantur, super quæstione hæreditaria: aut quacunque alia re, qui ob defectam ætatis litem contestari seq; tueri nequeunt; Judex per suam sententiam interlocutoriam, actionem minorenni institutam, vsque ad illius debitam ætatem differre & prorogare tenetur. Post cuius tandem dilationis expirationem, Actor debet innouare actionem suam. Post dilationem verò non possunt minorennes

opponere præscriptionem, propter annos pendentes ex dilatione eiusmodi. De hoc extat Lex Casimiri Magni *Herb. fol.* 31. Lege. Si impuber. Idem fit si alij sint adulti, alij verò minorennes sunt constituendi coram Iudice, gratia cognoscendorum annorum. Hoc ex consuetudine.

In quibus casibus datur hæc dilatio citato, in quibus non?

Dilatio citato minorenni datur propter minorennitatem in omnibus casibus, exceptis quibusdam causis infrascriptis. Primo citato minorenni ad recipiendas pecunias, de bonis per quempiam patri eius obligatis non datur: sed tenetur pecunia recepta ex bonis obligatis cedere, quamvis annos discretionis non habeat. Casimirus Visliciæ 1360 *Her. fol.* 159. Secundo: si quis pro patre eius fecisset cautionem fideiussoriam pro eo: pro quo parens eius dum viveret fuisset citatus, tum pueri solvere & restituere tenentur, fideiussorem eliberando, non expectatis annis discretionis. Idem ibidem. Tertio: si pater ipsius pro aliqua hæreditate citatus fuisset, cùm adhuc viveret, etiam respondere tenetur pro eadem hæreditate. Idem ibidem. Quartò. Cum aliquis bona hæreditaria vendiderit; obligaverit, sive impignoraverit, inscripserituè se pro evictione, sive defensione, & postea privaretur vita, filius eius tuetur emptorem, vel hypotecæ nomine possessorem. Sigismundus Crac: 1505. fol 109 *Herb*, 159. Quinto: Ad exemplum huius statuti, minorenni ad inscriptionem per patrem eius factam ac pro debito, aut quacunque alia re citato, non datur dilatio ad annos discretionis; sed teneturobligationi patris sui satisfacere. Consuetudo. Sexto: In actione finium regundorum, seu dislimitandorum bonorum, si vnus pluresvè hæredes eiusdē hæreditatis dislimitandæ, sint minorennes, nihilominus contra eos Iudicium procedet, tàm Terrestre, quàm Officium

Succa-

Succamerariale, ad dislimitationem, bonorum dislimitandorum faciendam; non obstante ipsorum minorennitate: sed tamen reservanda est illis actio à Succamerario, vel eius Officio, pro eorum interesse, cum actore Granicierum, vt postquam annos discretionis nacti fuerint, liceat eis iure agere contra illos, à quibus putarent sibi præiudicium factum: tamen pro parte sua tantum ipsos concernente. Lex Sigismundi Petricoviæ Anno 1520. fol. 41. Herb. fol. 158. Septimo: ad exemplum huius Statuti idem obseruatur in actione familiæ herciscundæ, seu hæreditatis dividendæ. Ex Consuetudine. Præterea sciendum. Cùm Iudex decernit Iuramentum minorenni, siue Actori, siue citato præstare; quia minorennis est inhabilis, ad præstandum Iuramentum suspēdit iuramentum ad annos discretionis illius. Cæterum si minorennis citatus fuerit ad inscriptionem Castren. pro vadio, occasione non transportationis ipsius ad acta Terrestria Iudex decernere debet transportare inscriptionem. Sed quia minorennis inhabilis est ad inscriptionem faciendam: ideò suspendit transportationem inscriptionis ad annos discretionis illius. Consuetudo.

Forma suspensionis ad annos.

Et iudicium præsens eo attento & viso, quod Nobilis N. est minorennis nondum habens annos discretionis; Igitur ob Minorennitatem illius propter quam iuramentum præstare nunc non potest, iuramentum hoc & causam præsentē cum toto ipsius effecta, quousque prædictus N. nactus fuerit annos discretionis & legittimæ ætatis, hoc est ab hinc ad decursum A. annorum proximorum decrevit fore in suspenso. Habebunt itaque partes præfatæ terminum coram Officio præsenti, vel iudicio Terrestri, N. vel in terminis iudicialibus Castrensibus C. N. post decursum N. annorum, dum

pars partem legittimè ad id adcitaverit, iuxta ipsius partis actoreæ citationem, decretum præsens, termini conservationem & acta.

OBSERVATIONES.

Annorum discretionis adiudicatio, tantum Iudicio Regio & Tribunalis Regni, atque Terrestri competit Officio, at Iudicio Castrensi minimè.

Anni minorennibus adiudicantur, vt inscriptiones faciãt vel bonis disponant.

Minorennes in causa diuisionis etiam cum tutoribus citati respondere tenentur.

Inter citatos pro faciendo calculo, si vnus est minorennis causa suspenditur: nam vnus absque alio calculum facere non tenetur.

Quando minorennis citatur pro transportatione inscriptionis paternæ, suspendenda est causa ad annos discretionis, salua manante inscriptione paterna, nam ad transportationem consensus minorennis requiritur, qui esse non potest nisi post completos annos discretionis.

Minorennes sine tutoribus nec agere, nec respondere possunt.

Minorennes litem contestari non valentes, in minorennitate constituti nihil perdere possunt. Quia ille, qui in alterius iurisdictione est, nihil perdere potest, quia sui iuris non est. Quibus Minorennibus anni computantur ad 15. annos, nempè masculis; fœminis verò ad duodecim, quibus annis transactis nihil perdere possunt; sed oportet vt vltra annos curat illis specialis præscriptio Terrestris, videlicet tres anni & tres menses, intra quos annos si tacuerint, & præterea menses tres, propinquitatem seu iniuriam perdunt.

Dilatio ad statuendum minorennem conceditur ad terminos sequentes.

Cùm

Cùm pater pro aliquibus iniurijs ratione fundi citatus, in pœnáq; ac contumaciæ condemnatus, & termino scripto moriretur; extunc dilatio minorennibus adcitatis, non debet dari ad annos discretionis. Si enim pro hæreditate citati minorennes non referendo sibi ad annos respondere tenẽ tur; multo magis pro minutioribus rebus citati, respondere tenentur.

Minorenni vni in causa expulsionis violentæ citato, sususpenditur actio ad annos ætatis illius; quoniam minorennis, expulsior violentus non censetur.

De dilatione propter veram infirmitatem.

Quia valetudinem aduersam vnumquemque aduertere, par est. Igitur secundum terminum tanquam peremptorium poterit differre & reponere citatus vera infirmitate à Deo permissa: & hoc per nunciũ suum Nobilem possessionatũ in eadem terra ad Iudicium missum. Jurabit tamen citatus mettertius, in terminis sequen: cum alijs duobus paribus suæ conditionis, quod tunc temporis dum sibi terminus veræ infirmitatis recipiebatur, fuit infirmus vera infirmitate à Deo permissa. Sigismundus Petricouiæ 1523. fol. 33. Herb: fol. 282. Vlteriores verò dilationes veræ infirmitatis sublatæ. Herb: 199.

In quibus casibus datur hæc Dilatio?

Dilatio propter veram infirmitatem datur in omnibus casibus: tam Ciuilibus, quàm Criminalibus, in omnibus Judicijs aut Officijs, nisi citatus ei renuntiauerit in inscriptione, ad quam citatus fuerit. Jn iudicio quidem Terrestri seu Castrensi datur ad proximos terminos, in Regalibus verò & Tribunali ad duas septimanas. Sed in Actione ad recipiendas pecunias de bonis obligatis non datur hæc dilatio. Ex consuetudine.

Quando vero infirmus in termino ex eadem illa dilatione proueniente, ob eandem infirmitatem comparere non poterit, & procurator petit dilationem vlteriorem, vtrum sit concedenda?

RESP. Quod non: iuxtam legem allegatam, verum iuramentum ipsius est suspendendum vsque ad futuros terminos, & procurator debet procedere in causa, de hoc est Decretum Regiæ Maiestatis Anno 1532. Verum si terminus omninò præsentiam citari requirit, non est alia dilatio concedenda; sed terminus dilationis prorogandus est ad sequētes terminos præsertim cum necessitas frangit legem. Si istāte dilatione citetus moritur, successores eius veram infirmitatem non tenentur comprobare, sed adcitati debent procedere. Nam dilatio illa fuit personalis, & cum persona extincta.

Si citatus reponens terminum, neget se nuncio suo commisisse eiusmodi responsionem petere.

Si verò citatus reponens terminum in termino præstandi iuramenti, sibi assignato non comparuerit, permiseritque se in lucro condemnari, & postea comparens in termino cōcitatorio negauerit se comisisse illi Nobili terminum reponere, extunc iuxta illam negotionem mei tertius iurare debebit, quod illi nuncio suo hanc repositionem termini non commiserit. Præstito iuramento, ibidem is idem citatus, supra citationem Actoris tenebitur respondere. Sigismundus Petricouiæ, 1523. fol. 53. Herb. fol. 200.

Hoc iuramentum decerni solet in quibusdam terris in terminis proximè futuris, in nonnullis verò in instanti præstādum. Datur tamen citato actio contra nuntium pro huiusmodi dolo & fraude, si iurauerit super non commissionem repositionis terminij, qui puniendus erit pœna pro inuasione do

ne domus sancita, æquè, atque si alicuius nomine falso recognosceret aliquam inscriptionem. Ex consuetudine.

Quoties danda.

Dilatio propter veram infirmitatem, semel non amplius dari debet. Sigism. Petricouiæ 1523. fol. 33. Herb. fol. 200.

Daturnè hæc dilatio & actori? Datur iuxta Statutum, quod tale est: Jd quoque volumus de actore intelligi, cum liceat actori quod & reo, præter simplicem infirmitatem, quæ actoribus non conuenit eò quod actores semper esse debent parati ad comparendum. Herb. fol. 33.

Notandum. Quod dilatio simplicis infirmitatis non est in vsu nisi in Iudicio Terrestri in his casibus. Jn casu administrationis iustitiæ, ne in secundo termino Iuita pœna trium marcarum eandem administrare cogeretur.

Jn causa diffamationis ne illi obsit statutum quod dicit: Et si statim non reuocat aut negat.

De aliis impedimentis accidentalibus.

Sub genus veræ infirmitatis solent referri & illa accidentalia impedimenta, vt vel commodè differamus terminum, vel etiam à iudicio impunè absimus, si modo id iuramento ad exemplum veræ infirmitatis confirmemus & ea ratione perueniamus, vel ad propositionem, vel ad respondendum denuo: Vt sunt maris tempestas, fluuiorum inundatio, fractura pontium, vel nauigiorum, pestis, funus domesticum, insultus latronum, carcer publicus, vel priuatus, & alia huiusmodi: quæ impedire solent quo minus quis ad iudicium pro termino assignato se sistat: modo id legittime probetur. Ex consuetudine.

Forma dilationis veræ infirmitatis.

Ex decreto Judicij præsentis, N. vel Judicij Terrestris N. & partium infrascriptarum, actoreæ per Nobilem N. coram officio

officio præsenti comparentium controversia, tum ex repositione termini præsentis per Nobilem A. nuncium coram Officio præsenti comparentem, ad instantiam Nobilis N. actoris.

Scribatur essentia causæ in citatione sufficienter.

Data est Juridica dilatio veræ infirmitatis præfato C. D. ad duas septimanas proximè venturas in quibus ille citatus cum duobus testibus sibi in genere similibus tenebitur coram officio præsenti præstare corporale iuramentum, in eam rotham. Quod tunc temporis fuit infirmus vera infirmitate à Deo permissa, quando sibi prænominatus A. nuntius eiusmodi terminum vera infirmitate reposuit Deo permittente & Sancta Christi passione ita ipsum cum testibus adiuvante; habebunt itaque partes vtræque, terminum coram officio præsenti ab hinc in duabus septimanis, vel in eisdem terminis iudicialibus N. Terrestribus proximè venturis, ad vlterius contra se in eadem causa iuridicè procedendum.

Si autem multi in simul sunt citati & vni eorum talis dilatio datur, pro interesse vero aliorum causa suspenditur, ita scribendum.

Quod autem attinet alios litis comparticipes, videlicet N. M. officium præsens causam hanc vti coniunctam ad duas ab hinc septimanas, vel ad futuros terminos Terrestres proxime venturos, in suspenso fore decrevit. Jn quibus habebunt partes terminum iuxta Actoris citationem supra nominatam decretum præsens suspensionis, conservationē termini, exigentiam causæ & acta,

OBSERVATIONES.

Dilatio veræ infirmitatis, (& omnes aliæ) si pluribus existentibus citatis, vni illorum datur, iam alteri non conceditur. Quoniam dilatio super dilationem non procedit,

& plu-

& plures citati in vna causa coniuncta; pro vna reputantur persona. Quando verò vni conceditur aliqua dilatio; cum reliquis causa suspenditur: sed cum pro interesse illius qui dilationem petit actor à causa recedit, reliqui respondere tenetur.

Si autem inter eos fuerit minorennis, cui dilatio conceditur, necessario & cum reliquis vti in causa coniuncta suspensio fieri debet, sed dum pro interesse minorennis actor à causa recedit, cæteri respondere tenentur.

In termino iuramenti ad inscriptionem, decreti, licet in inscriptione citatus renunciauit dilationi veræ infirmitatis, tamen conceditur: in casibus enim personalibus etiam ad inscriptionem, qua dilationi veræ infirmitatis renunciatur, concessibilis est dilatio veræ infirmitatis.

Actori dilatio veræ infirmitatis non conceditur, nisi in eo casu: qui per procuratorē absolui non potest, nimirum in personali iuramento.

Actori intermino bannitionis dilatio veræ infirmitatis conceditur.

Dilatio vera infirmitate minorenni non conceditur: ex eo, quia neque nuntium mittere, neque iuramentum præstare potest.

Dilatio veræ infirmitatis, & pro maiori; post litem contestatam non debent dari in vno eodemque termino.

Cùm aliquis alicui vult differre terminum vera infirmitate, id faciat non publicando secum procuratorio, & non intrando in conversiam, nec audiendo propositionem: aliâs si se publicavit cum procuratorio, & post publicationem audita propositione hoc differre volverit, id ei de iure non conceditur: sed respondeat ad propositionem; aliâs in defectu responsionis condemnabitur in lucro.

Quando alicui termini prorogatio ob infirmitatem conceditur, ille tamen in aliis terminis, vbi de eadem infirmitate iuramentum præstare debuit, non steterit, sed adhuc æger decubuerit; Procurator eius debet Actori super citationem respondere; ipsi verò terminus iuramenti reservatur ad terminos proximos cum testibus.

Veræ infirmitatis dilatio, & aliæ nullæ, in re iudicata dantur, semelque vti quavis dilatione, & non plus tenetur quivis.

Vere infirmitatis dilatio in expulsione bonorum non datur.

Ad inscriptionem firmissimam dilatio veræ infirmitatis conceditur, quando actus est personalis: *verbi gratia*: quando citatus abnegat processum ad inscriptionem obtentum, terminusq; præstandi iuramenti assignatur, inquo propter infirmitatem citatus comparere non potest.

De dilatione ad statuendum Ministerialem.

CItatus comparens ad Judicium, vel Officium, non tenetur prius respondere, antequam viderit Ministerialem, vel eius relationem authenticam: quod si pro tunc eo actor careat, tenetur ei Judex dare dilationem ad proximos terminos, ad statuendum Ministerialem, qui citationem posuit, vel eius relationem ex actis procedendam. Consuetudo terræ Cracouien. Herb. 158.

Si ministerialis moritur, actor debet statuere Nobilem qui cum Ministeriali aderat iuxta Stat. Herb. 199.

Quod si actor eiusmodi dilationi à Judicio, vel Officio concessæ, non satisfecerit, causa non cadit; sed reus à citatione & termino eius pro hac vice tantum absolvitur: reservato Actori salvo iure denuo citandi si velit.

Datur hæc dilatio citato & Actori, in omnibus causis, tàm Civilibus, quã etiã Criminalibus, nemo enim respõdere tenetur nisi viso Ministeriali.

Forma

Forma dilationis ad ſtatuendum Miniſterialem;

Ex decreto officij præſentis, N. vel Judicij Terreſtris N. & partium infraſcriptarum controverſia, data eſt Nobili N. Actori contra Nobilem C. D. citatione literali C C D. citatum occaſione &c. per ipſum citatum N. &c. (cætera iuxta citationem ſcribantur: iuridica dilatio ad duas ab hinc ſeptimanas, vel ad futuros terminos Terreſtres proximè venturos ad ſtatuendum Miniſterialem, qui citationem præſentem ſuper prædictam citatum poſuit: vel ad relationem eiuſdem Miniſterialis, depoſita citatione prædicta coram officio vel Judicio præſenti authenticè commonſtrandam: Habebunt itaque partes prædictæ terminum in duabus ſeptimanis proximè venturis vel in terminis futuris iuxta Actoris citationem, decretum præſens; termini conſervationem & acta.

OBSERVATIO.

Cùm decernitur Actori dilatio ad ſtatuendum Miniſterialem, ſi interim Miniſterialis moritur, in termino autem petit Actor dilationem adſtatuendum Nobilem qui interfuit cum Miniſteriali præfato, non conceditur illi dilatio, quia iam ſiſti debuit Nobilis.

Relatio Miniſterialis coram actis authenticis facta tantum valet, ac ſi ſtatutio Miniſterialis.

De Dilatione pro Maiori.

QVia maius negotium potius quam minus curare expedit, ideo permiſſa eſt dilatio, propter maius aliquod negotium, in alio Judicio, vel officio in Regno Poloniæ habitum; qui verò reponit eiuſmodi terminum, exprimere debet, vbi eſt actio, ad inſtantiam cuius, & pro quanta ſumma, coram quo Iudicio, vel officio, & quo die. Lex Caſimiri. Herb. fol. 82.

Hæc dilatio datur ad proximos terminos. Tandem adveniente termino eiusmodi dilationis pro maiori, citatus debet adferre literas subtitulo & sigillo illius Judicij, vel officij, ad quod pro maiori causa fuit citatus. In quibus literis continere debet nomen Actoris, cum quo, & actionis pro quo, & tempus quo habuerit ipsam actionem. Quæ si plenæ fuerint, non succumbet in causa is, qui dilationem petierat. Si verò aliqua in parte insufficientes produxerit, actionem suam amittit.

Datur autem hæc dilatio, & ante, & post dilationem veræ infirmitatis.

Datur etiam & Actori hæc dilatio: cùm id liceat Actori quod & Reo.

In quibus casibus datur.

Datur hæc dilatio in omnibus causis civilibus, realibus, & personalibus: excepta actione redimendorum bonorum obligatorum.

OBSERVATIONES.

In vna & eadem causa, semel tantùm dilatione pro maiori quisque vti, potest.

Actoribus in causis personalibus, dilationem pro maiori esse admissibilem sentiunt practici.

Cùm alicui citato, per amicum obtineretur dilatio pro maiori, quod in binis his & his Judicus habet citatus actionem pro maiori, interim autem illa Judicia, ad quæ data est dilatio, non celebrarentur quod citatus literis illius districtus Capitanei, ad terminum ex dilatione proveniente allatis verificaret; actore negante, vt ibi habeat actionem pro maiori: extunc citatus debet comprobare iuramento, quod coram illo Iudicio non celebrato, actionem pro maiori habuit. Si autem negaverit commisisse amico, vt in

altero,

altero Judicio pro maiori actione habita dilationem postulatiet; extunc id iuramento probabit.

Dilatio pro maiori post arestum conceditur: cum nulla fiat ingressio ad causam. Decretum est in Judicio Tribunali. Anno 1596. ratione dilationis pro maiori in Judicio Terrestri post arestum affectatæ & per illud Judicium citato non admissæ; à quo decreto citatus appellauit: Judicium Tribunale decretum Terrestre retractavit, & decrevit, vt citatus pro maiori dilationi affectatæ satis faceret cum vtro non satisfecit condemnatus est in succubitione causæ hoc est in lucro.

In causa criminali quando pergit ad pœnas non vero ad taxam, dilatio pro maiori non datur: non enim debet maior cura esse, quam salutis & famæ.

Dilatio hæc postquam se citatus defendere inceperit; non datur. Quod enim semel placuit amplius displicere non potest.

Si Judicia non essent celebrata adque sibi citatus dilationem pro maiori recepit, debet citatus repositionem illorum terminum producere, quod si habere non poterit debet literas Capitaneales testimonij illius districtus ea de re proferre, vt supernis dictum est.

De dilatione propter absentiam Reipublicæ causa.

QVi in servitijs Reipub. sunt, puta in legatione: aut cum quis exercitui contra hostem patriæ præficitur, eorum causæ, ad vnius anni spacium (si extra Regnum tanto tempore fuerint) suspendi possunt, iussu ac declaratione Sacræ Magestatis Regiæ, per literas facienda.

Similiter mercenarij milites Sacræ Maiestatis Regiæ merentes, ab omnibus Judicis liberi sunt. Exceptis causis ad inscriptiones, expulsionis, exemptionis bonorum, violentiæ, & rei Judicatæ.

OBSERVATIONES.

Datur hæc dilatio tam Actori quam Reo.

His verò, qui voluntario absunt à patria, vt bonarum literarum, & seruitij, militiæ, peregrinationis gratia, vel ex necessitate imposita, vel exilij, vinculorum, vel captiuationis causa; datur quoque non ex iure & legum præscripto, sed ex æquitate: quasi & ipsi propter maiorem & graviorẽ causam abesse videantur.

De dilatione ad munimenta.

QVia secuti litium, vel alijs ex causis non habent semper ad manus munimenta: ideò tàm Actori quàm Reo datur dilatio ad munimenta literatoria, ex actorum libris producenda.

Dilatio ad munimenta duplex est: alia nominata, alia innominata:

Dilatio nominata, seu specificata dicitur cùm petens illam narrat, ad qualia munimenta se recipit, vnde & ex quibus Actis producenda, quidue illis probaturus sit: huiusmodi dilatio continet expressam litis contestationem.

Datur autem, tàm ab Judicio Terrestri quám ab officio Castrensi.

Quod si aliud quidpiam postea quam reciperet ostenderit, aut non authentica munimenta produxerit; causam suam amittit is, qui eiusmodi dilationem acceperat.

In materia verò reali venditionis bonorum immobilium, Judex Reo non satisfacienti huic dilationi, decernit deocupationem eorundem actori, per citatum faciendam & intromissionem in eadem, & super damna iuramentum.

In materia verò possessoria, hoc est ratione spoliationis, seu violentæ expulsionis, de possessione bonorum immobilium, decernitur actori probatio iuratoria, cum sex testi-

bus

bus ſuper violentam expulſionem: Et pro damnis, quæcunque ſua expulſione Reus fecerit, ad ius Terreſtre remitti debet.

In actionibus verò perſonalibus Reus citatus condemnatur ab Actore in lucro cauſæ: hoc eſt æſtimationis rei pro qua citatur & damnis.

In actione diuidendorum bonorum decernere debet Judex diviſionem faciendam, & ſuper damna probationem, ſi in Judicio Terreſtri actum ſit. Si verò in officio Caſtrenſi, extunc diviſionem tantum: pro damnis vero actio reſervatur Actori in Judicio Terreſtri.

Dilatio innominata dicitur ſimplex, & de plano petita, ad munimenta cauſæ neceſſaria, non narrando ex quibus actis producenda; & quid illis probaturus ſit.

Hæc autem dilatio in Iudicio Terreſtri ad proximos terminos conceditur, in Officio verò Caſtrenſi ad quatuor ſeptimanas, non vlterius. Quod ſi verò impertinentia oſtenderit, cauſam amittit is, qui eiuſmodi dilationem acceperat. Sed hic qualiacunque munimenta producuntur etiam & ipſa citatio ſatis fit dilationi.

Hæc dilatio ad munimenta cauſæ ſubſidiariacū præmiſſa cautella, de non approbata nec rō approbāda luriſdictione incōpetētis Iudicis, & minus cōpetentis actionis, nō ſolū facultatē tribuit excipiendi cōtra Actorē, ſed etiam ſuppeditat rationes declinatorias fori, ex eiſdem munimentis, quæ ibidem commodè, & in primis opponi poſſunt. Nam hæc dilatio, & omnes aliæ, quæ ante litis conteſtationem dantur, legales ſunt, Iudiceſque omni cunctatione & cognitione ſimpliciter, & de plano, eas concedere tenentur.

In materia actionis redimendorum bonorum obligatorū hæreditariorum, vnica tantum dilatio conceditur Reo, videlicet

delicet ad munimenta nominata, quibus probaturus sit, bona, de quibus ad recipiendum pecuniam citatur, se non obligatorio, sed hæreditario iure perpetuo possidere. Quod si non probaverit, cadit in causa.

In quibus actionibus datur.

DAtur autem vtraque harum dilationum, in quibuslibet Actionibus Civilibus, tàm realibus, quàm personalibus & mixtis.

Datur etiam spoliatori, seu violento expulsori: propterea, quia spoliator conventus, potest habere legittimas probationes per instrumenta seu munimenta, vel confessiones Actorum: quibus ostendit se non spoliasse, seu iure possedisse. Sed in Actione recuperandæ possessionis, seu violentæ expulsionis, citato, petenti dilationem ad producenda munimenta innominata, seu ad causam sibi pertinentia, vel necessaria, vel vlterior datur dilatio, quàm quatuor septimanarum. Quod si intermino advenienti, vel nulla, vel ad causam non pertinentia produxerit, causam amittit. Officium verò debet decernere Actori præstare iuramentū, cum sex testibus, sibi in genere similibus, contra citatum in duabus septimanis super possessionē & violentam expulsionem: pro damnis verò exinde sequutis, ac pro rebus mobilibus tempore eiusdem violentæ explsionis receptis, ad Judicium Terrestre Actorem remittere. Deinde post præstitū ipsum iuramentum, hoc idem Officium debet spoliatum seu violenter expulsum, in pristinam possessionem restituere, ad eandemque intromissionem acceptandam, ipsi Actori addere Ministerialem, vadiumque primarium 120. marcarum pecuniæ super citatum imponere, & contra eum vallare ne deneget ipsam restitutionem: & intromissionem. Sed si psa actio violentæ expulsionis sit de possessione bonorum

norum reformatorum dotis & dotalitij; vadium primarium vallari debet, & summa dotis, & dotalicij. Si verò de bonis obligatis; extunc ex summa in inscriptione obligatoria contenta, vadium apponendum est.

Forma dilationis ad munimenta.

Ex decreto Officij (vel iudicij præsentis N. vel iudicij Terrestris N.) & partium infrascriptarum controversia, data est Nobili N. citato, per Nobilem C. D. actorem citatione literali C. C. D. citatum, occasione peripsum citatum &c. (Cætera iuxta citationem scribantur) iuridica dilatio ad duas ab hinc septimanas proximè venturas, vel ad terminos Terrestres proximos N, &c. ad munimenta, causa præsentis necessaria. Habebunt itaque partes prædictæ terminum in duabus septimanis proximè venturis, vel in terminis Terrestribus, iuxta Actoris citationem, decretum præsens, termini conservationem, & acta.

OBSERVATIONES.

Dilatio ad munimenta simplicia, ante decretum responsionis tantum conceditur: idque solum ad terminos sequẽtes. Et non est necesse ea specificare neque acta nominare de quibus depromi debent: quod in dilatione ad munimenta specificata est necessarium.

Pro indebitis dilationis facilis est probatio, qualescunque enim literas produxerit iam satisfacit. Hæc dilatio non conceditur in causis simplicium iniuriarum fundum non tãgentibus nec in causis, cedis, & sanguinis, iuxta Constit. 1588. fol. 58.

Item non conceditur in causa expulsionis, exemptionis, ad inscriptionem, & in exequutione rei iudicatæ, similiter in causa divisionis, quæ est facti non iuris, nec fundũ tangit, licet de fundo agitur, nã proprietas fundi in ea nõ tractatur.

Dilatio post lucrum obtentum nisi ad talia munimenta quibus lucrum tolli possit conceditur; nulla præterea.

Dilatio ad munimenta specificata, post decretum respondendi conceditur ad proximos terminos Terrestres aut proximam positionem Actorum illorum, ex quibus munimenta nomina. Terminus verò partibus ab Judicio Terrestri præfigitur in terminis, post terminos aut positionem primam actoris, si ad aliena acta datur dilatio; si verò ad propria extunc ad proximos. Sed si ad acta Castrensis ab Judicio Castren. ad fore, ab officio ad duas septimanas ad producendum aliquid ex illis datur dilationes. Si verò pars actorea commodat citato specificata per eum munimenta, iam non debet illi concedi dilatio, verum si per illis conquiescere debet.

Post decretum verò directæ repositionis, ad nulla munimenta, etiam specificata dilatio non conceditur. Et hoc adeo ne pars & iudicium Judificetur.

In termino bannitionis principali iure victo, neque ad munimenta specificata, neque ad quietationem, neque ad munimenta causam perimentia datur dilatio. Sentiunt alij fore admissibilem talem dilationem, si dicat non solum de essentia sed & de toto processu quietatur.

Sed complici ad banniendum citato, datur dilatio ad munimenta specificata, quod non sit complex sed iure suo bona banniti possidet.

Cùm parti obiicitur bannitio, & trahit se ad munimenta, quibus ostendere velit relaxationem, vel sublevationem; datur ei dilatio, præsertim si vestuta esset bannitio.

Si quis obtinet dilationem ad munimenta causæ necessaria, vt potè specificata, si nulla munimenta producit, in amissione causæ decernitur: scilicet rei principalis pro qua

cita-

citatur, cum pœna trium marcarum non autem taxam succumbit, quia hæc tantum super contumacibus lucratur: tuncq; ne decerni debet, vt citatus satisfaciat, cum pœna sub taxa in citatione expressa.

Qui se trahit ad fulciendam causam suam munimentis literatoriis vel inscriptione; ex aliquo libro specificata & non probat; causam suam amittit.

In causa granicierum dilatio simplex ad munimẽta inconcessibilis.

Citato tanqrã impossessionato ad Castrum, dilatio conceditur ad munimenta, ex quibus apparebit quod est possessionatus. Si autem in termino citatus tantum donationem ostendit, sine intromissione extunc dilationi non satisfecit: quia intromissio seu possessio non est producta. Titulus etiam sine intromissione non probat possessionem.

Si citatus vsus fuerit aliquibus dilationibus in accessorio, & à citatione illa post dilationes liber pronunciatur, salva facultate denuo citandi; si denuo citatur, iam amplius dilationibus illis quibus vsus est non potest vti.

Dilatio in processu causæ semel dari debet ad simplicia munimenta. Post verò decretam responsionem, iam ad simplicia munimenta nec dari nec admitti debet, tantum ad munimenta specificata, causã peremptoria. Et hoc si primo non accipiebatur quòd si accepit; iam non datur secundario.

Duplum temporis impartitur jis, quibus extra regnum munimenta petenda sunt.

Dilatio ad munimenta petita in termino concitatorio citato non debet concedi,

Citato pro violenta expulsione non datur ad talia munimenta quod bona pro quibus agitur sunt sua hæreditaria: sed si petit dilationem ad munimenta quod non sit violentus

olentus expalsior, conceditur dilatio vt supra meminibus.

In termino Innotescentiæ expulsionis, ad quatuor septimanas dilatio conceditur ad literas. Si vero non ostenderit. Officium decernet id quod ius docet, videlicet Actor præstet iuramentum super pacificam possessionem, iuxta formam iuris.

Dum aliquis citatur pro receptione pecuniarum dotis, & condescensione de bonis, in quibus bonis dos est inscripta: talis verò pars citata, volens dilationibus laborare petit Iudicium, vt sibi concedat dilationem super literas, ad terminos per terminos de diversis actis; in tali exemptiones dotis, nulla dilatio parti citatæ dari debet. Quia dilationem petit in diffugium; sed debet Judicium decernere parti citatæ recipere pecuniam, & condescendere ex bonis. Aliâs si pars citata à decreto appellaverit, nihilominus pecunia decernetur poni in Cancellariam Terrestrem, & parti Actoreæ debet decerni intromissio, & addi Ministerialis ad intromittendum.

Si quis non satisfacit dilationi ad munimenta simplicia concessæ, ob id non amittit causam sed debet vlterius procedere iuxta statutum. Herbor. 166.

Si verò non satisfecit dilationi ad specificata munimenta concessæ cadit causa ibidem.

De Dilatione ad euictorem.

QVia sæpè fieri solet, vt perfecta venditione & traditione rei sequuta emptori res vt potè, aliena vel naturæ sui libera, vel etiam alteri antea, quæcunque ex causa obligata, evincatur; venditor autem emptorem sponte evincere recusat: ideo permissa est Reo citato, dilatio ad evictorem.

Est igitur secundum quosdam evincere, plus quam vin-

cere:

cere; Nec etenim tantùm est superare venditorem & emptorem Iudicio venditionis; sed etiã rem vel possessionem abducere, siue adimere, qua ex causa regressus est emptori ad Venditionem, ex stipulatione evictionis. *Vnde Euictio est rei emptæ, vel ex iusta causa acquisitæ per sententiam Judicis ademptio.* Item evincere est repetere. Secundum verò nonnullos, evincere nihil aliud est, quàm in causa oppositionis ortæ, vel orirunde, aliquem assecurâre de damnis, defendere, causam & actionem eius in se suscipere & promittere se præstiturum, si quid vendiderit aut vendendum mandavit, *zaſtapic* Vnde evictio dicitur cautio de indemnitate *warunek*. Evictor verò dicitur, qui cavet de indemnitate. *Zaſtepca, isciec, warunkarz.*

Ex quibus dictis notandum est, quod duabus ferè ex causis consurgat evictio, scilicet in materia reali, hoc est in emptionibus & venditionibus similibusque causis; ac personali, hoc est, mandatis & iussis.

Sciendum autem ex propria ipsius contractus emptionis & venditionis natura, semper venditorem ipso iure emptionis de Evictione præstanda obligari: Id est ad restituendũ pretium rei evictæ, & ad solvendum interesse, si sit evictionis stipulatio simplex. hoc est, non appositio vadio, vel pœna, aut damnis Terrestribus, Sed si aliqua horum pœnarum sit apposita; extunc tenetur ad restituendum precium rei evictæ, & in pœna evictioni appositæ condemnatur venditor emptori.

Proinde venditor cum rem vendiderit, tenetur promittere evictionis cautionem, vocaturque ista cautio evictionis, stipulatio. Quæ quidem evictionis cautio, solet præstari à venditione emptori, ad hæc, vt si quis ab eo rem emptam tanquam suam petat, dicens esse sibi rem obligatam, aut

ius aliquod ad eam habere; extunc emptor recursum & egressum habebit ad venditorem: venditorque eum tenetur defendere.

Solet autem fieri ista stipulatio evictionis, alia appositio vadio vel pœna, vel damnis Terrestribus; vt inscriptionis contractum de rebus immobilibus. In inscriptione quidem donationis, tantum sub damnis Terrestribus.

Alia verò stipulatio evictionis sit simplex, hoc est, nulla harum pœnarum apposita, sed modò promissa. Hæc fit in contractibus non in scriptis de mobilibus rebus.

Evictionis autem huiusmodi stipulatio inde introducta est, quòd plerique hominum res vel alienas, vel natura liberas, vel antea alijs, quacunque ex causa obligatas in contractum deducebant, impuneque res jis quibus eas tradere videbantur, eludebant. Itaque legibus cautum est, vt etiam veri rerum suarum Domini, citra læsionem existimationis, de evicto cavere teneantur. Sed ne minus dura necessitas vēditoribus imposita sit: primo venditor hæreditatis non tenetur de evictione rerum singularium cavere, cùm constet emptorem vniversitate hæreditatis iam potiri. Is etiam non tenetur agere nomine iniariarum contra vsurpatores violentos, possessoresque illarum iniustos, nisi nominatim, tàm de rebus ipsis, quam sumptu litis, quàm etiam periculo vtriusque, vel alterius tantùm, inter contrahēntes conveniret.

Quatuor faciunt cessare periculum euictionis.

Primò: Si emptor citatus, dilationem ad evictorem conveniendum à Judice non obtinuerit, quum sese suo periculo defendere cœperit.

Secundò: Si per absentiam, seu contumatiam suam, absente suo venditore ruerit in causa.

Ter-

Tertio: Si per Iudicis iniquitatem succubuerit in causa, emptor verò ab eius sententia non appellaverit.

Quarto: si res sit præscripta; tunc præscriptio sequens, rei traditæ, confirmat emptori dominum, & confirmato dominio, cessat actio de evictione, nisi venditor submiserit se inscriptione sua ad evictionē, renunciando præscriptioni.

Porro vt cautiùs contrahat emptor; apponi solent, & debent præscriptionibus contractuum clausulæ; quibus in omnem eventum succureretur emptori. *Quod venditor de omni euictione iuris, & facti, particularis siue vniuersalis possessionis, seu proprietatis teneatur, & sui successores teneantur, in prima denunciatione siue in primo termino; tanquam peremptorio litem prosequi, seu tueri, defendere, euincere, intercedere, eliberare, ac omne damnum, & interesse, expansasque refundere: vel alioquin pœnam, vel vadium, vel damna Terr stria soluere, non euadendo emptorem, & eius successores, præscriptionibus, & condemnationibus in euasione, totiens, quotiens eiusque successoribus opus fuerit.*

Ceterum adhoc, vt de evictione rectè aliquis agere possit, tria debent interuenire.

Primo: *Quod præcesserit contractu, ad hoc habili.*

Secundo: *Quod stipulatio euictioni sit interposita.*

Tertio: *Quod res sit euicta.*

Nam si quis rem emptam possidet, quam diu euicta non est, venditorem suum propterea, quod res aliena vel obligata dicatur convenire non potest; nisi venditor sciens rem alienam emptori ignoranti tradiderit, etiam priusquam evincatur: vtiliter enim emptor ex empto contra venditorem agere potest. in id quantum sua interest. Si igitur emptori prædij vel equi, vel alicuius rei lis moveretur, debet hæc denunciari venditori, hoc est, debet ipsum citare ad evictionem.

Ad evi-

Ad evictionem autem citare aliquem, est ab ipso iuridicè citato petere: vt ipsa scilicet vendita, aut iussa prestare promittat; & se à damno orituro, vel orto defendat, & indemnem reddat.

Duabus ex causis consurgit euictio.

Primò: videlicet in materia reali, hoc est in emptionibus, venditionibus, & similibus causis.

Secundo: in mandatis & iussis.

In materia itaque reali (in exemplum) emptionis ac venditionis cum aliquis citatur ad evictionē rei venditæ; quando de ea re vendita nascitur aliqua oppositio: ita vt quis in eandem rem venditam sibi ius arroget, in toto vel in parte; & quando is eundem emptorem in ius vocat, vt empta deferat, & sibi pacificè fruenda cedat, & permittat; tum is emptor citatus in primo termino, si sit peremptorius; sin minus, in secundo termino audita actoris propositione, ante litis contestationem, debet petere à Iudice dilationem, ad evictorem conveniendum, seu vt suum venditorem (quem tunc nominare debet) in ius voset, ad assumendam suam causam eamque defendendam, ita vt ipse emptor in demnis remaneat. Citatoque illo venditore suum, si comparuerit, facta cōtra eum Actor propositione petet ab Iudice: vt venditor, ad eiusmodi evictionem sui, per sententiam compellatur. Qui quidem venditur, si coram Iudicio personaliter stans, onus causæ totius, & citationem, qua emptor in ius vocatus fuit, in se recipiat, emptor petet à Iudicio se liberū pronunciari à citatione, & actione; adiecta protestatione hac: Quod si quid sibi in evictore defuerit, reservare sibi salvum ius, se ipsum remque suam, atque actionem sibi institutam defendendi. Similiter & actor protestabitur, quod principalem non omittat, si evictor non fuerit solvendo iudicato.

Potest etiam emptor citare venditorem suum ad euictionem faciendam, antequam sibi terminus veniat, ex citatione vendicantis rem, propterea, vt in instanti liber euadat.

Si autem citatus venditor ad evictionem, non compareat, eo casu contra ipsum Reum citans protestabitur, de tali evictionis recusatione, & de omnibus expensis, damnis, & interesse, venturis sequuturisque. Procedetque contra ipsū secundùm formā processus iuris, contra reum contumacem servari solitam. Deinde ad Actoris primi petitionem, respondebit ipsemet, vlteriusque procedet, litem continuabit per se; sed periculo venditoris sui citati, & non comparentis. Si causa cesiderit, tunc ipsi contra venditorem evictionem recusantem, competit directa actio ad repoſcendum omne damnum, & interesse.

Secundò: Evictionis species vsu venit in mandatis & iussis, ex quorum obtemperatione, nascitur aliqua oppositio. Si enim Officiarius, aut servitor quispiam se ipso abusus fuisset, aut in suo Officio per errorem peccasset, idque ex mandato, sive ex iussu Domini sui, & si ex talis mandati obsequio nasceretur ab aliquo adversario oppositio, id est citaretur; tunc is Officiarius, aut servitor citatus, non poterit eundem Dominum suum iubentem, citare ad evincendum: sed si talis (tàm in criminalibus, quàm in Civilibus causis) conventus, Dominum aut criminis authorem nominaverit, aut socium; eiusque mãdato affirmaverit se feciſſe; ille verò tunc principalis veniens ad Iudiciũ ipsum liberet, asserens ipsum feciſſe id suo mandato: extunc ille citatus libere à Iudicio discedere poterit, actioque huiusmodi dirigenda est contra Dominum, aut criminis authorem, qui protinus ex continenti respondere tenetur: alias primus ille qui citatus est respondere cõpellitur. Lex Casimiri Vislic. 1368. Herb. f. 90.

Sed si quispiam petat amicum suum, vt sit sibi auxilio, vel seruitio, aut colonos suos mittat contra aliquem aduersarium suum, aut mandet ipsi quidpiam aduersi alicui inferre, promittēs ei evictionem à facto oriturō; & si ex talis mandati obsequio citaretur ipse auxiliator, tunc idem poterit illum iubentem citare ad euincendum se; Actor vero victorem oblatum tenetur suscipere; alioquin absolvitur Reus à causa.

Item. Et in fideiussoris obligationibus, si quis ex mandato & iussu Rei fide iuberet pro eo alicui: is verò Reus eam satisfaceret illi, cui fideiussor obligatus est, citaretúrque fideiussor pro fideiussione: tunc is fideiussor citatus, poterit citare Reum ad euincendum.

In quibus Casibus datur Dilatio ad conueniendum euictorem?

DIlatio ad evictorē in tribus tantùm casibus datur. *Primo*, In venditione rerum mobilium: Vt si quis venderet equum, aut quodcunque animal vel quamcunque aliam rem mobilem violenter receptam, aut amissam, vel furtivè ablatam, possessor verò citatus, diceret rem sibi esse datam, vel ab aliquo se emisse, nominetq; donatorem aut venditorem, & locum emptionis (quod eum facere oportet) trahatque se ad evictorem; datur ei dilatio ad statuendum evictorem: iurare tamen tenebitur quod se ad verum evictorem trahat, & fideiussores statuere, quod iuri parebit, satisfacietque rei iudicatæ, & pro damnis ex lite sequutis. Ne autem Reus illusione laboret, & dilationibus in dispendium iustitiæ; si victor coram Iudicio per citatum statutus confessus fuerit, se animal illud, vel rem eam Reo dedisse, vel vendidisse, tenetur eum evincere, & pro illo respondere. Si autem in victore defecerit, ipse Reus relinquet rem cum multa. Si verò Reus pro furto aut spolio rei inculpatus, dicat se rem in cō-

muni

mum foro emisse, sed ignorare venditorem, innocens erit furti, dummodo locum emptionis, & emptum sub iuramento nominet duosque testes producat, qui venditioni interfuerunt, & mercipotum, alias *Lidkup* (quod si in evictore vel mercipotoribus defecerit Reus, punitur pœna furti) biberunt, ac id ipsum iuramento probet. Si autem actor rem suam cum duobus testibus probauerit, quod sibi ea res furtiuè, aut spoliatiuè sit ablata; Reus cogitur rem restituere, ac pœcuniam pro illam data perdere. Si in testibus defecerit vendicator rei, à vendicatione cum mulcta desistere cogitur, nulloque evictores admittuntur nominare; sed vnus alium nominabit, ad illumque se trahet, donec ad illum qui id educavit si pecus sit, vel texere fecit, si pannus; proveniatur. Quod si detentor defecerit, Actor rem obtinebit, præstito iuramento cum duobus testibus rem vendicatam esse suam. Sed res, quæ vendicantur, retinere idem debet, quousque illi adiudicentur. Consuetudo.

Secundo: In vendicatione bonorum immobilium datur dilatio ad evictorem, si ex munimentis in termino à Reo productis appareat eum posse habere evictorem. Vel etiam si quis in quavis alia causa provocaverit ad ipsum evictorē sibi ingenere similem; datur ei dilatio ad proximos terminos. In tali verò casu petens dilationem eiusmodi, debet cavere ita: *Si quid autem mihi in euictore desiderabitur; extunc ego conseruo mihi omnes defensiones, beneficia ac remedia iurù me ipsum defendendi.* Qui quidem evictor, nisi personaliter se coram illo Iudicio, seu Officio in termino legittimo fistat; nec onus causæ in se & actionem recipiat, in reum Actio est dirigenda: quodsi etiam evictorem recipiat, Actor tamen principalem non obmittet; si videlicet evictor non sit solvendo iudicato.

Hoc loco notandum est, quòd spoliatori, sive violento expulsori alicuius de possessione bonorũ immobilium, non datur dilatio ad evictorem; sed pro se respondere tenetur, tanquam in recenti crimine. Si quis autem sponte veniens ad Officium Castrense evincat spoliatorem, habet locum eius evictio quod constat ex suprascriptis legibus de evictoribus, in criminali vel civili causa: quod si Actor non suscipiat evictorem, Reus amittit causam.

Tertio: In Actionibus pro fide iussione: vt si quis alicui fideiuberet pro reo, de solvendo per eum debito, aut aliqua re præstanda, citaretuŕque fideiussor pro fideiussione, tunc fideiussor citatus, debet petere à Iudice dilationem ad terminos per terminos, hoc est ad secundos terminos, ad evincendum Reum, pro quo fideiussit, vt eum evincat. Quam dilationem tenetur Iudex concedere petenti. Quod si ipse Reus citatus adveniente termino fideiussorem suum non evicerit, procedit contra eum Fideiussor, secundum formam processus iuris, contra contumacem fieri solitam, vsque ad apprehensionem possessionis, per intromissionem in bona Rei in perlucris, Interim autem actio Fideiussori instituta pendere debet. Postquam verò Fideiussor acceperit intromissionem & possessionem, debet de eisdem cedere illi cui fide iusserat: ob quam cessionem, debet illum Iudex absolvere ab actione pro fideiussione instituto. Quod si Reus citatus ad evincendum comparuerit, ac fideiussorem suum evicerit: Iudex fideiussorem absolvet ab actione pro fideiussione; & contra evictorem actionem dirigere mandet.

Sciendum omnes exceptiones quæ Reo competunt, fideiussori quoque etiam invito Reo competere; sed negationẽ facti non competere evictori. Nam evincens videtur confiteri factum, principali suo obiectum. Quidam Practici in

evin-

cviscendo vtuntur hac cautella: *Domine Judex; non confitendo factum principali meo obiectum, euinco ipsum, & citationem, causam, actionem, onusque eiusdem in me recipio, conseruatisque omnibus mihi defensis iuris, sic respondebo*: Quod. &c.

Forma dilationis ad Euictorem.

EX decreto Officij præsentis N. vel Iudicij Terrestris N. & partium infrascriptarum controversia, data est Nobili N. citatione literali per Nobilem N. actorem citato, iuridica dilatio ad conveniēdum evictorem suum in causa præsenti habitum cum quo sine intermissione agere debet, salvo regressu eidem actori contra principalem: si & in quantum in tuo evictore defecerit inservato. Habebunt itaque partes prædictæ terminum in duabus septimanis proximè venturis (sed interminis terrestribus) proxime venturis citata satisfacien: actorea attentan: vlteriusque contra se in causa præsenti proceden: iuxta citationem, decretum præsens, termini conservationem & acta.

Forma dilationis vlterioris ad conueniendum Euictorem.

IN termino hodierno ex vi concessæ dilationis ad conveniendum evictorē, parti infrascriptæ citatæ terminique conservationem ad præsens legitime incidentem, in causa & actione iudicialiter coram Iudicio præsenti vertente, inter Nobilem N. actorem & Nobilem N. citatum occasione N. aliàs iuxta citationem, taxam in &c. Judicium præsens controversus partium exauditis eo attento, quandoquidem apparet præmemoratum citatum contra evictorem suum iure processisse, ideo ad affectationem eiusdem citati iudiciū præsens cōcessit & præsentibus cōcedit vlteriorē dilationē iuridicā hinc ad terminos proximos. Habebūt itaque. &c.

OBSERVATIONES.

Dilatio causa criminali ad evictorem concedi non debet;

sed si citatus, evictorem habet in instanti eum statuat, qui totum onus in se suscipere, & causam eodem vigore prosequi debebit: alias solus principalis respondere tenetur.

In civilibus verò causis si quis nominat & statuit evictorem & ipse victor causã in se suscipere non vult, ipse citatus habetur pro convicto: hoc est tenetur respondere.

Si citatus obtinebit dilationem ad munimenta, ex quibus apparet victor, iam aliam dilationem ad conveniendum cum non habebit, sed eum vel in instanti statuere, vel solus respondere debebit. Et si petierit dilationem ad statuendum evictorem, ad futuros tantum terminos danda est ei.

Qui dilationem ad Evictorem postulat, & obtinet; hanc clausulam observare debet, in deffectu Victoris, reservando sibi omnes in genere probationes ac iuris defensa (prout superius dictum est) in toto salvas, alias taliter non procedens, in defectu victoris, iam succumbet in causa.

In causis omnibus simplicibus dilatio conceditur ad evictorem ad terminos per terminos.

Evictio per submissas personas fieri non potest.

Actor autem circa datam ad Evictorem dilationem hanc observabit clausulam, quod, si quid defuerit in Victore, non obmittet principalem.

Dilationem ad evictorem cum obtinet citatus, & eundem habere non potest, non succumbet in causa, sed solus respondebit.

Si autem iam ceperit citatus cum evictore agere antequam dilationem petierit; extunc tantum ad sequentes terminos datur illi dilatio ad determinandam causam cum evictore.

Victor per Evictorem statui debet non per procuratorem. Evictor enim cum statuitur, & principalem se in causa asso-

sa asseruerit, iam sua recognitione affirmat se esse damni, vel criminis reum; ad quod evadendum ille principalis propior fuit. Evictor etiam per se evictionem facere debet non per procuratorem.

Dilatio ad Evictorem si ostenditur ex munimentis habere Evictorem, dari debet ad terminos per terminos. Sed si non ostenditur; ex tunc ad sequentes terminos tantum, dilatio ad statuendum Evictorem datur.

Cùm frater bona in divisa cum fratre totalia alicui resignat, illeque frater citat possessorem pro divisione bonorum, & possessor petit dilationem ad Evictorem, qui sibi ista omnia bona resignavit, ex tunc cùm agitur de iure naturali, Evictio atque dilatio ad Evictorem non conceditur.

Evictor in tribus casibus evincit:

1. *Si bona aliena pro suis liberis vendidit.*
2. *Si bona quæ vendi non possunt vendidit; vt bona Ecclesiæ & Reipub.*
3. *Si bona onerata pro liberis vendidit.*

Tamen ab oneribus perpetuis fundo annexis non tenetur evincere, nisi ex pressa ab eis evictio fuerit inscripta; vt potè.

1. *Ex editionis bellicæ seruitium.*
2. *Fumalium solutio Regiæ Maiestati debita.*
3. *Decima Parochialis.*
4. *Debitum census perpetui, alias na widerkeff, etenim dilatio ad Evictorem in talibus non procedit.*

Hæres tenetur emundare bona iuxta inscriptionem obligatoriam, à citationibus, quæ super illum in bonis illis obligatis ponentur, cum citabitur, ab obligatorio possessore pro emundatione.

Evincere à perlucris nemo tenetur, tãtùm à summa principali

cipali in inscriptione expressa. Secus existimant alij, si ex negligētia & culpa victoris sunt in bonis, perlucra obtēta.

Venditor bonorum inscribens se pro Evictione, non tenetur Emptorem evincere, si pro propinquitate impetitur.

Evictionem inscribens, toties quoties opus fuerit non adiecta clausula perpetuò & in æuum; tantum ad præscriptiones Terrestres evincere tenetur, prout ad aliquam personam præscriptio pertinet.

Evictio in scripta sic: tueri, evincere per omnes præscriptiones Terrestres, prout ad quamlibet personam spectat præscriptio; si ille possessor citatur pro debito in eisdem bonis inscripto, vel pro occupatione; Victor non tenetur evincere, nisi ad tres annos & tres menses, Si autem per illum hæredem importantur citationes; etiam si non esset posita Evictio perpetuè & in æuum, deportare hæres citationes tantùm, etiam post præscriptiones Terrestres tenetur.

Differentia inter euictionem, & citationum deportationem.

Evictio, nimirum ad tres annos & tres menses fieri consvevit de iure.

Deportatio verò citationis, & post præscriptiones Terrestres. Quia reus possessor à citationibus defendere nequit, nisi is super quem importantur.

Proprietas tuitionis, seu euictionis, emundationis & pacificationis bonorum.

Tuitio, seu Euictio fit ab impetitione competitoris possessionis, & impetentis possessorem. Vel invictio fit intercessio & eliberatio possessoris ab impetitione petitoris; Sistitur autem causa evictionis, aut per decretum libertatis ab impetitore obtentum, aut per quietationem victoris.

Emundatio bonorum ab importatione citationis super tertiam personam tàm impetentis, quam conventi possessoris,

foris vtrinque editæ. Emundatio sistitur per satisfactionem impetanti & obtentam ab eo quietationem, aut per decretum libertatis citato agente, contra impetantem pro deportatione citationis. Proprietas vero pacificationis in data possessionis non præpeditione, non ademptione non iniuriatione per inscribentem, consistit.

Evictio in inscripriptione perpetua taliter scripta: tueri, evincere ab omnibus impedimentis perpetuis temporibus sub vadio, &c. non potest evadi soluto vadio, etiamsi non sit descripta; soluto vadio, toties quoties evincere tenebitur.

Citatus pro exemptione bonorum cùm se recipit ad munimenta, ex quibus apparebit Evictor, ea ostendens, dabitur sibi alia dilatio ad proximos terminos, vt agat sine intermissione cum Evictore. Si autem pro illis terminis non convenit Evictorem, debet sibi ad tertios terminos dari dilatio.

Cùm Evictor sistitur in Iudicio, qui onus causæ in se assumit, & citatus liber decernitur; ex appellatione autem in Iudicio Tribunali approbabitur decretum, iam non tenetur in Iudicio Terrestri. Si quid autem Actori in Evictore defecerit, extunc in principalem dirigenda est Actio.

Cum quis fideiussor citatur pro fideiussione alicuius debiti, & ille citatus statuit evictorem, evictor autem obijcit præscriptionem tam fideiussori, quam rei repetendæ iam ellapsam; vnde orta est quæstio; an evictor pro fideiussione statutus potest opponere præscriptionem. Decretum est; Evictor non potest opponere præscriptionem qua se agnovit.

Dum aliquis citatur profideiussoria, & petit dilationem ad terminos ad statuendum Evictorem. Adveniente illo

termino, in quo Victor ille Fideiussorem debuit à fideiussoria liberare. si non comparuerit Victor, & pars Actorea instat velle partem citatam condemnare in lucro; Citatus ita dicat: Domine Iudex, ego me non admitto condemnare in lucro, quia citaui Victorem ad Evincendum: & cùm me non evincet, ego iuxta meam citationem, peto mihi decerni ipsum condemnari in pœna contumatiæ. Et ibi habeat paratam in manu citationem contra Victorem. In hoc casu, iudicium condemnationem ei admittere debet à qua condemnatione ponat duos grossos pro pœna. Et iudicium iure mediante debet sublevationem decernere parti Actoreæ donec prius pars citata iure convenerit Victorem. Et in quantum Iudex quid incontrarium fecerit, sententia iudicis non suscipiatur, sed à decreto appelletur iuxta iuris formam. Et tunc ibi pars citata ante decretum petere debet dilationem ad terminos per terminos, vt cum Victore de Victione iure experiretur: quæ dilatio parti de iure concedi debet.

Victor contradicere nec quicquam potest citationi, sed directè tenetur respondere ad contenta citationis.

Victor cum personaliter stans evincit citatum, & Actor cum præmissa cautella suscipit eum pro Victore non omittēs principalem suum in defectu non satisfactionis: extunc iam in eius bonis (scilicet Victoris) citatio est ponenda, si est possessionatus; si verò impossessionatus, tunc circa Parochiam, vel in manus ei citatio dari debet, iuxta præscriptum Iuris.

Cùm aliquis habens ab aliquo bona quovis titulo quæsita, impedimentis ratione illorum bonorum habitis, cum parte impediente concordiam fecerit, iam suum inscribentem principalem, pro evictione convenire non potest, tvntùm pro damnis.

Evictio

Evictio non nisi in iudicio personaliter fieri debet, & pro evictione agens tenetur Evictori suo citationes, totumque processum, & continuationem iuris, ac punctum, in quo ipsa causa pendet ostendere, & realiter tradere. Nam evictione suspecta, evictus ab impetitione partis Actoreæ liber est pronunciandus.

Evictio quærenda non in illo qui transfudit ius, sed qui vendit bona.

Violentia facta in bonis evictione oneratis non ligat evictorem, sed damnum & violentiam passus, agat, cum vastatore in foro competenti.

Evictio quatuor modis amittitur.

1. VEnditor hæreditatis non tenetur de evictione rerũ singularium, cum emptorem vniversitate hæreditatis, potiri constat.

2. Si emptor sciens fundum alienum aliiue obligatum, vel rem natura sibi non liberam comparauit, nec de evictione sibi cavit, nomine evictionis agere nequit.

3. Si emptor citatus dilationem ad evictorem conveniendum à iudice non obtinuerit; quin si se suo periculo defendere cæpit.

4. Si de inscriptione, ad quam actor agit, pro evictione cesserit.

Si quis petit dilationem ad conveniendum suum evictorem, debet prius docere ex munimentis, quod habet evictorem. Si verò petit primò dilationem ad munimenta ex quibus apparere possit evictor, non est ei inneganda: Rursus si petit dilationem ad eum conveniendum danda est dilatio ad terminos per terminos.

Quod si evictorem pro illo termino habere non possit, & ostenderet quod eum evictor agit, potest habere dilationem

ad conveniendum ipsum, aliàs si evictor se coram illo iudicio non sistet, & onus causæ seu citationem in se non susceperit, in reum actio erit dirigenda. Quod si evictor citationem recipiat, actor tamen principalem non obmittat, si iudicialiter evictor non fuerit solvendo: Hoc fit in causis civilibus tantum & jis solum vbi aliquid bonorum aut lucri ab evictore ad principalem pervenerit.

Qui dilationem ad evictorem postulat & obtinet, debet sibi hoc præcustodire, quod in defectu evictoris omnes in genere defensiones iuridicæ, & probationes salvæ sibi remanere debent.

Existimant quidam quod si non fuerit hæc clausula; iam succumbit in causa, quod est iniquum. Si verò citatus cæpit cum evictore agere ante quam dilationem petit, extunc adsequentes terminos danda est illi dilatio ad determinandam causam cum evictore.

Evictor non potest evadere, nam per assumptionem in se causæ agnovit se esse reum, verum Actor propior erit cum convincere etiamsi principalis propior fuerat ad evadendū.

Cum vnus frater bona indivisa vendit, & possessor pro divisione citatur, petitque citatus dilationem ad evictorem; extunc quando agitur de iure naturali & apparet manifestè actorem esse hæredem proprium illorum bonorum, & fratrem vendentem, non est concedenda talis dilatio. Nam frater bona fratris alienare non potest, sed ipse possessor respodere tenebitur, salva illi reservata actione cum evictore iuxta Const. 1589. fol. 37. Secus tamen existimandum est, quando non constat manifeste, actorem esse legittimum hæredem. Vide supra in actione divisionis.

Si citatus cum actore ratione impedimenti sibi illati concordiam inierit, non poterit evictorem suum pro evictione

citare

citare; pro damnis tantum, quidam cum posse citare existimant: similiter si omisso evictore solus sese actori defendere in principali inceperit, iam dilationem ad evictorem habere non potest, nec evictor eum tenetur evincere.

Venditor hæreditatis non tenetur à iure retractus summæ re emptoriæ propinquitatis emptorem evincere. Quod enim lex permittit, nemo detendere potest: & vbi præmissa est offensa ibi vetita est defensa.

Hæres tenetur emundare bona iuxta inscriptionem obligatoriam á citationibus quæ per ipsum in bonis obligatis ponuntur, cum citabitur ab obligatorio possessore pro emundatione.

Evictio in inscriptione perpetua non tollitur soluto vadio, etiam si non sit appositum in inscriptione, toties quoties evinere tenebitur.

Cum evictor sistitur in Iudicio, qui onus causæ in se assumit, & citatus liber decernitur, actor verò ab eiusmodi decreto appellat: ex tunc si in iudicio Tribunalis Regni approbatum fuerit decretum, iam non tenetur personaliter citatus evictorem statuere; quandoquidem hoc iam semel fecit, & reservata est salva actio, si quid in devictore defuerit.

Evictor citatus cum se evicturum offert, decernitur vt hoc faciat in termino impedimenti sub vadio, & remittuntur partes ad illum iudicium vbi impedimentum incidit, terminusque præfigitur ad evictionem faciendam & vlterius procedendum: Si evictor in illo foro respondere tenetur vbi impedimentum incidit; tunc ibidem in instanti condemnandus est in vadio.

Si vero in alieno foro tenetur respondere, tunc concedenda erit citato dilatio vlterior ad ipsum conveniendum: vbi verò causa cum evictore in controversiam procedit, de-

bet suspendi causa impedimenti, vsque ad finalem decisionem causæ de euictore, eo adiecto vt sine intermissione cum evictore agat,

Evictor potest quoque habere evictionem ad alium suum evictorem, si illum monstrat: Decretum in Conventu Crac. 4. ante Agnetis. 1546

Qui agit contra suum evictorem pro evictione, debet illi impedimentum demonstrare, & citationes ad manus ipsius tradere; prima verò citatio non peremptoria, non facit impedimentum.

Vbi autem evictor onus causæ in se assumpsit, decernendum erit principalem à causa esse liberum, & contra evictorem actionem esse dirigendam; in personalibus verò actionibus, non obmittitur principalis, si quid in evictore defecerit.

De Dilatione ad visionem.

VT occasio calumniarum, iurgiorum, iuramentorum præcidatur, Iudex verò fiat certior, de quanã, quali, quanta, & cuius loci iniuria iudicare debeat; tam Actori quàm Reo detur dilatio duarum septimanarum, ad videndum, seu ostendendum Ministeriali & Nobilibus, talem vel talem, hoc vel hoc loco factam iniuriam, qua demonstrata, tunc primum partes controvertunt in sequentibus terminis, pro iniuria: si scilicet talis & tanta, & eo loci illata sit, qualem & quantam, ac vbi; citatio continet.

Quod si super proprietate fundi non concordent, suspenditur causa: quo ad de proprietate fundi, actione, vel finium regundorum, vel vendicatione experiuntur.

Porro facta, iam & in Iudicio per Ministerialem recognita visione contra deffectus citationis excipi non potest; sed visione exaudita cogitur pars respondere super citationem.

nem. Si verò visio cum citationis essentialibus non concordaret, hoc est, cùm non pro istis bonis, citatio verteretur, & non ex ista causa; sequitur amissio citationis & causæ.

Si etiam aliqua pars diem visionis assignatum non attentaverit, neque cum prædicto Ministeriali in loco & termino visionis comparuerit, talis ex recognitione prædicti Officij in pœna trium marcarum parti attentati, & totidem Iudicio condemnatur. Et nihilominus elicitur denuo Dilatio ad visionem, luita ipsa pœna. Quod si verò ex secunda dilatione ipsam visionem non attentaverit, perdet causam, in qua fieri debuit visio. Si vero vna pars aliam minis, aut aliquibus violentis à visione repellat, vel verbis inhonestis contentiosisque excipiat: præsertim verò violare audeat, violari Iudicij Reus haberi debet. Si verò Actor in visione coram eodem Officio coarrationem & aliâs violentias secundum citationem suam non commonstraverit, Reus à tali citatione & à causa absolvitur, ex sola recognitione Ministerialis ad ipsam visionem deputati.

In quibus casibus datur hæc dilatio ad visionem;

HÆc dilatio ad visionem datur pro iniuriis particulę fundi bonorum immobilium; hoc est, pro coarratione agri, destructione metæ. seu limitum: aggeris erectione, eiusvè perfossione, septione sepis: tum & pro iniuriis rerum in fundo natarum. vt pro commessione frumentorum: consalcastratione graminum: pro excisione arborum; & eius generis similium.

Sed citato pro commessione, & acceptione frumentorũ proprij laboris Actoris, & vbi Actor in citatione non debitè circumscribat locum, in quo illata est sibi iniuria, non datur dilatio ad visionem.

Forma dilationis ad visionem.

Ex de-

Forma dilationis ad visionem.

EX decreto Iudicij præsentis N. & partium infrascriptarũ actoreæ per Nobilem N. citatæ verò per Nobilem A. coram iudicio præsenti comparentium &c. data & concessa est visio hinc pro feria N. proxima Nobili M. ad instantiam N. actoris &c citato N. occasione (fenbatur occasio pro quo) cui quidem visioni expediendæ, iniuriæque videndæ Ministerialis providus M. de villa N. præfatis partibus vtrisque à Iudicio præsenti est additus & deputatus, postquam quidem visionem expeditam vel non; vtreque partes prædictæ habebunt terminum in proximis terminis Terrestribus N. peremptorium iuxta citationem Actoris, decretum præsens, termini conservationem & acta.

OBSERVATIONES.

Visio concedi non debet super damnis proprij laboris, solummodo in damnis & iniuriis quæ tangunt fundum. iuxta Const. 1588. fol. 58.

Circa quam visionem securitas debet observari nec aliqua partium ad eiusmodi visionem in maiori comitata debet venire tantummodo cum decem personis iuxta eandem Constit.

Ad eas vero visiones Ministerialis vna cum duobus Nobilibus vtrique parti additur. Terminus ipsis præfigendus expeditionis huiusmodi visionis. Post expeditam vel non conservatur à Iudicio partibus terminus, ad vlterius procedendum coram Iudicio suo.

Visionis dilatio sapit vim contestationis litis postquam nullæ aliæ dilationes conceduntur & procedunt.

Cum parti citatæ datur dilatio ad visionem, nihilominus non citatus, seu actor habere debet Ministerialem, etenim ei interest causam promovere.

Ad in-

Ad inscriptionem citato pro aliqua iniuria visio non procedit.

Pro destructione *Jazu* proprio labore cõstructo, visio non conceditur.

Si actor in campo visionem non attentat; exnunc citatus liber evadit. Quia maior est contumatia Actoris quam Rei.

Visio super visionem dari non debet.

Dum aliquis alteui non permittit seminare, arare, & colligere frumenta ibi visio non debet decerni: præsertim in his rebus, quæ sunt proprij laboris.

Cùm aliquis citatur pro iniuria illata, vnde consequitur visio, si pars citata animadvertit aliqua vitia, vel deffectus in citatione Actoris, debet ante decretam visionem reservare sibi responsionem ad deffectus citationis, & iudicialiter, eam reservationem in acta inscribere; & tunc post expeditam visionem, liberum illi erit dicere contra defectus citationis. Nam si eo modo non præcustodierit sibi, simpliciter ad propositionem tenebitur respondere.

Ministerialis ad visiorẽ à Judicio deputatus, vel ad quodvis aliud adæquatur Iudicio in fide relationis: nihilominus relationem expeditæ visionis coram eodem Iudicio faciet, à quo fuit deputatus. Quando verò non iste Ministerialis qui fuit à Judicio additus ad visionem, refert relationem visionis, denuo visio est decernenda.

Si aliquis petit visionem sibi de iure decerni, eam petat ante responsionem, dicendo ita: Domine Judex, antequam ad propositionem respondebo; reservo mihi omnes indecẽtias, quæ continentur ex citatione, ad quas tempore suo dicam. Sed antequam ad id accedam, volo prius videre, vbi & in quo loco hæc iniuria sit sibi facta: & postquam mihi id ostendet, sicut dixi, respondebo ad ea omnia, id est ad

deffectus citationis, & tandem ad propositionem, quas meas allegationes, peto mihi acticari ad acta, ne pars citata prætendat postea aliquam ignorantiam in meis allegationibus habere.

Visio personali relatione Ministerialis indiget non inscriptis porrecta.

Post dilationem visionis, nullæ aliæ dilationes parti concedendæ, quandoquidem dilatio visionis adæquatur dilationi pro maiori.

Citatus pro receptione frumenti vel fœni laboris proprij; dilationem ad visionem obtinere non potest.

Ministerialis addi iuridice debet ad visionem (de nomine) & inscribi debet libris propter testificationē tutiorem, si & in quantum pars citata vel actorea expediret visionem.

De dilatione ad visionem.

QVia sæpè evenit Reum pro homicidio, aut pro aliquo crimine se innocenter conveniri, allegare; ideo datur Reo dilatio ad inquisitionem seu ad Scrutinium.

Datur eiusmodi Dilatio.

Primò in materia Ciuilis actionis, pro occisione Nobilis, quod scrutinium Palatinatus quilibet, in suo Palatinatu faciebat, in Iudicio suo colloquiali cum iudicio illius terræ: In deffectu verò colloquiorum, Capitaneus cum eodem Iudicio in terminis Terrestribus. Potuit autem Palatinus Nobilem possessionatum iuratum, & Capitaneus Vicecapitaneum, in locum sui subdelegare.

Secundo etiam hæc dilatio concedebatur citato criminaliter in causis honorem tangentibus ad Maiestatem Regiam, ad Conventionem Generalem Regni: quod quidem scrutinium faciebat Judicium colloquiale in iudiciis colloquialibus in illo districtu aut terra, vbi crimen commissum

erat,

erat; ad quod scrutinium faciendum liberum fuit tam actori, quam citato si iudicia colloquialia ante conventionem Regni Generalem celebrata erant. adcitare ad citationem in membrana Terrestri: vbi verò post adcitationem Iudicia colloquialia, ante Conventionem Generalem celebrata non erant; Actor, vel etiam citatus citabat ad deducendū scrutinium, & audiendum testimonia. Sacra verò Maiestas Regia, in Conventione debuit Scrutatorem deputare, ad illam terram, vbi crimen patratum erat, ad investigandam rei & facti veritatem. Herb. fol. 112.

Sed iam scrutinia in causis Criminalibus ex adcitatione partis per partem in terminis terrestribus, aut Castrensibus illius districtus, vbi crimen patratum est, qui horum prius celebrabuntur, post obductionem patrati criminis expedienda sunt. Et hoc ex eo: vt cum pars partem citat ad Conventionem, vt illic vtraque pars sit cum scrutiniis parata: propter celerem expeditionem actionum. Constit. 1588. fol. 33.

Tertio, datur dilatio hæc, in Actione pro violatione libertatis communis, & pacis domesticæ, ante convictionem Rei citati per Actorem faciendam Const. 1578. fol. 190.

Arenga & ductus expeditionis scrutinii occluso rotulo extradi consueti.

EXpeditum est scrutinium in terminis præsentibus C. C. N. Judicialibus feria A. B. proxima Anno Domini C. D. E. F. per illustrem & Magnificum C. D. N. H. celebratis ex parte Nobilis. A. M.

Scribatur iuxta citationem siue Actoris siue citati, & inductione scrutinii a citato addantur verba citati & inculpati.

Contra Nobilem N. Oratione.

Essentia obiecti delicti ex citatione ad scrutinium edita scriba-

tur iuxta citationem præfati Actoris: si ex parte inculpati extradetur huiusmodi citatio, tunc apponatur.

Præfati Actoris eiusdem citationem in acta C. C. N. inſertam latius de præmiſſis canentem. Super quam quidem citationem præfatus Nobilis L. M. præſtito in primis corporali iuramento coram iudicio præſenti iuxta præſcriptũ iuris communis ſuperveniens & in corruptam inductionem teſtium ſuorum; eoſdem teſtes ordine infraſcripto præſentavit Nobilis N.

Primus teſtis. Secundus teſtis. Tertius teſtis. &c.

Et sic consequenter ſcribatur vsque ad duodecimum testem, vltra quem numerum plures testes lex non admittit. In quorum quidem testium descriptione, quinque personales circumstantiæ vltra ipsos & depositionem cuiuslibet considerabuntur.

Prima an sit citatus vel benevole recognoscat. Secundo an præstito corporali iuramento, vel ſub fide vel ſub conſcientia recognoſcat. Tertia cuius terræ sit indigena vel incola. Quarta an vinculum aliquod conſanguinitatis vel affinitatis ſeu clientellæ aut famulatus alicui testis cum parte inducente non intercedat. Quinta ætas etiam vel tenera ſeu decrepita huiusmodi teſtis annotetur.

QVod ſi adverſa pars aliquem teſtem impugnaverit, tunc poſt annotatam depoſitionem ipſius, proteſtatio alterius partis contra ipſum annotatur, cum deſcriptione cauſæ impugnationis, ipſius. Quod ſi aliqui teſtes contumaces fuerint, ſcribatur circa depoſitionem aliarum teſtium in eodem inſtrumento, numerus & denominatio ipſorum condemnatorum ad maiorem elucidationem legalitatis huiuſmodi teſtis, qui condemnationem ſuam eadem die aſtavit, vel iuramento ignorantiæ in vlteriori proceſſu exequutionis coram Officio Caſtrenſi diſtrictus ſui ſuſtulerit,

& in vlteriori processu subsequentem rigorem iutis depositione ibidem testimonij sui evaderet.

Condemnatio in euasione educendi scrutinii.

GEneroſus N. citatione literali Terreſtri L. ad inſtantiam Nobilis N. actoris infraſcriptorum ratione &c. citatus eundem Nobilem actorem in evaſione cauſæ præſentis perpetua, & in abuſu beneficioque in cauſa infraſcripta deducendi ſcrutinij pro parte illius, per Miniſterialem Regni Generalem Providum N. ad iudicium præſens T. L. clamatum & non comparentem iudicialiter condemnavit, iuxta acta & citationem ſuam tenoris talis.

Inſeratur citatio.

In vim lucri decretum deducendi ſcrutinii.

NObilis N. actor Nobilem N. citatione literali Terreſtri N, infraſcripta citatum ad iudicium præſens N. T. iuridice per Miniſterialem Regni Generalem Providum N. clamatum & non comparentem in ſuo lucro pro toto iudicialiter condemnavit iuxta acta & citationem ſuam infraſcriptam tenoris huiuſmodi.

Inſeratur citatio tota.

IN vim autem huiuſmodi lucri Iudicium præſens Terreſtre N. decrevit vt pars actorea in contumaciam prænominati citati educat ſcrutinium, eundemque citatum ſcrutinij beneficio abiudicat præſentibus vigore decreti ſui.

Aliud decretum.

IVdicium verò præſens ad affectationem perſonalem citati obtulit ſe teſtes per ipſum inducendos, examinaturum, se eidem in primis iuramentũ corporale ſuper incorruptam, eorundem teſtium inductionem ex præſcripto Conſtitutionem Regni præſtare iniunxit. Quod iuramentum idem N. citatus in facie iudicij præſentis præfato M. N. patruo a-

ctorum ad ipsum personaliter attentãte præstitit, post quod iuramentũ præstitum, iudicio testes suos præsentavit, quos iudicium examinavit ac depositiones eorundem in scorsivo occluso rotulo ipsi extradidit.

OBSERVATIONES.

Dilatio ad deducendum scrutinium in articulis Castrensibus conceditur: vide supra in actione invasionis domus Similiter in causa violentæ expulsionis fit inquisitio: vide in causa expulsionis.

Scrutinium in criminali actu vtrique partiũ petenti concedi debet à Iudicio, præcipue parti quæ primo petierit.

De dilatione ad deliberandum.

Dilatio ad deliberandum; est prorogatio temporis, quæ datur à Iudicio, ad secedendum cum advocatis & amicis suis, cosilij capiendi gratia.

OBSERVATIONES.

Judex non nisi semel potest deliberare, idque ad diem sequentem, vel durantibus Iudiciis, aut ad sequentia Iudicia, & non vltra. Post Iudicis deliberationem partes tenetur reddere controversias suas inscriptas intra triduum, vna cum citatione, aliàs non suscipiantur. Poterit etiam Iudex & in alijs Iudicijs deliberare, sed cum consensu amborum partium.

Forma deliberationis super causam.

ET Officium præsens partiũ prædictarum actoreæ per Nobilem A. citatæ verò per Nobilem D. coram se comparentium controversia audita recepit sibi causã hanc cum toto eius affectu ad deliberandum (qua de causa scribatur) ad duas septimanas vel ad terminos N. proxime ab hinc vẽturos, in quibus habebunt partes terminum coram iudicio vel Officio præsenti C. C. N. iuxta actoreæ partis citatio

nem

nem præinsertam, controversias suas, deliberationem Officij, vel Iudicij præsentis, termini conservationem & acta.

Expeditio deliberationis.

QVemadmodum Officium præsens C. C. D. in causa inter Nobilem A. B. actorem ab vna, & Nobilem C. D. parte ab altera citatum citatione literali Castrensi C. D. pro eo, Quia &c. *iuxta terminationem & essentiam causæ scribatur*, coram Officio præsenti mota, earundem partium controversiis in actu deliberationis contentis, exauditis, receperat sibi causam hanc ad deliberandum ad proximos terminos (vel ad duas septimanas) in eisdemque terminum partibus præfatis, actoreæ videlicet per Nobilem N. citatæ vero per Nobilem A. coram Officio præsenti comparentium, controversias suas in actu deliberationis habitas reiterando, ac se circa eas conservari petendo (scribatur controversia qualis fuerat) decrevit, decreto suo præsenti mediante. Et Officium præsens C. C. D. expediendo deliberationem suam.

Decretum scribatur iuxta terminationem.

In termino deliberationis nouæ controversiæ non admittuntur sed iuxta controversias primas Iudex decernere debet. Possunt tamen easdem partes declarare. In termino verò deliberationis Iudex in contumatiam partis procedere non debet: verum pars partem condemnare debet sive in lucro, sive in evasione.

Vna pars debet semper attentere, quando Iudicium aliquid pro futuris terminis faciendum decernit: & hoc idem Iudicium in eadem causa præfigere & conservare debet partibus terminum, etiam pro futuris terminis, visitato modo stylli. Et habent habebuntque partes. &c.

De liberatio ex vna controversia, in deliberatio iudici conceditur.

De Dila-

De dilatione ad quietationem.

Debitum creditori solutum esse quietatio comprobat: quæ nihil aliud est quam literæ, quibus confitetur creditor sibi esse persolutum a debitore debitum.

Est autem duplex: Publica & Privata:

Publica, quam Creditor coram actis publicis fecit.

Priuata quam nomine suo scriptam dat Creditori.

Illa fit de debito in Actis publicis inscripto & dicitur Apotha. Hæc verò Syngrapha, vulgò chirographum non inscriptum. Conueniens etenim est, vt eodem genere & modo dissoluatur contractus quo factus est.

Dilatio hæc adproducendam quietationem datur ante & post contestationem litis. In super & in exequutione rei iudicatæ. Denique in puncta bannimonis. Sed si non produxerit sufficientem, aut prorsus nullam, cadit ab actione is, qui dilationem sibi dari petierat.

Forma dilationis ad quietationem.

Ex decreto Iudicij præsentis C. C. D. & partium infrascriptarum Actoreæ per Nobilem N. citatæ verò per Nobilem A. coram Iudicio præsenti comparentium controversia, data est Nobili C. D. ad instantiam Nobilis A. B. actoris de bonis N. citato.

Scilicet essentia causæ iuxta citationem, Iuridica dilatio ab hinc ad terminos C. D. N Iudiciales proximè celebrandos ad producendam exactis N. authenticam quietationem, qua idem citatus probabit de causa suprascripta per Actorem prædictum se quietatum esse. Habebunt itaque partes prænominatæ terminum coram Iudicio præsenti in proximè venturis terminis Iudicialibus C. C. N. iuxta Actoris citationem decretum præsens termini conservationem.

OBSERVATIONES.

Quan-

Quando quis seſe inscripsit non vsurum dilatione ad quietationem nisi ad acta proprij districtus, & petit dilationē ad acta remota vel vacantia, non est ei eiusmodi dilatio cōcedenda, nisi simpliciter peteret dilationem ad futuros terminos iuxta iuris formam.

In Tribunalibus Iudiciis, cum causa ex appellatione devenit, non conceduntur dilationes, præter duas, veræ infirmitatis, quando actus est personalis: & ad quietationem in duabus septimanis conservato termino. Quando verò ex citatione provenit terminus, liberius citatus vtitur dilationibus peremptoriis.

Dilatio ad quietationem præstandam admissibilis est & esse debet in quolibet Iudicio, nam inscriptiones debitorum restringuntur quietationes.

Dilatio ad quietationem in omni actione & in omni puncto & gradu iuris admittetur; ad inscriptionem verò tantū de principali: quando verò citatus petit dilationem ad munimenta quibus probare vult quia actor cessit de iure suo alteri, danda illi est talis dilatio etiam ad inscriptionem; quoniam æquiparatur dilationi ad quietationem.

Succamerarius has duas Dilationes concedit.

1. Pro maiori. 2. Veræ infirmitatis.

Commissarij nullas dilationes permittunt, præsertim in limitatione bonorum Regalium, quia breuis est eorum Iuris exercendi potestas.

NOTANDVM.

Ex pluribus comparticipibus litis, vni concessa dilatione, alteri non conceditur.

Dilatio super dilationē non conceditur, hoc est vna non comprobata, alia non conceditur: altera tamē diversa concedi potest.

Si falsitas literis objcitur, datur dilatio ad proximos terminos ad corrigendum cum actis iuxta Stat. Herb. 150.

DILATIONES ORDINARIÆ POST Sententiam.

DAntur etiam secundum iura Dilationes, post sententiam pronunciatam, sed soli condemnato, si comparuerit, sive per se, sive per procuratorem suum, cui tunc permittitur vnica dilatio ad duas septimanas, ideò vt condemnatus sententiæ latæ actu & opere satisfaciat eamque re ipsa præstat. Ex Consuet. Terræ Crac. Anni 1505. folio 124. Lege. At iam.

Si verò non satisfecerit reservatur ipsis partibus terminus pro causa principali ad Terminos proximè futuros. In quibus si comparuerit citatus non probaveritque se satisfeciſſe decreto, decernitur super eum vadium pœna, aut damni, ac tandem concitatur ad satisfaciendum pro decretis.

Si reus citatus in contumatiam suam condemnatus fuerit in lucro, habet dilationem similem, ita videlicet quod actor in concitatione ad satisfaciendum, non potest præstituere. Reo terminum in arctiore tempore, quum in duabus septimanis, si in Officio Castrensi actio sit instituta; Si verò in Terrestri aut in Castrensi Iudicio tunc in proximis terminis; Aut cum citatus in termino concitato ad satisfaciendum comparuerit; hac dilatio ei non datur, sed iudicium decernit eum solvere & satisfacere teneri pro condemnatione in lucro durante eadem sessione, sub pœna 14. marcarum Actori luenda. Quod si non satisfecerit, condemnatur in eadem pœna, additurque Ministerialis ad intromittendū actorem in perlucris.

Datur & altera post sententiam latam dilatio Reo, quæ

voca-

vocaur exequatoria, quam Reus ferè de iure habet, ita quod exequator in arctiori tempore, quam in duabus septimanis à diæ latæ sententiæ, non potest decernere teneri iurevictum darè Actori intromissionem & possessionem in bona, ac itidem Actor ad ipsam intromissionem acceptandam proficisci, neque mittere; sive in personali, sive in reali bonorum immobilium petitoria actione ectum esset. Datur & tertia dilatio, tàm Actori quam Reo quæ vocatur appellationis prosequutoria. ad appellationem aut motionem interpositam prosequændam; ea plerumque est vnius anni & sex septimanarum.

Quinta dilatio datur Citato quæ vocatur ignorantia, nãque est sex septimanarũ peremptoria, admigrandum quod vulgò dicitur *rumowanie*; ad omnes res suas, & bona quecũque mobilia propria, evehenda, expellenda, & offerenda, in actionibus ad recidiendas pecunias de bonis Regalibus sibi obligatis. Lex Sigis. Petr. lata, Anno 1538. Lege. Quoniam. Item reservatur in causa redemptionis bonorum hæreditariorum obligatoriorum. Ex Consuctudo.

Quinta dilatio datur citato in actione transportandæ inscriptionis Castrensiis ad acta Terrestria, aut adducendæ vxoris cum amicis ad renunciandum reformationi suæ dotis, & dotalitij, quæ se extenderet super bona per maritum suum alienata, aut obligata, aut ad consentiendum inscriptioni per maritum ratione alicuius debiti alicui factæ, de omni iure suo, & inscriptionibus suis quodcunque seu quæcunque se extenderent super bona per maritum alienata aut obligata. Daturque ad terminos Terrestres aut positionem illorum actorum in quæ Reus citatus obligavit se inscriptionẽ Castrensem translaturũ aut vxorẽ adducturum.

Sed hoc loco sciendum est, quod omnes dilationes, quæ

aut iuxta stylum, aut iuxta Statuta Ordinaria post sententiam permittuntur, sunt arbitrariæ, quas tamen Iudex expresse de negare non potest, sed tantū moderari, & ex causa prorogare vt volet, iuxta occasiones oblatas & cognitas, scilicet propter locorum distantiam, personarū qualitatem, temporum affectiones, & cæterarum causarum naturam ita suadentem. Quod si ad hos dilationes in debito vtatur moderamine licet ab eo appellare; quod sit ipsius Officium omnes dilationes quas, & quando potest, breviare, abrumpere, & amputare.

DILATIONVM VSVS IN ACTIONIbus facti.

1. *In actionibus facti attendenda est ante omnia citati minorennitas.*
2. *Vera infirmitate vtendum est.*
3. *Pro maiori.*
4. *Ad munimenta specificata causam perimentia.*

Dilationum vsus in actionibus iuris.

In actionibus iuris ante omnia attendendum est vtrum citatus sit adultus an minorennis Minorenni enim datur oblatio ad annos legittimæ ætatis, præter actiones a lege exceptas vt:

Exemptionis,

Divisionis,

Pro bonis, pro quibus patri fuit actio instituta.

Liberationis fideiussionis: pro qua vivens pater in ius fuit vocatus.

In causa complicitatis ob defensionem bonorum iurevicti: & quando volunt negare processum contra se directè obtentum, in quo de nomine tutor est expressus.

Soluti-

Solutionis capitis: & in causa limitum, dum inter alios cohæredes adultos citantur; & vbi pater præoccupatus citatione moreretur.

Secundo considerandum, inqua actione potest haberi evictor, quo demonstrato datur dilatio ad conveniendũ evictorem.

Tertio loco, accipienda dilatio ad munimenta simplicia causæ necessaria.

Quarto loco, petenda dilatio visionis.

Quinto veræ infirmitatis, procedet etiam intermino motionis si est personalis.

Sexto Dilatio pro maiori.

Septimo ad munimenta specificata causam perimentia, seu ad quietationem, quæ dilationes eiusmodi sunt naturæ, quod vna aliam perimit, excepto si primo fuit concessa ad munimenta non causam sed processum tolentia, cum vnus particeps de iure suo cedit: tunc enim potest dari denuo ad quietationem de toto causæ processu. Tres tamen posteriores indifferenter possunt accipi.

Excipiuntur actiones privilegiatæ vt exemptionis, in qua nullum locum habent, & Cmetonis profugi, inqua tantum dilatio veræ infirmitatis (vt superius dictum est) currit.

Actio evictionis vt ex inscriptione promanat; ita eius legibus subiacet. In actione solutionis dotis & provisionis evictor non procedit, sed salva cum eo reservatur actio. Idem existimo in articulis Officij Castrensis ad querelam. Quæ sunt actiones facti quo iuris habes supra sub Titulo secundo de actionibus.

Dilationum vsus in actionibus criminalibus.

1. In actionibus criminalib⁹ in primis intercessor qui causæ onus in se susciperet, pro terminis personaliter statuend⁹ loco evictionis.

2. Ad decendam scrutinium quando illud neutra pars deduxit, vel quando citatus iurabit, se de citatione ad deducendum scrutinium posita nescivisse.

Porro ipsa deductio scrutinii non patitur dilationes ipsi tantum testi propter pœnam 100 *Marcarum euadenti differri potest terminus vera infirmitate, & pro maiori, secundum non nullorum opinionem.*

3. Vera infirmitate.

4. Ad munimenta specificata causam perimentia si quæ actio eiusmodi dilationem ex natura sua patitur. Fit etiam dilatio ex mutuo ipsarum partium consensu vt est scriptio termini sive Limitatio hanc dilationem licet partibus quoties & quando atque quo ad velint, etiam irrequisito Iudice facere.

Dilationes extra ordinariæ.

Extra ordinariæ dilationes sive induciæ sunt duplices. Aliæ enim sunt quas Iudex ex aliqua insta causa, vltra supra dictas dilationes ordinarias concedit, vt sunt: ad producendam inscriptionem, ad producendum processum iuris ad sigillandum, aut subscribendū, minutam, adconformandum discordes minutas cum actis & aliæ similes.

Atqui procurator aut à causa recedere, deeaque transigere sua sponte; ita eam, nisi sit possessionatus differre; tanto minus in aliud horum transferre poterit, absque suo Principali.

Hoc etiam notandum; quod scriptione termini facta super citationem, nondum in Iudicium introductam. Actor adveniente termino ex scriptione eiusdem, non tenetur probare relationis Ministerialis positionem ipsius citationis. Nam scriptione termini agnovit, ipsam citationem super se positam esse; Reus citatus.

Sunt

Sunt etiam aliæ dilationes extra ordinariæ vt.

Prorogatio,
Suſpenſio,
Remiſſio, &
Compromiſſum.

OBSERVATIONES.

Scriptio termini, eſt fori terminiq́ue approbatio. In termino enim iam tandem peremptorio, citatus nihil poteſt obiicere contra citationem. Attamen termini prorogatio pro litis conteſtatione non reputantur.

Prorogatio ſeu ſcriptio termini fiat expreſſa nominando actionem, ſuper qua terminus prorogatur.

Procuratores non poſſunt ſcribere terminum ſine conſẽſu partium: quia nemo poteſt conſentire ad tranſpoſitionem termini; niſi illæ partes, quorum intereſt.

Repoſitiones terminorum de conſenſu partiũ eſſe poſſunt, vocantur quoque ſcriptiones, ſeu limitationes terminorũ.

Si verò ſcriptio termini in nullo termino eſt facta; & ipſe terminus ex eadem proveniens nullus eſt.

Quando duo actores agunt pro vna & eadem cauſa diverſis & ſeorſivis citationibus, ſuſpendenda erit cauſa cum citato, donec actores de potioritate iurium experiantur. Cui enim iudicio competit cauſam cognoſcere cum citato, eidem & cum diverſis actoribus competit. Poſtquam autem actores inter ſe experti fuerint, mox citatus potiori reſpõdere tenetur.

Id quod ex alio dependet, quod cognoſci non poteſt niſi cognitio principali, ſuſpendi debet ad cognitionem ſui principalis.

Quando cauſa eſt ſuſpenſa, cum complice donec cum principali decidatur, cauſa verò cum principali eſt ante definiti-

finitiuam sententiam per appellationem suspensa; tamen complex debet procedere, iam enim in illo iudicio decisa esse existimatur: verumtamen in eiusmodi suspensione necessaria est conservatio termini in eisdem iudicijs (aliàs necesse est adcitare) idque propterea vt in superiori iudicio, ambo habeant terminum.

Quando agitur pro damnis & in iurijs in hæreditatibus contiguis, & non limitatis, illatis, & in iurias proprietatis fundi secum trahunt, suspenditur actio iniuriarum ad determinationem granicierum.

Officialis quando citatur, ex officio, debet simul citari & pars cohærens, & si terminus cum vna parte prius advenerit, debet suspendi actio, donec cum altera advenerit terminus.

Quando tenutarius bonorum Regalium deffendit bona Regalia, & citatur pro iniurio à Nobili, ille vero excipit se, bona Regalia deffendere, allegans, has iniurias in fundo regali agi; suspensionem obtinebit, donec Nobilis per commissionem assecutus fuerit limites. Etenim non Tenutarij sed Nobiles debent Commissarios impetrare & eduecre: verum talis defensio debet esse ante præscriptionē annualem, de quo Constit. anni. 1588. testatur.

Quando plures citantur in vna causa inter quos sunt alij minorennes, si minorennibus datur dilatio ad annos: necessario cum reliquis suspensio fieri debet, tanquam in causa coniuncti, omnes enim pro vna reputantur persona: sed cum pro interesse minorennium actor à causa recedit, cæteri respondere tenentur.

In causis limitum vbi in campo collateralis retinet actionem limitum tunc in causa cum principali citato suspendi debet, donec collateralis citatus à iudicio terrestri ad campum remissus fuerit.

In ho-

In homicidio causa criminaliter instituta, civilem causam non suspendit solutioitine capitis: causa verò vulnerum suspenditur, donec de invasione domus cognoscatur.

Pœna talionis causam civilem suspendit. Fit autem suspensio ad annum in duobus casibus 1. Quando quis est in militiæ servitio Reipub. &c. Quando quis in legatione Reipub. extra Regnum.

In causa capitis si tutor non vult convincere, ad annos minorennis suspenditur actio, iuxta Constit. 1588. *O Mezoboycach.*

Actio divisionis scopulorum actione limitum suspendi non debet. Nam scopuli licet in officiose sunt erecti, non sunt dissipandi privata authoritate. Verum actio limitum actione divisionis scopulorum retardat, & suspenditur, facilius enim limites perfici possant, quam scopuli sunt erecti.

Vbi aliquid ex controversia partium personaliter stantium pro futuris terminis decernitur, debet in eodem decreto terminus præfigit & assignari: vbi autem terminus non est præfixus, vtraque pars procedere potest: Pars verò cui interest hoc attendere & præcustodire debet: Si autem id non præcustodierit, sibi imputet.

Compromissor est tanquam Iudex causæ, teneturque controversias ad actum suum inscribere, & decretum: quo acticato, cum vtrisque partibus subscribere sygillaque imponere debet, & ad acta Terrestria, vel Castrensia; ingrossare: & sic firma habebitur actio illa compromissorialis perpetuis temporibus.

Forma scriptionis terminis.

NObilis A. B. Actor ab vna per N. & Nobilis C.D. parte ab altera per N. citatione literali Terrestri, vel Castrē-

si N. citatus. *Scribatur essentia causæ & commemoratio instantiarum immediate antecedentium sufficienter excitatione.* Habent & habebunt, ac inter se scribunt terminum hodiernum, hinc ad duas septimanas proximas proximæque, & immediate venturas, talem qualem die hodierna coram Officio præsenti habere debuerunt nullius partis iure laso: imo in toto salvo conservato, iuxta actoris citationem, scriptionem præsentis termini conservationem & acta.

Scribens terminum aliquis alterius nomine & citatus negaverit sau Actor, se illi commisisse scriptionem termini iurabit principalis, quod non commisit, & liber ex eo à citatione evadet; de quo Regia decreta testantur.

Forma conseruationis termini partibus ad proximos terminos ob non determinationem terminorum post condemnationem in lucro.

TAndem ad Iudicium præsens Terrestre C. ante reclamata Iudicia veniens personaliter Nobilis N. M. condemnationem suprascriptam nomine citati N. volens cum actore experiri arestavit. Quod arestum iudicium ab eo suscepit, & condemnationem præscriptam interveniente aresto tollit & cassavit. Verum quoniam Iudicium die hodierna iuxta præscriptum Constitutionum Regni determinata fuerāt, actionesque tunc ex generali Regestro quam ex aresto incidentes, propter angustiam temporis eadē die expediri non poterant; Idcirco Iudicium præsens causam præsentem, terminum partibus circa quamvis adcitationem, in eodem vigore conservando, ad futuros terminos Terrestres N. reiecit. In quibus terminis habebunt partes terminum iuxta arestum præsens, termini conservationem & acta.

Generalis termini limitatio.

IN termino hodierno vigore (vide in terminatione) Generosus N. ex vna per Nobilem N. actor & Nobilis N. per

Nobi-

Nobilem N. parte ab altera citatione literali Terrestri N. (vel) Castrensi N. citatus super omnes & singulas causas actiones & citationes ex parte prædicti actoris super præfatum citatum N. ratione quorumcunque rerum iniuriarum & differentiarum in eisdem citationibus descriptarum, ex quibus quidem causis & citationibus terminus terminique præmemorati partibus ambabus ad diem hodiernum legitime incidentes terminum & terminos præsentes, talem & tales, qualem & quales partes præfatæ coram iudicio præsenti habere debuerũt nullius partis iure læso, imo in toto salvo permanente, hinc ad terminos terrestres N. proximos proximæque venturos limitaverunt & prorogaverunt.

Scriptio termini super decretum Tribunalis.

IN termino hodierno ex vi decreti iudicij Generalis Tribunalis Regni minoris Poloniæ Lublinensi proxime celebrati (scribatur decreti essentia) tam remissionis partium ac conservationem termini ibidem contenti, legittimè ad modernos terminos incidentis & provenientis. Nobilis N. A. &c. Vt supra in forma scriptionis Termini.

Dilationes adulterinæ.

Ex his quædam serviunt solis citatis vel ad

Munimenta ex quibus apparet

Euictor.

Actorem non posse habere locum standi, seu causam promouendi.

Quod actor de iure suo cesit.

Quod non sit complex.

Ad statuendum minorennem.

Ad principalem.

Citationem in alienis bonis positam.

Quod non tenetur respondere.

Ad ostendendam possessionem.
Quod non tenetur ad leuandam pecuniam.
Quod bona iure hæreditario possidet
Quod non tenetur ac faciendos limites.
Quædam tàm Actoribus quàm citatis.
Ad corripendas literas cum actis.
Ad subscriptionem munimentorum.
Dilationes abrogatæ.

VT dum testi obiicitur excommunicatio ad alios testes, vel ad petendam absolutionem. Herb. fol. 203.

Ad deliberandum citato termino curiali. Herb. fol. 40.

Dilationes plures veræ infirmitatis. Herb. fol. 49 & sequenti fol. 281. Et lex annalis de dilationibus ad munimenta in certis terris, ob non celebrationem terminorum, etiam secunda vice concedenda. Const. 1589.

Exceptiones non nullæ quæ post litis contestationem possunt proponi.

1. Falsæ causæ. 2. satisfactionis. 3. mortificationis proressus iudiciarij. 4. compensationis. 5. acceptionis.

De aliis exceptionibus habes supra sub Tit. de Exceptionibus.

TITVLVS VI.

DE LITIS CONTESTATIONE,

Litis contestatio, est directa responsio rei ad narrationem principalis negotii Actoris: hoc est agnitio, vel negatio obiectorum.

Litis contestatio dicitur quando hinc inde apud Iudicem negotij principalis fit narratio, & contraria contestatio, cum rem ipsam actor petit & Reus se defendit, quo in con-

flictu,

fi ctu, Reus omni ratione ſtudet vt propoſitionem actoris negatione vel iuramento evagat vel exceptione perimat, nempe quod non debet, vel ſit res iudicata, tranſacta, ſoluta, præſcriptione extincta; quarum quidem & aliarum huiuſmodi defenſionum Reus poterit mentionem facere, etiam ante litis conteſtationem, cum proteſtatione hac, quod nolet ſibi eas perire tunc cum ſuper principali negotio fuerit diſputatum.

Dicitur etiam lis tunc conteſtata cum per petitionem ſeu propoſitionem actoris & per reſponſionem rei in iudicio factam, iudex ex narratione negotij cauſam iudicare cæperit ſive Reus neget ſive confiteatur.

Est autem reſponsio duplex. 1. Quæ fit per exceptionem dilatoriam ſeu peremptoriam vel in directam. 2. Per affirmationem ſeu negationem vel per directam aut poſſeſſoris aut proprietarij; vel vtriuſq; eorum, allegationem.

Si enim reus agnoſcit rem, iure ſe id feciſſe defendit.

Quando verò reus factum agnoſcit, non litis conteſtatio, ſed ſpontanea confeſſio eſt appellanda: quod ſi reus facta reſponſione à iudicio diſcedit; litis conteſtatio habetur.

Si negat. Id aut literatorie aut iuramẽto probare debet.

Et dicitur litis conteſtatio à conteſtando, quia citatus directè in cauſa procedendo, agnoſcere iudicem; & in re ipſa teſtari, ſe velle de principali negotio experiri, videtur.

Et ſi ſunt certi caſus convictorij, videlicet capitis, vulnerum, invaſionis domeſticæ, violationis fœminarum, expulſionis violentæ, ex præexiſtenti obdu ctione: tamen vltra hos alioſque quoſdam privilegiatos articulos in cæteris omnibus citatus propinquior eſt ad expurgandum.

Porro citato ſimpliciter negante Actor tenetur aſſertionẽ ſ. ā. ō. probare: alioquin eo non probãte reus abſolvitur.

Præterea si citatus Actori iuramentum detulerit, tenetur illud suscipere: alioquin reus liberabitur.

At qui actor citato iuramentum deferre nequid, huiusmodi enim dilationis præoccupatio non reciprocatur.

Quomodo post litis contestationem aut directam responsionem procedendum?

AVt agnoscenda obiectio actoris, & satisfactio offerenda est, vt pœna vel vadium evitetur: aut iustè factum deducendum est aut negandum probatioque & evasio affectāda; vel peremptoria aliqua exceptione vtendum. Quod si enim levibus exceptionibus, & tergiversationibus laboraverit reus, tum reiectis eius nullius momenti defensionibus, tanquam contra rebellem & contumacem erit procedendū, nimirum satisfactio iuxta exigentiam causæ super cum decernenda.

Quod si tàm in primo quam in alio quovis termino omissis omnibus exceptionibus, citatus prima fronte litem esset contestatus, & directè ad obiecta actoris respondendo in causa sua succubuerit, iamque ex controversia sua, decreto iudicij in te principali esset condemnatus, tunc luerum super illo est decernendum seu satisfactio iuxta naturam & exigentiam causæ, vel in instanti, vel tempore præfixo, sub vadio si agitur ad citationem, vel sub taxa in citatione expressa, vel sub vadio primario. vel sub pœna 14. Marcarū Et in Iudicio quidem Terrestri vadium, taxa & pœna, non exnunc interponuntur; in Iudicio verò Tribunalis Regni iā exnunc decernitur; vel in instanti durantibus Iudicijs, vel coram Officio Castrensi in quatuor vel sex septimanis præfigitur terminus, & causa pro exequutione vlteriori ad loci Capitaneum vel Capitaneos remittitur: neque in hoc passu concitatio est necessaria. Hoc apparet ex processu. Herb.

200. Parag. si verò citatus personaliter. Item hac de re est Decret. R. Feria 4. post Cantate. 1553.

In procedendo seu respondendo: semper observanda est reservatio omnium iuris remediorum sic: salvis iuris remediis in pleno robore reservatis de iure reservandis nullis obmissis, Vel: servatis de iure reservandis beneficijs iuris nunc & vbique loco & tempore inferendis nullis obmissis.

TITVLVS VII.
DE PROBATIONIBVS.

Cum vero probationes in principali negotio ex vtraque parte plurimum adferant momenti ad causas; necessario de probationibus est dicendum.

Est autem probatio rei dubiæ faciens fidem ratio.

QVanquam variæ & multiplices probationes variarum sunt propositionum & causarum: tamen quæ in Iudiciis sunt vsitatæ, hæ sunt præcipuæ.

1. *Authentica documenta, ex actis deprompta, vt pote inscriptiones, quittationes, decreta, & cætera id genus, quorum fides inconuincibilis.*

2. *Ministerialis cum Nobilibus. Probatio quoque per Nobiles facta super aliqua re, idem valet sicut Ministerialis & magis.*

3. *Argumenta ex locis Dialecticis deprompta que multum faciunt ad faciendam fidem. suppeditantque liberaliter rationes quibus vel intentionem, quis suam fulciat vel aduersam refutet.*

4. *Scrutinia in criminalibus causis, in quibus testes inducuntur, & tam actor quam Reus se inuicem ad deducendum scrutinium citant. Debet autem in proximis Judicijs, siue Castrensibus, siue Terrestribus post factum, & ad notitiam deductum crimen, tam actor quam Reus scrutinium deducere.*

5. In

5. *In recenti facto deprehensio.*
6. *Coniecturæ in causis dubiis*
7. *Statuta & constitutiones causis seruientes in statu Iurisdiciali.*

Aliæ species probationum.

1. *Per confessionem partium.* 2. *per testes.* 3. *per iuramentum.* 5. *per euidentiam & aspectum.* 6. *per præsumptionem.* 7. *per famam cum aliis præsumptionibus.* 8. *per literas sigillatim.* 9. *per renunciationem præsentium personarum.* 10. *per communem opinionem.* 11. *per iudicia indubitata.* 12. *contra testium personas & dicta instrumenta alias probationes etiam excipit.*

Inlegittimis documentis & atuhenticis iuramentum non decernitur, sed vbi non sunt authentica dosumenta deceer nitur iuramentum.

Contra inscriptionem nulla probatio, sed iuxta inscriptionem pars Actorea propior ad comprobandum.

Reo æquè incumbit probatio responsionis suæ, sicut & actori suæ querellæ.

Probationes sunt duplices iuris & facti.

TITVLVS VIII.

DE IVRAMENTIS.

Causæ in quibus Juramenta Actoribus seruiunt.

Evocans aliquem contra ipsius Privilegium, iurabit se nasciviſſe citatum Privilegio munitum esse: & sic evadet solutionem vtrius sexagenæ Herb. fol. 14.

Super damnis in progressu bellico illatis, Actor solus propior convincere, si vult. Herb. fol. 198.

Pro iniuste extorto Theloneo in voluntate Actoris erit super damna sibi illata, iuramentum facere: vel exactor. plebeio expurgationem deferre. Herb. fol. 775.

Plebeius marcium evector extra Regnum non præventus & negans per Theloneatorem convincita. Herb. fol.

Nobilis autem si negaverit proprio iuramento evadet. Herb. fol. 166.

Fideiussor principalem negantem debitum; convincit: Si summa sit 20. Marcarum, solus. 40. Marcarum met secundus, si maior, met tertius. Herb. fol. 7.

Violata fœmina contra suum violatorem. Herb. fol. 292.

Pro pœna 100. Marcarum propter non amotionem obstaculorum ad Capitaneum citatus, peremptoriè respondet, & convincitur. Herb. fol. 97.

Pro vulneribus Actorj incumbit probatio. Herb. fol. 300.

Pro mutilatione membrorum Actori incumbit cum duobus testibus probatio. Herb. fol. 304.

Si quis virum bonæ famæ in Iudicium pro violentia evocat, Actor probare tenetur, quod asserit: aliter evocatus solus se expurgat proprio iuramento. Herb. 292.

Pro capite occiso simpliciter actori incumbit probatio. Herb. fol. 708.

Tribus vicib⁹ aliquis de calumnia citatus purgat se: quarta vero vice si convincitur nares illi præcidi debent; honoreque privatur. Herb. fol. 30.

In ostensione limitum, quæ pars tres ad minus scopulos notabiles de terra erectos ostenderit illa ad probandum admittitur. Herb. fol. 280. & 268.

Depulsor scropharum alienarum de sua sylva glandifera, iuramento probabit Scrophas illinc vbi signa ostendit, depulsas esse. Herb. fol. 183.

Pro invasione domus convincitur reus per actorem met septimum, & convictus capite plectitur. Herb. fol. 124.

Quando aliquis citatur pro violenta acceptione rerum,

quarum partem reddidit, & reſiduum negat; per actorem convincitur. Herb. fol. 104.

Extinguens candelam, licet non vulnerans, quando pro vulnere ibidem illato citatur, per actorem convincitur Herbor. fol. 5.

Reo ſimpliciter negante actor probat. Herb. fol. 5.

Reo ſeſe ad evaſionem trahente; actor ad probationem ſi ſe ad eam trahit admittitur: vbi verò vterque ſeſe trahit alter ad probandum alter ad evadendum, Reus propior eſt vt evadat. Exceptis cauſis quibus probatio actorem ſequitur. Herb. fol. 5.

Actori ſuper damno illato medio iuramento in cumbit probatio. Herb. fol. 200.

Actor poſt aſtitionem termini concitati ad ſatisfaciendū, obtinet damnum coniunctim cum ſumma principali, abſq; iuramento. Sed quando victus in termino concitato apparet, & attentare vult actoris Iuramentum ſuper damnis; actor iurabit ſuper ſummam in citatione expreſſam, minorē, non autem maiorem. Herb. 200.

Iuramentum non ad invenitur nec decernitur, niſi vbi damna ſequuntur. Vbi vero ad pœnas legum aliquis citatur, pœnæ legum ſunt decernendæ: & cum cauſa fit ex termino iuramenti, in inſtanti iurare tenetur Reus, Actori verò dilatio conceſſibilis adinvenitur.

Actor pro fideli depoſito met tertius, alias iuxta taxam iurare debet. Fidelis manus, ſeu fidele depoſitum, non aliter intelligi debet, niſi quando quis ad manus proprias alicui ad ſervandum dat aliquid.

Citauit actor pro violenta acceptione frumentorum laboris ſui proprij citatus allegavit, quia in ſuo proprio fundo recepit, offerendo ſe id comprobaturum: Actori ſuper

pro-

proprio labore comprobatio decreta in Iudicio Tribunali.

Successores pro vulneribus patris, fratris, mortui. &c. ad probandum sunt propiores.

Actor citans ad inscriptionem, qua cautum est, quod citatus liberè semper debuit dimittere aquam ad molendinũ actoris sub damnis Terrestribus; propior est ad probandum cum sex testibus: quod sibi aqua est adempta à molendino, & damnum patitur iuxta æstimationem in citatione positam.

Quando inscriptio in actis fuerit maculata, iuramentum præstare decet is, cui inscriptio facta sit, cum duobus testibus, quod summam contentam, nec ipse, nec antecessor eius recepit, neque eandem inscriptionem fecerit cassare, vel in actis delere.

Successor post mortem patris, si citat tutores suos (illi verò tutores fecerant Regestrum rerum mobilium post parentem illius derelictorum, introduxeruntque in acta) pro rebus iuxta Regestrum in actis contentum, ac pro alijs rebus, quæ non continerentur in actis; pars autem citata nollet facere rationem de illis; Iudicium attenta inscriptione per actorem quam præfati tutores fecerunt, decrevit præfato actori iuramentum: quod non sunt sibi hæ res extraditæ, quæ sunt in præfata inscriptione coram actis expressæ. Pro alijs verò quæ non continentur in Regestro iuramẽtum participitatæ decrevit: quod non receperit post patrem illas res pro quibus citantur extra regestrum.

Depositum, vt puta, argentum, aut aurum, alicuius custodiæ commissam; si fuerit, in depositorio per incurabilem ablatum, seu subtractum, depositarius rei perditæ, per eum ad servandum sibi concreditæ, tenetur ad solvendum iuramento prestito per partem actoream de valore depositi, Quia res concredita depositarij incurabilitate esse perdita

creditur. Si verò depositarius allegat rem depositam sibi esse abstractam casualiter, per ignem, per fures, vel per invasionem domesticam, in illam domum, in qua depositum, argentum, vel aurum servaverit; in tali casu & allegatione medietas depositi debet per depositorem parti actoreæ solvi, & ab illa medietate depositarius liberatur iure: vt est Decretum in Conventione Generali Petric, in Iudicio Regali inter *Lesnicka* ab vna & *Doboska* parte ab altera.

In citatione verba inhonesta ponens famam lædentia, si negat; se procuratori aut notario suo mandasse, talia verba scribere; iuramento solus evadit, & citatus à citatione liber pronunciatur. Decretum Crac. 1539.

Citans guerras moventem convincit met tertius pro damnis. Decretum Varszaviæ 1570. in Conventione Regni Generali Feria 3. post Festum Divisionis Apostolorum.

In actione pro importatione citationis super aliena bona, si actor non illicò post importationem citaverit, decernitur eidem iuramentum super ignorantiam deportationis citationum.

Post præstitum iuramentum etiam absente parte contra quam iuramentum factum est, decernitur satisfactio.

Quando actor in termino iuramenti aliquam controversiam infert, vt protrahat citatum; admittatur actio contra illum & processus non audiendo illius controversiam.

Causæ in quibus iuramenta citatus seruiunt.

Si inscriptioni obijcitur, quod in fraudem facta sit, inscribens met septimus si perpetua fuerit; si verò temporalis; met tertius iurabit, non in fraudem factam esse Herb. fol. 116.

Theloneatori Nobili. pro iniusta Thelonei exactione, citato expurgatio servit, iuxta quantitatem summæ. Plebeio verò non incumbit probatio, nisi ipse actor velit idque

tali

tali modo: quod pro summa 10. marcarum met tertius, pro maiori met septimus; quod videlicet nihil ab actore contra libertates publicas exegit, & extorsit. Herb. fol. 275.

Impar genere provituperio per Nobilem citatus, proprio iuramento evadit. Herb. fol. 167.

Vir bonæ famæ de aliquo crimine, puta de furto, aut de spolio inculpatus, se expurgare, ac si Nobilitatem suam probaret, tenetur. Herb. fol. 104.

Nobilis mercator, si merces extra Regnũ evexerit: & non præventus per Theloneatorem, id negaverit, met tertius iurabit. Si plebeius mercator fuerit, per Theloneatorem convincitur. Herb.

Wladarius seu famulus contra Dominum met septimus se expurgat. fol. 291.

Dominus pro excessu servi citatus, met tertius iurabit de non data fugiendi occasione, & ad crimen consensum, secus si apud ipsum arestatus fuerit. Herb. fol. 242.

Pastor ac perdita ove citatus, iuramento evadit: se illam cum cæteris ad villam appulisse. Herb. fol. 172.

Fideiussor Pro non solutione debiti; si solutionem per debitorem factam allegat, ad probandum admittitur. Her. fol. 94.

Accusatus de spoliatione in via die forensi facta, cum duodecim testibus expurgatur. Herb. fol. 174.

Pro vulneribus circa domus invasionem alicui illatis, citatus aliquis ad producendum testes de calumnia; est admittendus. Herb. fol. 124.

De inculpatione pro cussione falsæ monetæ; cum octodecem testibus per Regem aligendis. Herb. fol. 164.

Pro literis, quibus falsitas obiicitur, cum sex testibus ex octodecem electis iureiurando illas non esse falsas, sed le-

gittime ex actis Iudicialibus emanatas. Vbi verò acta publica aliquo casu deperderentur: tunc duorum tantum Nobilium & suo iuramento, integritatem literarum probare debet. Herb. fol. 150.

Pro pecunia mutuata, & non inscripta, citatus iuramento evadit. Herb. fol. 166.

Dives citatus pro violētia contra pauperem per testes expurgat se. Herb. fol.

De furto apium accusatus vir bonæ famæ, si Actor testes idoneos producere non potest, ille proprio iuramento evadit. Herb. fol. 9.

Vir bonæ famæ pro quavis violentia citatus; proprio iuramento evadit. Herb. fol. 9.

Pro vulnere citatus, si accusantem seipsum in contentione vulnerasse appellat, ad probandum admittitur: Si extra contentionem citans esset vulneratus; tunc actor admittitur ad probationem. Herb. fol. 305.

De canis morsu aliquis citatus, quasi ex ipsius incitatione id acciderit, ad expurgandum admittitur. Herb. fol. 37.

Ad probandum pars literatoria propior, & vbi vtraque pars caret literis, ibi possessor propior est ad probandum. Herb. fol. 183.

Citatus abiurat processum contra se obtentum si vult, per ignorantiam. Nihil ominus ibidē in instanti respondet super actoris citationem. Herb. fol. 200.

Homicidium in defensione vitæ committens, & præsertim in via, cum sex testibus evadet: & 60 Marcas pro capite solvat. Herb. fol. 108.

Si quis citatur pro rebus inventis; & non redditis; evadet, quod non invenit, nec habet: & similiter in omnibus simplicibus iniurijs. Herb. fol. 124.

Cum

Cum aliquis citatur pro iniurijs fundi, nimirum pro constitutione novæ piscinæ in fundo actoris, agrorūque & pratorum ademptione, partibus vtrisque sese ad comprobationem trahentibus, quod in suo fundo hæc facta fuerunt; propior & potior citatus ad probandum cum sex testibus, quod nihil hæreditatis actori ademit, sed hæc omnia pro quibus citatur in suo proprio fundo facit.

Pro complicitate banniti citatus evadit.

Depositi partem negans, & partem agnoscens, debet negatam partem evadere.

Citatus pro fideli deposito, negans depositum, solus per Iuramentum evadet actorem; Successor vero eius pro eodē citatus, met tertius evadere debet.

Quando aliquis citatur pro fundo, quod in fundo actoris construxit aggerem, citato negante; non evasio decerni debet, sed comprobatio met septimo in eam rotham. *Jzem ia naswym gruncie vsypal tegroblą, o ktora iest pozwan: y tego gruntu własnego bylem zawsze wspokoynym vzywaniu* per præscriptiones Terrestres. Quod si aliqua in iuria, præsertim inundatio facta fuerit, potest in rotha addi. *Anim zalewku nagrunt Actorow nie vtzynił.*

In causa violentæ expulsionis, inter partes par ius ad aliqua bona habentes, propior est pars citata ad evadendum quod tantum in sortē iure naturali se concernentem inequitavit, ipsam vero sortem spectantem ex parte actoris liberā ab impetitione quavis reliqui, nec eam in possessione, vsufructu, possideo vt affirmat actor: Ita me Deus adiuvet & S. Christi passio. Tandem pro divisione actor agat cum voluerit.

Quando possessor iurabit met septimus super præscriptionem terrestrem, quod præscriptionem terrestrem extenuit

pacifi-

pacificè, tunc decernendum erit actori perpetuũ silentium, citato verò pacifica possessio bonorum iuxta eius bene placitum.

Citatus aliquis pro arvlpirio hoc est pro incineratione sylvæ aut borræ alicuius; sive etiam domus, in tali progressu iudiciario potest in citatione ponere taxã iniuriæ, sed pars citata propior est evadere iuramento proprio de tali facinore obiecto, quam quod ipsum debeat convincere pars actorea in tali casu criminali, & talis pars citata debet remitti ad forum competens pro expurgatione sui, ac pro obiectione huius facinoris criminalis.

Si quis citatur pro exemptione bonorum, & ille citatus Tenutarius bonorum reciperet pecunias pro exemptione, & quietaret de perceptis, Iudicium verò reservaret illi possessionem bonorum ad sex septimanas, quod in sex septimanis deberet libere dimittere bona, postea autem Tenutarius ille bonorum, citaret hæredem bonorũ pro violenta expulsione ex bonis quæ debebat tenere sex septimanis, illumque eiecisset ante decursum sex septimanarum ex bonis, & vult probare: Parte autem citata volente probare quod ipsum non eiecit neque expulit in præfatis sex septimanis: Iudicium eo attento, quod iam actor desit esse hæres bonorum, & pecunias suas recipit ac de ipsis quietavit, extunc propiorẽ esse citatum ad iuramentum met septimum quod illum non expulit violenter in decursu præfatarum sex septimanarum.

Successor ad secundam citationem patris citatus, pro non administratione Iustitiæ, evadet pœnam, quam pater vivens persoluturus erat, iustitiam tamen sub pœna ministrare tenetur.

Debitum Chyrographo inscriptum cum pars citata allegat se huiusmodi debitum solvisse, affirmatque creditorem

post

post factam solutionem occultasse, seu retinuisse Chyrographum, volens partem citatam in damna redigere; in tali casu propior pars citata actoream euadere, præfatum debitum soluisse. Sed si quis aliquem citat simpliciter pro debito, probans debitum, vel summã pecuniariem Chyrographo in tali casu propior pars actorea admittit ad probandam.

Procurator in absentia sui principalis potest iuramentum in causa criminali à parte aduersa attentate.

TITVLVS IX.

DE APPELLATIONIBVS,

ac Formulis terminationis decretorum & processuum, causarum Officij & controuersiarum.

APpellatio, est motio ab inferioris Iudicis sententia ad superiorem, cui lege ea Jurisdictio est data. Vel Appellatio est Jurisdictionis inferioris Judicis per legittimam inuocationem superioris, hinc in eodem Judicio factam, suspensio.

Appellatio & motio differunt.

APpellatio verbotenus fit, ad quam requiritur, vt Judex eam suscipiat, concernitque partem litigantem, vt eam prosequatur, absentia Judicis non obstante. Et fit simplici verbo Appello.

Motio autem est Judicis redargutio ad quam requiritur, vt Judex eam suscipiat Terminusq; illi per Ministerialem assignatur: vt personaliter in superiori Judicio compareat: propterea, si approbatur illius sententia in superiori Judicio; pœna Koc trium marcarum à mouente illi persoluitur. Quam motionem si iudex non addmittit:

pars grauata proteſtatur de non admiſſa motione & grauamine contra Judicem, quod in iiſdem actis inſcribitur: concitaque Actor partem & Judicem motum ad proſequendam motionem.

Forma motionis.

QVod decretum prænominatus citatus (vel actor) ob non (ſcribatur ratio) pro iure non ſuſcepit, ſed ab eodem & cum eodem decreto Generoſum N. loci huius Capitaneum, vel N. judicem Terreſtrem N. ad Judicia Ordinaria Trib. Regni N. proximè celebranda mouit, terminumque idem proſequendæ huius motionis ſuæ & expurgandæ ſententiæ ipſius coram præfato Judicio Trib. Regni per Miniſterialem Regni generalem N. M. præfixit & aſignauit. Quam motionem prænominatus N. Capitaneus, vel Judex (hic ſcribatur ratio admiſſæ motionis ſi in terminatione appoſita fuerit) N. ſuſcepit, & termino illius detulit: vel etiam non ſuſcepit, nec termino eius detulit. Si detulit: ſcribendum. Et habent habebuntque partes prænominatæ terminum in iudiciis præfatis Trib. Regni N. proximè ab hinc celebrandis, dum cauſa præſens ad iudicandum ex Regeſtro cauſarum Palatinatus N. diſtrictuſque N. iuxta ordinationem N. M. controuerſias partium, decretum præſens motionem ab eo interpoſitam, terminiq̃ ſeruationem totumque huius cauſæ proceſſum & acta præſentia ſuo in tenore de præmiſſis latius ſonantia. Si non detulit: ſcribendum: De qua non admiſſa motione idem citatus, contra iudicium præſens proteſtatus eſt, Iudicium ſimiliter præſens reproteſtatum eſt ſe meritò & de iure eidem motioni non detuliſſe.

OBSERVATIONES.

Remedium contra non admiſſam motionem.

1. Inter-

1. Interpositionem motionis annotare actis.

2. Illicò protestare de grauaminæ contra iudicem appellationem siue motionem non admittentem, debetque hæc protestatio actis inscribi.

3. Adcitare ad prosequutionem motionis partem actoream & iudicem motum seu redargutum ad superius Tribunal, ad expurgandam suam sententiam.

4. Actor si non obstante motione protestatio neque & grauamine & extraditione adcitationis contra ipsum & iudicem motum, temerè vlterius, in sequentibus Judicis, vel instantiis, procedere voluerit non permittat citatus incontumatiam contra se procedere, nec in controuersiam nouam se immiscear, sed defendat sese litisque pendentiam, deducendo causam occupatam esse: in motioneque tametsi temerè admissa non sit; tamen eandem per adcitationes reuificatam esse petatque suspensionem vel supersedi ab vlteriori processu, ad decisionem motionis & cognitionis præiudicii. Est autem in qualibet instantia hoc faciendum etiamsi ad punctum bannitionis causa deduceretur. Si huiusmodi affectationem iudex amputauerit; à quolibet decreto solennes motiones & protestationes vt supra per omnia interponantur.

5. Coram iudicio probare motionem fuisse admissibilem, idque ex deductione grauaminis male iudicati.

Appellatio verbo tenus interponitur & simpliciter agitur concernitque partem litigantem: Ideo pars litigans appellationem prosequi debet & tenebitur, Judicis absentia non obstante à quo appellatum est.

Appellationem Judex à quo appellatum est non admittens in fauorem partis, præcipuè cum de negotio principali agitur, pro grauamine licitè conuenitur.

Citacio contra Judicem pro malè iudicato poni non potest vbi prius per motionem vel appellationem ab eius decreto prauocatum non fit: alias talis citatio, inualida erit, & pœna in tales: Citare verò Judicem, ad prosequendam motionem vel appellationem pars asseres se eius decreto grauatam esse, potest.

Quando Judex citatur pro grauamine & pars adhærens; datur iudici dilatio ad munimenta causæ necessaria ad duas septimanas. Decretum in Judicio Tribunal. Lublinensis Sabatho post Jacobi 1595.

Si Appellatio facta est à foro, & forum approbatur, vlterior processus decernitur.

Ad actum appellationis, pars vtraque suas debet porrigere controuersias intra triduum: controuersias partes subscribant. Judex autem vbi aliqua discordia mota fuerit, inter partes de controuersia discernet, & quomodo meminerit, controuersiam emendabit.

Si verò pars vna controuersiam porrexerit, & altera non, coram superiori Judicie; pars controuersiam non porrigens non admittitur ad causam, sed contra illum profertur decretum, licet apud inferiorem pro illo sententiarum fuit: beneficium enim hoc per negligentiam ammittit. Quandò verò ob aliquod impedimentum controuersia intra triduum ad Judicium non datur; per modum oblatæ solet induci ad acta quæcunq; facta protestatione de impedimẽtis: & sic succurritur causæ; Quod si pars vtraq; non porrexit controuersiam suam, superior Judex non potest decisionem suam facere, sed partes remittet ad iudicium illud vt ea in re experiantur denuo.

In actu motionis non tenetur Actor citato controversiam suam mvtare, nec è conversò.

Appellatio

Appellatio fieri potest etiam à parte decreti, quando sunt plures comparticipes litis, & vnus per sententiam Judicis liberatur: alter verò toto onere gravatur.

Si actor propterea, quia super vna habet totam rem iudicatam in decreto acquiescit, nec ab eo appellat; pars verò gravata appellat, postea verò per superius subsolium ad invenitur, quod vnus comparticeps non tenetur totũ onus portare, iam actor non poterit ad alium comparticipem causam dirigere, quandoquidem decretum transit in rem iudicatam.

Appellatio seu motio in exequutione rei iudicatæ locũ non habet sed officium Castrense tenetur perlucra exequi. Verum quando in exequutione infertur malè obtentum, & citatus à malè obtento appellat; concedenda est illi appellatio iuxta Const. 1588. fol. 39.

Si appellationem fuisse admissibilem Judicium supremæ instantiæ adinvenerit, subsequens processus iuris ruit, & cassatur.

Si verò talem appellationem invenerit non fuisse admissibilem, manebit processus in robore.

Si sententia Judicis approbatur, appellans 3. Marcas Iudici solvere tenetur, secundum statutum. Herb. 241.

Appellatione interposita, partes vtræque, controversias subscriptas, vel suis, vel Procuratorum manibus intra triduũ ad Acta porrigere debẽt: aliàs derogant causis suis.

In appellatione partibus debet præfigi terminus.

Judex ob non admissam Appellationem, non pro damnis ed ad prosequendam Appellationem citatur.

Reus movens ab accessorio, non potest invito Actore per adcitationes à motione recedere; Actor verò potest.

Appellans ab accessorio ad Tribunal, de principali ibi-

dem respondet. Si verò motionem faciens vlterius procedit in causa, prosequi eam motionem non potest.

Appellationes ab accessorio simplici non admittuntur, sed à peremptorio accessorio, & negotio principali in litis contestatione, atque à sententia accessoria fundationis iuris dictionis, vbi Iudex aliquem ratione districtus, personæ, privilegij, vel causam suæ iurisdictione minimè subiectam iudicare vellet, sunt liberæ. Ab alijs verò generaliter sententijs, interlocutorijs, & simplicibus accessorijs, ante sententiam diffinitivam pro latis, appellatio admitti non debet. Est autem simplex accessorium (iuxta Statutum) dilatoria exceptio, quæ tantùm perditionem termini, aut citationis libertatem impetrat. Peremptorium verò accessorium est in exceptionibus peremptorijs, & declinatorijs: nam in declinatorijs perimit Iudicem seu forum vt patet latius supra, sub titulo de Exceptionibus. Accessorium semel per Iudicium amputatum parti, amplius assumi non potest in subsidium prolongationis causæ suæ.

Non admittitur etiam Appellatio contra inscriptionem, nisi malè obtento obiecto, & in Privilegiatis causis: vt potè in exequutione rei iudicatæ, & ratione Thelonei; administrationis Justitiæ; pro redimendis bonis obligatis; pro obstaculis fluminum, pro contributione non soluta; à sententia Commissoriali: & in alijs casibus in Statuto expressis.

Post mortem Iudicis moti, non Iudex succedens, sed pars Actorea à parte citata quæ iam est Actor motionis debet adcitari, ad vigendam & audiendam sententiam, per Iudicem, mortuum latam retractari; aut si iustè lata fuerit cõseruari. Decret. Sigis. l. Crac. Anno 1536. Quod si pars Actorea motionis, quæ est pars citata Actorē causæ post

mortem

mortem Iudicis moti non adcitauerit; Actor cautæ non cadit in sua causa, sed Actori motionis, pars citata succumbit; & decernitur satisfactio cum additione Ministerialis, iuxta decretum, à quo motio facta est, quod iam transit in rem iudicatam, ob non prosequutionem motionis intra fatalia Iuri.

Appellatio nec motio admittitur, vbi post præstitum iuramentum decernitur satisfactio.

Decretum à quo non est appellatum transit in rem iudicatam.

Appellatio non admittitur, si quis sponte in inscriptione appellationi abrenunciauit.

Item à Iudicibus quos communis partium consensus elegerit, nemini appellare conuenit: intellige de Compromissariis.

In causa granicierum inter bona Regalia & Nobilium, per Commissarios facta, motio nihil obstabit ad diffimitādum, tam pertis quam Capitanei: iuxta Statut.

Appellatio parti actoreæ post admissam dilationem ad quietationem admitti non debet neque concedi.

Appellatio omnis à sententia Iudicis fieri debet, sed à condemnatione in lucro, vel à pœna contumatiæ loeum non habet. Nam qui se senserit iniustè condemnatum, agat iure competenti pro iniusta condemnatione.

Cum actor in vlteriori processu ad satisfaciendum partem concitabit, pars verò non approbando litis contestationem, imo excipiendo, metu tamen aliquorum lucrorum respondet: sub tuitione tamen Appellationis; respondendo ad obiecta ab illo decreto satisfaciendi, & à qualibet tandem instantia decreti appellare debet. Obtestandumque de grauamine sub tuitione Appellationis. Quod si id

facere

facere neglexerit succumbet secundum decretum, quod ei faerit, adiudicatam: nec illa prior Appellatio poterit eum quidquam iuuare. Et propter maiorem securitatem, circa quam libet instantiam Ministerialem propter protestationem de grauamine habere poterit: sub tuitione appellationis, appellationem tamen illam priorem non obmittendo, nec eandem, in qualibet instantia. Si omnibus instantiis decretorum appellauerit ab vltima, veronon, vel ab alia quauis instantia, tum iam in causa cadit. Cum semper posteriora ligent.

Actori semper concedenda est appellatio ad affectationem illius, qua concessa, iam in principali non obtinebit decretum in Tribunali, sed remmittitur: Si vero reus appellauerit, non remittitur: sed pro principali, causa illius dignoscitur.

Successores appellare possunt, licet antecessor appellationi abrenunciauit.

Ob quam partem stetit appellatio à iuramento, iam alteri parti iuramentum est decernendum. Cùm illa prior pars spreuit illo beneficio in prima instantia.

Qui in accessorio mouet, dat Koc, aliàs pœnam trium marcarum: etiamsi in principali pro eo sententia feratur.

Pars cum parte actor eum citato, potest terminum ex ludicis motione prouenientem limitare, sine ludicis moti cõsensu. Quoniam Iudex motus, cum ea parte pro qua tulit decretum, pro vna reputatur persona.

Formulam citationis ad prosequendam appellationem contra Judicem & partem adhærentem habes supra in formulis citationum ad Tribunal.

Forma terminationis decretorum & processuum causarum Officii Generalis.

POST

POST quamlibet condemnationem, necesse est inscribere sub quo Actu aliquit sit idque in citatione à plenipotente producta; diesque inscribi debet eo modo quemadmodum illo die scribitur in actis inscriptionum, vel relationum, & hoc propterea vt actus sint concordes: Exempli gratia Cracouiæ Feria secunda post Michaelis 1619.

Post quolibet decretum infra post inscriptionem actus scribatur, quis à quo, quod diligenter considerandum est, ne vnus pro altero scriberetur. Si personaliter citatus comparuerit scribendum. Citatus personaliter. Sed cum aliquando supterfugiunt plenipotentes, ne personaliter principales illorum scriberentur in actu, cum personaliter comparent: eam ob rem cum principali inscribendus est plenipotens.

Absoluta terminatione in fine scribendus est plenipotẽs qui citationem aut productum dedit, vt sciri possit cui reddi debeat, hoc modo.

N. dedit.

Terminatio processuum causarum Officii.

Contumatia.

Sic: Contumax.

A. Dedit.

Lucrum.

In lucro extraditionis Kmethonis &c.

B Dedit.

Astitio termini concitati.

Astitit, additur, remittur.

Et contra Capitaneum: Remittitur ad quemcunque Capitaneum viciniorem Capitaneatus N. eiusdem citati & inuenicti.

Astitio contra impossessionatum.

Astitit, additur, remittitur, vti contra impossessionatū.

Astitio indifferentur.

Astitit, additur, remittitur indifferenter. Si est citatus possessionatus tanquam contra possessionatum. Si autem impossessionatus, tanquam contra impossessionatum.

Astitio termini innotescentiæ brachii Regalis.

Astitit terminum innotescentiæ brachii; Regalis decernitur intromissio; interponuntur vadia triplicata.

Condemnatio inuadiis triplicatis.

Condemnatur in vadiis triplicatis: Rumatio decernitur; Vicesgerens A B. ad rumandum additur; vel quemcunque habere poterit: Si verò expresse additur Vicesgerens, subscribere debet præsidens.

Arestum.

Arestata per N. Inscribatur nomen eius qui arestat & ex parte cuius.

Condemnatio in euasione.

In euasione.

N. dedit.

Astitio termini facionati.

Astitit terminum primum facionatum aliàs *licowego roku*, iuxta relationem intro contentam per Ministerialem N. pro die hodierna præfixum.

Astitio termini querelæ secundæ pro exdiuisione.

Astitit terminum innotescentiæ querelæ secundæ. Decernitur diuisio seu intromissio, addūtur diuisores quos vtraq; pars conducere poterit, & Ministerialis quemcumq; pars Actorea habere poterit ad intromittendum, seu ad diuidendum; interponitur vadium primarium, centum viginti marcarum.

Terminatio processus & Decretorum Officii in causa violentæ expulsionū seu etiam ex diuisionis.

Com-

Condemnatio super Innotescentiam querelæ primæ.

Astitit terminum Innotescentiæ querelæ primæ.

Condemnatio super innotescentiam secundam.

Astitit terminum innotescentiæ querelæ secundæ. Reintromissio decernitur in bona expulsa. Ministerialis additur ad intromittendum: Vadium primarium Capitaneale interponitur.

Condemnatio super citationem pro vadio primario.

Condemnator in vadio primario.

Intromissio decernitur in bona expulsa & alia omnia citati, in vadio primario. Vadia triplicata interponuntur. Ministerialis additur.

Comdemnatio super citationem pro vadiis triplicatis.

Rumatio decernitur.

Vicesgerens additur.

Observationes Terminationum apud Judicium Terrestre.

Accipiens notarius citationem à parte, interrogat si pars pro non administratione iustitiæ citationem produxit aut videnda sunt verba in citatione quæ sic inscribi solent: Quia tu non vis administrare iustitiam. Nonnulli addunt. Quia tu existens multoties requisitus non vis administrare &c. Et legendum à dictione: pro eo, versum vnum vel duos: nam super eiusmodi citationes pro non administratione Justitiæ, per Ministerialem partes vocantur ex Regestro. Ideò in Terminatio scribitur: Contumax ex Regestro. Videndum etiam si non est secunda citatio, & legendum ab hoc verbo; Ad instantiam; si non est scriptum. Qui te citat secundò. A Ministeriali etiam quærendum si clamauit ad hanc citationem actorem. Si fuerint multæ personæ, in aliqua, citatione scriptæ; tunc generalitate aut cognomine, simili modo à subditis generaliter, vocentur. Videndum

in citatione si non sunt diuersæ propositiones, hoc est si nō est scriptum aliquoties proeo.

A Contumatia accipiantur duo grossi.

Terminandum: Contumax: post Contumatiam scribēdus plenipotens qui citationem dedit, aut is qui citationem dat.

Inter terminandum, quærendum, si ad minutam dat à qua grossi tres, & si sunt duæ propositiones tunc grossi 6.

Cum multæ sunt primæ citationes; in qualibet scribendū: Contumax & nomen Procuratoris.

Scriptio Terminorum.

Scribunt ad proximos terminos ab actore N. & à citato N. Aut ambæ partes personaliter, vel citatus personaliter: ab actore N.

Si sunt multi comparticipes, tunc scribendum. Ab actoribus. N. personaliter suo & aliorum comparticipum nominibus, & propterea cognoscendi tutores causarum sunt, & antequam cognoscantur, querendum, quis à quo.

Scriptio termini fit dupliciter, aut ad proximos terminos aut ad terminos per terminos post festum N. A. scriptione termini grossi duo Notario debentur.

Decretum administrationis Justitiæ.

Ab actore A. à citato N. aut personaliter; si qua pars est personaliter scribendum; nomine suo & aliorum comparticipum; quod generaliter obseruandum in terminatione vniuscuiusque decreti.

Administrabit sub pœna N. in N. septimanis: Ministerialis N. in defectu habent &c.

Animaduertendum de pœna, si prima citatio vel secunda sit, aut si fuerit iam sub pœna decretum aut non Secundo inquirendum de iustitia quando fieri debet, si enim de tem-

porę

pore partes non concordauerint, extunc Iudicium in duabus septimanis tenetur decernere & administrare iustitiã. Quis Ministerialis sciendum. Actor eligat Ministerialem cum quo pro administratione Justiæ proficiscere vult. Si verò actor citatum in pœna contumatiæ condemnaret, aut si primum decretum administrationis iustitiæ latum esset sub pœna; tunc secundum decretum terminari debet; administrabit denuo sub pœna, sub taxa, in sex septimanis; aliquando etiam scribitur Feria N. post festum N. & similiter sicut in primo decreto. Ministerialis &c. In defectu habent.

Si verò partes inter se concordiam fecerint, vel Actor nõ statuerit Ministerialem coram Judicio, aut relationem sufficientem Ministerialis non habuerit; vel etiam mortuus Ministerialis fuerit, vel cum partes in decretum administrationis Justitiæ non concordauerint, sic terminatur decretum. Denuò sub eadem pœna administrabit in 4. septimanis. Ministerialis N. &c. In defectu habebunt terminum: aut administrabit denuò sub eadem pœna in quinque cum eadem informatione. Quia &c. Scribenda informatio. Ministerialis &c. in defectu habebunt vel: Et habent.

Terminatio decreti in citatione producta ex qua terminus prouenit, scribitur.

Decretum visionis.

In primis scribendum, quis, à quo, vt supra.

Deinde terminatur sic: Visio in 6. septimanis &c. Ministerialis &c. Et habent; vel quando secundò decernitur, scribitur, denuò visio: vt supra.

Dilatio ad munimenta.

Quis à quo &c. sicut in superioribus; postea: Actori (aut) citato ad munimenta causæ necessaria.

Decretum iuramenti.

Probabit Actor solusmet, secundus vel tertius contenta citationis. Et habent. &c. hoc tamen attendendum. Quid probare vel euadere debeat, an super citationem an verò super aliquam aliam rem.

Decretum remissionis ad campum.

Quis, à quo vt supra. Remissæ sunt partes ad campum nemini actoreum adiudicando.

Aliud.

Remissi ad campum salvis defensis vtriq; reseruatis nec fando præiudicando partium.

Decretum iuramenti super ignorantiam in termino concitatorio.

Jurabit citatus in proximis, quia de citatione super quam condemnatus est in lucro quicquam nescivit.

Decretum pro maiori.

Datur dilatio Actori (vel) citato pro maiori ad proximos probaturus in proximis Actor (vel) citatus quia habet actionem in Judicio vel Officio N. pro maiori summa, Taxa pro N.

Additio Ministerialis ad pronunciandum iuramentum.

Additur N. Ministerialis actori ad pronunciandum iuramentum: & quoniam citatus personaliter dimisit actorem ex iuramento: Ideo idem citatus ex consensu actoris soluet in proximis luita pœna sub taxa, à qua pœna citatus liber ex dimissione actoris pro interesse eius. Et habet Post indultum citato iuramentum super veram infirmitatem; Ideo citatus vlterius procedat. Et in vlteriori processu datur dilatio citato ad munimenta causæ necessaria.

Decretum veræ infirmitatis.

Datur dilatio veræ infirmitatis, ad proximos in quibus probaturus est met secundus quod tunc temporis, dum sibi præfens terminus reponebatur vera infirmitate à Deo permissa

missa detentus fuit, Deo & sancta Christi passione, ita ipsum adiuuante cum suis testibus.

Decretum ad quietationem.

Datur dilutio ad quietationem producendam ex officio Castrensi Capitaneatus N. ad proximos. Et habent.

Decretum euasionis.

Quis à quo &c. Euadet citatus in proximis quia &c. Et habent.

Decretum statutionis Ministerialis.

Quis, à quo &c. Tenetur actor statuere Ministerialem qui citationem præsentem super citatum posuit.

Decretum competentis actionis.

Competenter agit. procedat.

Decretum competentis actoris.

Competens actor. procedat.

Decretum ordinatæ citationis.

Ordinata citatio, responde.

Relatio Ministerialis.

Et hic subinde personaliter comparens N. C. D. Prouidus N. publicè recognouit se feria. N. post N. proximè præterita, à citationem supra scriptam in curia bonorum villæ N. posuisse, positionemque eandem familiæ ibidem præuentæ de iuris forma publicasse & notificasse.

Decretum libertatis à termino.

Quis à quo &c. Quoniam non expressit actor in citatione sua situm (in exemplum) prati depabulati, liber citatus à termino; citet denuò debitè, si vult.

DECRETVM MOTIONIS.

Mouit N. citatus (vel) actor: Vel: Non delatum.

Controuersiæ ad partibus discorditer ad acticandum porrectæ.

OFFICIVM præsens videlicet A. B. paratum fuit cõ-

trouer-

trouersiam Nobilium N. Actoru & G. F. citati in causa in fraſcripta in Terminis N. feria N. celebratis agitatas in quā-bi fuiſſent concorditer ex vtraque parte cum ſubſcriptionibus partium porrectæ ſuſcipere, & in vnum actum ordine vſitato iuxta conſuetudinem in talibus obſeruari ſolitam inſcribere: Verum quoniam plenipotens eiuſdem N. Nobilis A. K. cum præfato M. ſuper eaſdam controuerſias conuenire non potuit: Ideò officium præſens eaſdem controuerſias partium corrigendo, animaduerſa affectione vel allegatione ex parte N. ſcripta, quæ in facie Officii verbotenus facta non erat, videlicet.

Vel immutatio in eo deſcribatur in quo partes diſcrepauerint, & abnoſcatur ab officio id quod reuera fuit.

Præfatus S. A. admonebat vt eandem deleret, ſed cum id facere recuſabat, ipſeque N. huiuſmodi controuerſiam ſuſcipere noluit; Ideo hos idem Officium facta proteſtatione contra eundem N.

Nominetur pars vel procurator eius qui diſcrepauerit & noluerit ac quieſcere in correctura Officii.

Eaſdem vtraſq; controuerſias ab ambabus partibus diſcorditer ſibi oblatas, non ordinario ſolito ſed quilibet de verbo ad verbum prout à quolibet ipſorum porrecta eſt in acta Caſtrenſia C C D. quæ nemini denegari debent, inſcribere admiſit: poſt actacationemque præmiſſorum decreta officii ſui & motiones à parte N. interpoſitas annotare demandauit.

SCRIBATVR *huiuſmodi Titulus.*

Sequitur controuerſia ex parte Actoris porrecta tenoris huiuſmodi.

DEINDE *maiori litera ſimiliter.*

Tandem ſequitur controuerſia ex parte Citati porrecta.

DEMVM

DEMVM *ita scribatur.*

Super quas controuersias suprainsertas, decreta Officii præsentis prolata fuut huiusmodi.

Primum decretum.

Et Officium præsens C. C. N. partium prænominatarum actoreæ per Nob. N. Citatæ vero per N. coram se comparentium controuersia exaudita & intellecta eo attento ex quo &c.

Secundum decretum.

Tertium decretum.

Forma scribendarum motionum.

Quod decretum prænominatus N. pro iure non suscepit sed cum eodem Generosum N. ad Judicia Generalia Ordinaria Tribunalis Regni Lublini (vel) Petricouiæ celebranda mouit, terminumque prosequendæ motionis suæ & expurgandæ sententiæ, ipsis coram eodem Judicio præfato Tribunali, per Ministerialem N. præfixit & assignauit. Quam motionem Officium præsens eidem.

Hic scribatur ratio admissæ motionis si in terminatione apposita fuit.

Admisit & termino illius detullit. Habebunt itaque partes prænominatæ coram Judicio Tribunali præfato proximè celebrando terminum post elapsas sex septimanas vel tum dum causa ex Regestro Palatinatus N. ad iudicandum inciderit, iuxta actoreæ partis citationem, controuersias suas, Decretum præsens, motionem ab eo interpositam, termini conseruationem & acta.

Formæ non admissæ motionis & protestationis partis cum reprotestatione officii.

Quam motionem officium vel Judicium ex eo non admittit: Quod &c.

Hic scribatur ratio in terminatione apposita. Tandem pro-

testationes infrascriptæ si fuerint annotatæ scribatur ita.

De cuius motionis no admissione ratione grauaminis.

Si interminatione fuerit scribatur.

Et ratione damnorum prænominatus N. contra officium præsens protestatus est. Officium similitor reprotestatum est, se ex rationibus supra recensitis, legitime, eidem motioni non detulisse.

Quod si motio indifferenter interposita fuerit videlicet ad alia Judicia Tribunalia, vel ad sacram Regiam Maiestatem vel post Curiam, siue ad Conuentum Regni Generalem, vel inordinatè aliqua pars mouerit; loco Judicii Tribunalis scribendũ.

AD S. R. Maiestatem vbi tunc cum curia feliciter constituta fuerit.

Seu è contra si vtroq; modo prouocauerit: vel per viam motionis & appellationis: similiter si ad Iuditia Tribunalitia ex Palatinatu, inter causas Officii motio interposita fuerit; conformabitur allicatio term nationi.

TITVLVS X.

DE PRÆSCRIPTIONIBVS.

Quoniam præscriptionibus eliduntur actiones, magnusque earum est vsus: ea propter de iis quoque dispiciamus.

Est autem præscriptio, rei ad se aliquo iure pertinentis, neglectio.

Præscriptionis & fataliorum ea est differentia.

Præscriptio intelligi debet tempus agendi prætermissum tàm iniustitiæ quàm causæ cuiusuis, quæ Statuto Regni est circum scripta, cuiusuis personæ in iure agentis, vtriusque sexus & conditionis hominibus. Admissa verò præscriptione,

ptione, taciturnitas agendi iuridicè interdicitur.

Fatalia iuridicè intelliguntur, si quis citans, vel intentã Actionem alicui, in iure quocunque non prosequitur, & non continuat actionem, vel causam incæptam cum parte citata intra annum & sex septimanas; actionem illam fataliis amittit, & sic de aliis.

OBSERVATIONES.

Præscriptionem obiciens & non probans, vel quam Actor comprobauerit non præteriisse; succumbit in causa; quia factum agnoscere videtur: taliſq; exceptio reputatur esse peremptoria; quia post eam exceptiones euasoriæ & literatoriæ nodantur: fataliorum autem & euasionis exceptio nihil obest citato: quoniam illa tantum processum non autem causam tangit.

Si quis aliam personam, credens eam esse verum hæredem pro aliqua re citauerit; per decretumq; competitur cũ alio verò hærede eum agere debere de quo actio reseruatur; ille verus hæres præscriptione se tutori non potest quoniam præscriptio propter pigritiam agentis est instituta, quæ in actore non elucet.

Præscriptiones in causis.

Præscriptiones tempore pacis & concordiæ vendicant sibi locum: tempore autem guerrarum, seu discordiarum nullatenus sibi locum debeant vendicare Herb. 187.

Captiuis per Tartaros non currit præscriptio. Herb. ibidem.

Ciues aut mercatores debita in Regestris scripta, repetant intra triennium: aliàs præscribunt, & Reum in proprio foro conueniant Herb. fol. 156.

Kmethonem profugum Dominus intra annum non repetens præscribit: nisi iurauerit se de eo nesciuisse. Herb. fol. 142.

Mulier maritata ratione dotis, vel alio quocunque modo credens se ius aliquod habere ad aliquam hæreditatem, si intra decennium tempore pacis pro illa non agit, perpetuo ab illa cadit. Herb. fol. 187.

Vidua dotem, vel propinquitatem intra sexenniũ non repetens, præscribit. Herb. fol. 187.

Virgo post dospõsationem intra triennium & trimestre, contra tutorem, pro hæreditate, vel pecunia non agens, præscribit. Herb. fol. 291.

Moniales à professione religionis suæ ad 20. annos bona quælibet repetere possunt; aliâ præscribunt. Herb. fol. 161.

Mulier de violentia sibi illata intra triduum conqueratur, & clamorem exciet, alioquin illic cuadit, & ipsa pœnas calumniæ dabit. Herb. fol. 292.

Præscriptio recentis criminis annus & sex septimanæ. Herb. fol. 188.

Fratres & consanguinei vtriusque sexus in suis hæreditatibus ab inuicem per tres annos & tres menses manentes, licet diuisio ad Magistratus noticiam non peruenerit, tantùm per amicos facta fuerit: & si tempore triennali (nisi legittima causa præscriptionis legitime allegaretur) non fuerint ad Iudicium tracti, diuisionem illam perpetuò obtineant. Herb. fol. 80.

Minorennes non præscribunt; donec ad annos discretionis peruenerint. Herb. fol. 159.

In vna Parochia vel districtu consistentes intra anni decursum, pro furto, vel latrocinio agere possunt contra se: aliâs si postannum quæstio mota fuerit, accusato per testes expurgatio incumbit. Pro equis autem & iumentis intra biennium agant, alioquin post biennium sine testibus agere non poterint. Herb. fol. 188.

Emptor

Emptor hæreditatis triennio & trimestri contra propinquos & creditores præscribit. Herb. fol. 188.

Venditor hæreditatis uocatis vicinis, limites emptori ostendat, eumque tribus annis totidemque mensibus tueatur, quo tempore elapso, emptor impetitus, ad probationē admittitur cum testibus & præscriptione iuuabitur. Herb. fol. 287.

Fide iussiones verbotenus factæ, per vnum annum & sex septimanas robur habent: nisi sint ad acta recognitæ. Herb. fol. 31.

Præscriptio agendi pro capite triennio terminatur. Const. 88 fol. 31.

Præscriptio vulnerum triennalis esto. Ibidem.

Propinquitas omnis nisi intra triennium & trimestre repetatur, præscribit. Herb. fol. 188.

Seps duobus annis præscribit in vicini fundo posita; Domino fundi tacente. Herb. fol. 241.

Frumenti mutuati præscriptio quatuor annorum: ad eundem modum, & aliorum, quæ pondere, numero, & mensura constituuntur. Herb. fol. 101.

Inscriptiones Castrenses ad acta non perpetua factæ vnius anni robur habent. Herb. fol. 374.

Actor intra annum post condemnationem, vel post lapsum terminum non adcitans causa cadit, præsertim non silentibus iuribus. Herb. fol. 4.

Bona dotis nomine obligata, vel ex decreto iudicii, in possessionem data, & ea quæ in vim rēptionis inscripta sūt, semper redemptioni obnoxia sunto, præscriptione etiam longissimi temporis interueniente. Const. 1588. fol. 30.

Præscriptio sub interregno non currit. Const. 156. fol. 120.

Bonorum obligatorum obligationis & non redemptionis

nis triginta annorum est. Rumpiturq; protestatione singulis annis repetita: quæ si per annos quindecim intermittatur, præscriptio terminatur. Herb. fol. 189.

Liceat tamen contractus, singulo quinquennio vel decennio renouare. Herb. fol. 173.

De literis super bona Regalia amissis intra annum non protestans coram Palatino vel Capitaneo, anno elapso non obtinebit illorum renouationem. Herb. fol. 150.

Equi commodati & læsi duæ septimanæ ad seruandum vt conualescat. Herb. 90.

Contractus venditionis etiam pretio integrè non numerato, trium annorum totidemq; mensium silentio firmatur. Herb. fol. 187.

Pupillis quorum bona tutores alienarunt præscriptio nocere non potest. Herb. fol. 222.

Contra tutores pro facienda ratione intra triennium & trimestre non agens, perpetuò agere non potest.

Per lucra obtenta non continuans, elapsis tribus annis, & mensibus, desertantur.

Recuperanti possessionem, seu agenti pro violenta expulsione bonorum immobilū vnus annus & sex septimanæ.

Agendi pro damnis ex violenta expulsione sequutis & pro rebus mobilibus circa eandem receptis, vnus annus, & sex septimanæ.

Depositum nullam habet præscriptionem.

Inscriptio conditionalis non exemendi aliquem ex bonis obligatis ad certum tempus; non causat præscriptionē, nisi post expiratam conditionem. Similiter renouata per acceptationem pecuniæ.

Præscriptio non currit in granicierum renouatione, & nō ad aliud prodest, nisi ad roborandum scrupulos.

Granicc-

Granicierum & scopulorum biennalis est præscriptio, vt sepis & ageris, alii putant esse triennalem.

Præscriptio non nisi inter alienas personas, non autem inter parsius habentes locum habet.

Præscriptione rem petitam non amisisse, Actor suo cõprobat iuramento, postquam satisfactio decernitur quia citatus præscriptionem opponens pro confesso reputatur.

Translapsus terminus reiteratur per adcitationem intra anni, & sex septimanarum decursum.

Criminalium causarum vnus annus, & sex septimanæ.

Prosequutionis appellationem quàmuis non admissam, & post mortem ad appellationẽ prosequendam adcitationis, nus annus & sex septimanæ.

Adcitandi post mortem litigantium, vnus annus & sex septimanæ.

Pro male optento processu agendi, vnus annus, & sex septimanæ.

Coactione interueniente, nulla currit præscriptio.

Priuilegio si quis non vtitur per triennium, illud amittit. Jure enim communi abusus Priuilegii, tollit semper Priuilegium, vbi præscriptio non est prouisa per contrahentem: & vbi in illo Priuilegio de nulla præscriptione mentio facta fuit.

Cum alicui violentia facta fuerit circa inuasionem domus, vel dispercussionem stratæ publicæ, & in aliis quæ tãgunt violentiam; tunc ille, cui violentia est factam, ante decursum vnius anni, currentæ præscriptione, debet intentare parti actionem in iure Castrensi pro tali iniuria: aliàs elapso anno, hoc est præscriptione Castrensi, iam non erit Articulus Castrensis, sed Terrestris, propter elapsam præscriptionem Castrensem.

TIT V.

TITVLVS XI.
DE POENIS

POENÆ PECVNIARIÆ.

Groſsorum, Scotorum, & Fortonum. Scotus valoris 2. groſsor. Ferto. 12.

SEmina aliena iumentis maioribus vel pecoribus depaſcẽs, à quolibet groſſum vnum ſoluere debet. Herb. fol. 178.

Propagines, vel plantas, minutas in Gaio alterius excidens, quatuor ſcotos ſoluit, idem de quercubus aquaticis. Herb. fol. 220.

Pro quercu mericarum, vulgo Dambrovvá duos ſcotos quilibet perſoluat. Herb. ibidem.

Qui non præuentus acceperit quercum in ſylua aliena, pro qualibet quercu ſex ſcotos, pro tribus tres fertones, cum pœna trium marcarum & Juditio totidem. Herb. ibi.

In ſylua aliena ligna incidens, primo ſecuri, ſecundo pallio, tertio bobus, vel equis pignoratur ſine pœna. Si boues vel equos accipiet, vnum pro ſe retinebit, reliquos ad fideiuſſionem dabit, & ſignum in arbore vbi impignorauit facere tenetur. Herb. ibidem.

Pro quatuor bobus violenter receptis facta proteſtatione prius, ſcoti quatuor pro labore retento ſingulis ſeptimanis ſolui debent, cum pœna 3. Marc. parti & Judicio totidem Herb. folio 29.

Actor ſi citatio faerit ſigno adulterino obſignata, titulus, nomen Actoris vel Rei omiſſum, ſoluendo 6. Scotos parti & Juditio totidem, ex eadem citatione, inſufficientia non obſtante, citatus tenebitur reſpondere. Herb. fol. 199.

Camerarii

Camerarii sententiam redarguens 6. scotos illi propœna soluit, si iniustè arguit, antequam ad aliquam audientiam admittatur. fol. 168.

Tabernator in fertonibus duobus ponitur, si monetam regalem pro victualibus non recipit. Her. fol. 162.

Subiudicis sententiam iniusto redarguens 3. fertones, antequam audiatur soluat. Herb. fol. 241.

Manifestans secum malo procuratorio in Judicio Castrēsi, procurator ipse & non suus principalis scotos 6. soluet. Herb. fol. 208.

Pro exfideiussione pecoris ex foresta Regia soluitur vnus ferto. Herb. fol. 179.

Arborem fructiferam seu pomiferam excindens, gross. 12. cum pœna 3. Marc. soluet. Herb. fol. 220. & 10.

Arbores pretiosas taxum vel vbi sunt paucæ syluæ incidens, capitur, & ad fideiussionem assignatur. Herb. fol. 241.

POENAE MARCARVM 1. 3. 4. 6. 10. 14.

Arborem cum apibus excidens Marcam 1. parti & Judicio totidem soluit. Herb. fol. 9.

Arborem ad apes valentem mediam Marcam parti Judicio totidem. Herb. ibid.

Damnum inferrens iumentis indomitis conuictus refundit damnum cum pœna Marcarum. 1. Herb. fol. 136.

Qui non transfert inscriptionem suam Castrensem ad acta Terrestria intra annum, pœna 3. Marcarum parti, & Judicio totidem punitur: quæ quindecim vocatur. H. fo. 116.

Seruos illiberos & fugitiuos, si quis detineat, neque illos in proxima Curia Regali denunciat, luat pœnam 3. Marcarum. Herb. 243.

Ciues prohibitionem vendendi, & emendi facientes, pœna trium Marcarum per Capitaneum loci puniantur. Herb. folio. 95.

Cum strepitu aliquis ad locum iudiciorum veniens, pœna trium Marc. punitur. Herb. fol. 129.

Si quis ponendo se in mensa Judicium inhonorauerit, pœna trium Marcarum punitur. Herb. ibidem.

Non permittitur quisquam ad Judicium venire, sub pœna trium Marcarũ, excepta citationis petendæ causa, vel de speciali mandato Judicis. Herb. ibidem.

Judex semel deliberet sub pœna 3. Marcarum. Herb. f. 77

Judicem iniuste redarguens, tres Marcas soluet. Her. f. 241

Notarius vltra assignationem salarii aliquem depactans, id quod iniuste extorsit reddere tenetur, cum pœna 3. Marc. in qua peremptorie debet condemnari, & satisfacere victori, sub pœna 14. Marcarum. Herb. fol. 228.

Exactores, spizae ab hominibus exigentes pœna 3. Marc. puniuntur: quod si impossessionati fuerint, à Proconsule, vel Burgrabiis arestentur, donec accepta restituant. Herb. folio. 260.

Coram Archiepiscopo turpia verba proferiens, pœna 3. Marcarum ponitur. Herb. folio 105.

Quercum ad axem valentem in bonis alterius excidens, vel de minoribus lignis curium impleus, soluet pœnam 3. Marc. Herb. fol. 220.

Qui pro debito in ludo taxillorum contracto alicui ob non solutionem improperauerit; pro qualibet vice, quoties id fecerit pœnam 3. Mar. & totidem Judicio soluet. Herb. folio 152.

Causam calumnioſam procurans, calumniato se purganti soluet pœnam 3. Marc. & Judicio totidem. Herb. fol. 30.

Qui procurauerit absque legitimo Actore pœnam 3. Marcarum soluet. Herb. fol. 4.

Malum procuratorium offerens, Judicio Terrestri pœnã

3. Marca-

3. Marcarum Castrensi 6. scotos soluit. Herbult fol. 208.

Frumentorum noctarni fures, si deprehenduntur, equos & omnia quæ secum habent perdent, in remissa impune occidi possunt. Si verò illi defensorem vulnerauerint, vel interfecerint soluant, dominus vero de cuius fundo exiuerint, in pœnatrium Marc. Regi condemnetur. Herb. 101.

Dominus adquem fugerit cum scultreto vel Kmethone ius Polonicum dicat sub pœna XV. quæ est trium Marcarum. Herb. 249.

Kmethones in Ciuitatibus non arestentur, sub pœna trium Marcarum parti & Judicio totidem, per Capitaneum loci exigenda. Herb. 11.

A dissectione cuiuslibet scopuli angularis 3. Marc. Actori ab aliis vero metalibus per 6. Scotos, Nihilominus dissector restaurare debet dissectos scopulos, suo sumptu, post auisationem sui per Ministarialem & Nobiles factam in octo septimanis, sub pœna 14 Marcarum parti, & Judicio totidem: quæ soluta in aliis octo septimanis sub simili pœna; & sic quoties opus fuerit, vsque ad constitutionem limitum Herb. fol. 250.

Similiter punitur qui in aliena hæreditate inofficiosè scopulos erigit. Ibidem.

Alienos agros violenter seminans, semine caret, & trium Marcarum pœnam soluit. Herbult folio.

Frumentum demessam in die accipiens, damnum passo 3. Marc. Judicio vero Marcas 6. soluere tenetur, Si verò noctu receptum sit, furtum est. Herb. fol. 101.

Currum fœni vi accipiens, damnum passo 3 scotos, cum pœna 3. Marcarum, & similem Judicio soluet. Herb. fol. 93.

Pro debito inscripto citatus non soluens, sed intromissionem dans, cum triplici pœna 3. Marc. id facit. Herb. fol. 71.

Propriam rem auferens violenter, iure quæsitus, cum pœna trium Marcarum parti & Judicio totidem illam restituit. Herb. fol. 292.

Pro quatuor bobus violenter receptis, pro qualibet septimana quatuor scotos, cum pœna trium Marcarum parti, & Judicio totidem soluit. Herb. fol. 29.

Vulnerans Kmethonem cruente, Marc. 1. soluit. Domino autem ipsius itidem 1 Marc. soluit. Si verò vulnerans & vulneratus duorum Dominorum sint, Marca. pœnalis inter eos diuidatur. Herb. fol. 206. Pro liuido, scotos sex. ibid.

Sed nunc vulnera Plebeiorum in duplo solui statutum est Constit. Anni, 1581. Steph. Regis.

Feram actam, aut canem violenter accipiens talis 3. Marc. pro pœna, & alias tres Marcas, illi, cuius fera fuit soluere sit astrictus. Herb. fol. 94.

Poledrum primi anni interficiens 3. Marc. poledrum secundi anni 5. Marc. tertii verò, quarti, aut quinti, iuxta quod damnum passus iurauerit citatus soluet. Herb. fol. 64.

Non sunt venandi lepores à festo S. Adalberti, vsque ad collectionem frugum, sub pœna. 3. Marc. Herb. fol. 148.

In citatione ad conuentionem scripta, sexta dies Conuẽtus pro termino assignanda, sub pœna 3. Marc Herb. fol. 39.

Citatus verbali citatione, aliàs tactus, si recedit à iure, debet condemnari in lucro, pro quo tactus est. Sed si pro pœna tactus fuerit, & recedet non satisfaciendo pro pœna; extunc aliam pœnam succumbet: videlicet 3. Marc. Iudicio & parti totidem: pro qua statim debet condemnari in perlucro. Herb. fol. 46.

Arborem fructiferam, seu pomiferam excidens, grossos duodecem, cum pœna 3. Marc. soluet. Herb. fol. 220.

Citationem super citationem ponens, pro vna re, luendo

pœnam 3.

pœnam 3 Marc. parti & Judicio totidem, citationem vnam destruat. Herb. fol. 45.

Pro vadio citatus, si ante vadium offert se satisfacturum pro re principali ibidem in instanti; tunc cum pœna trium Marcarum id faciet. Alias in vadio succumbet, & satisfactio in duabus septimanis pro vtraque summa decernitur.

Dum aliquis aliquem condemnat iniustè, condemnatus arestabit condemnationem in actis. Et citatus debet condemnationem describere ex actis, cum pœna 3 Marc. Sed si condemnatus non arestauerit condemnationem, tunc sine pœna. Herb. fol. 84.

Si quis defectus est in citatione, vel in concitatione, succumbens pœnam trium Marcarum persoluet, & denuo citare debet. Herb. fol. 45.

Citationem Regiam cancellatam producens pœnam trium Marcarum luat P. 48.

Olim à creditoribus similibus à singulis soluebatur pœna trium Marcarum, si citatus non resultauit: à dissimilibus 6. scoti Herb. fol. 47.

Qui modum pignorandi excedit cum pœna trium Marcarum damnum resarcire debet. Herb. fol. 181.

Qui præsidente Judicio aliquem dehonestauerit, pœna trium Marcarum punitur. Herb. fol. 129.

Sine certo actore nemo agat, neque procuret sub pœna trium Marcarum. Herb fol. 4.

Ciues in foro neminem prohibeant, quo minus tardius vendat, aut emat, sub pœna trium Marcarum per Capitaneũ exigenda. Herb. 95.

Judicium Castrense semel tantum deliberet, officium verò ad quindenam sub pœna trium Marcarum, vbi libuerit, iniuriam passo repetenda. Herb. fol. 77.

4. *Marcarum pœna.*

Jumentum in domitum occidens, 4. Marc. Lædens verò in dorsum Marcam vnam cum dimidia soluere tenetur. Herb. folio 136.

6. *Marcarum pœnæ.*

Arguens sententiam Succamerarij iniustè pœna, 6. Marc: antequam ad aliquam audientiam admittatur soluet. Herb. folio 268.

Pecus in damno abactum, si quis ad tertiam diem ad forestam Regiam non dederit, & arestatum apud eum fuerit, citatus ad Castrum, illud restituat, cum pœna trium Marcarũ Herbult 178.

Pecora propter damnum abacta ad fideiussoriam dentur, si verò de tentor noluerit, monitus per Ministerialem & duos Nobiles, citetur ad Iudicium Castrense, & soluta pœna trium Marcarum det ad fideiossoriam. Herb. 179.

Frumentum demessum in die accipiens ex fundo alieno; Judicio pœnam 6. Marcar. damnum vero passo pœnam 3. Marcar. pro vna cassula cuiuscunque grani persoluet. Herb. Folio 191.

Plantas insertas & radicatas nemo euellere debet; etiam si sint eius propriæ, sed medietatem illarum relinquere debet in solo, sub pœna sex Marcarum. Herb. Fol. 10.

Profugi ab omnibus præfectis restituantur sub pœna 6. Marcarum. Herb. 138.

10. *Marcarum pœnæ.*

Si moneta Regia bracteata in Ciuitate aliqua pro quibuscunque rebus, siue in hospitiis, siue in foro non reciperetur; pro primis tribus excessibus singulatim transgressor soluet 10. Marcas, pro quarto 30. Marc. fisco Regio applicandas. Herb. folio 162.

Catulos

Catulos vulpium nemo ex nidis tollere audeat, apud quē verò reperti fuerint, pœna 10. Marc. puniatur, & catuli in syluas liberè dimitti debeant, Herb. folio.

Incendens syluam alicui, si fuerit Kmetho & non est soluendo. vitam saltem decem Marc. redimat. Herb. Folio 113. Et Jus Polonicum, cum talibus ministretur.

14 MARCARVM POENAE, ALIAS SIEDMNADZIESTA 20 & 28. MARC.

Pœna 14. Marcarum in quatuor Casibus Cameræ Regiæ applicatur. 1. Cum accusatus pro incendio, se legitimè nō expurgat. 2. vbi aliquis de violatione & spolio stratæ publicæ accusatus in expurgatione defixit. 3. Vbi quis coram Judicio gladium vibrare præsumat. 4. Cum aliquis condemnatus, & iussus satisfacere, aut fideiussoriam cautionem dare contumaciter discesserit, non præstita cautione. Herbult. folio 114.

Factores spiritualium & sæcularium, per terram & aquā cum mercibus euntes, inuent illas merces non esse lucri gratia emptas, sed proprii laboris & domesticas, quo facto absq; Thelonei solutione dimittantur, quod iuramentum Theloneatores obseruent sub pœna Regali. Herb. 93.

Nemo ad coemendos equos & vinum in Hungariam, tat, quod Capitanei & Theloneatores animaduertant sub pœna 14. Marc. Const. 1598. fol. 100.

Literas suspectas producens, in proximis terminis eas cū actis conferat, quod si non conuenerit, cum sex testibus ex decem octo eligendis euadet, quod iuste & legitime eas obtinuerit. Si verò cum Actis conuenerint, obiiciens falsitatem in quatuor decem Marcis parti & in tribus, Judicio cōdemnatur. Herb. folio 150.

In termino concitatorio ab astitione terminī, additione

Ministe-

Ministerialis, & remissione, tantum grossi quinque exigantur, sub pœna 14. Marc. parti & Regi totidem. Herb. fol. 227

Mechanici transgressores ordinationem Palatini, Pœna 14. Marca. à Consulibus Ciuitatis suæ puniendi Palatino applicandam & soluendam. Herb. fol. 176.

Castellanus in expeditione bellica damnitatores puniat; aliâs ipse damnum refarciet, & pœnam Regiam 14 Marcarum soluet. Herb. fol. 36.

Ad limites cum bonis Regalibus Capitaneus venire tenetur sub pœna duplici 14. Marc. Cuius medietas Regi & altera parti grauatæ cedet: Herb. fol. 34.

Portam pixidem impletam debet eam dare cum pœna 14. Marc. Rebellis autem citatus pœna duplici 14. Marc. punitur. Herb. fol. 182.

Prohibens vectoribus sal minutum polonicum vendere, vel vehere, pœna 14. Marc; punitur per Capitaneum. Herb. folio 238.

Pœna contra Succamerarium transponentem diem limitationis publicatam, 14 Marc. Herb. fol. 265.

Si etiam partibus terminum prorogat nisi consentiant, aut causa subsit huic pœnæ subiacet. Herb. 268.

Judex, Subiudex, Notarius, Judicijs interesse tenentur sub pœna 14 Marc. infirmitate, vel negotijs Reipublicæ exceptis. Herb. Folio 126.

Judex pro damnis ex officio non citetur sub pœna dublici quatuordecem Marcarum nisi ad prosequendam Const: 1588. fol. 57.

Præter Regiam & officii causam (quæ districtum non habet) nemo alium de districtu euocet sub pœna 14. Marcarum. Herb. 91.

Sale externo nemo vtatur sub pœna 14. Marc. Herb. 237.

Qui

Qui præsidente Judicio gladium extrahit, licet non vulnerat; qui vero vulnerat in gratia Regis existit Ibid. pœna 14. Marcarum punitur. Herb. fol. 129.

Severius hæc lex sancita à Rege Alberto. Herb. fol. 127. Vt cum armis ad Judicium veniens pœnam 14. Marc. gladium extrahens pœnam 60. Marcar. puniatur, vulnerans, collo privetur.

Actor vulnera, vel caput non probans pœnam 14. Marcarum. Judicio & parti 3. Marcarum soluit. Herb. fol. 330.

Nullus Judex inhibitiones suscipere debet sub pœna 14. Marc. & qui tulerit, similem pœnam luet. Exceptis personis in seruitio Reipublicæ constitutis, quibus literæ inhibitionis à Rege dabuntur. Herb. folio 114.

Pro incendio accusatus si se expurgare non poterit, pœnam quatuordecem Marcarum fisco luat. Herb. 114.

Notarius depactans, si pro pœna 3. Marcarum statim non satisfecerit, Pœnam 14. Marcarum incurrit. Herb. fol. 228.

Theloneator iniquè theloneum extorquens, sive per se, sive per alium, in omni Judicio peremptorie respondet; & convictus quod recepit, cum pœna 14 Marcarum parti, & Judicio trium restituere tenetur. Herb. fol. 274.

Notarius quoq; Thelonej à quietationibus nihil exigat sub pœna iniq; exacti Thelonei coram Judicio Tribunalis vel alio quocunq; exigenda. Const. 1588. fol. 58.

Visionem nemo cum maiori comitatu peragat quam decem personarum sub pœna duplici quatuordecem Marcarum. Constit. 1588. fol. 58.

In pro gressu bellico damnum spirituali inferens, pœna 14. Marc: punitur, cum restartione rerum & damnorum per Juramentum Actoris solius. Herb. fol. 17.

Extrahens gladium coram Archiepiscopo, seu vulnerans,

seu non pœna 14. Marcarum punitur. Herbult folio 105.

Fraternitates Mechanicorum in Ciuitatibus prohibentur: sub pœna 14. Marc. Herb. Folio 100.

Kmethones profugi Nobilium sub pœna 14. Marc. restituí debent. Herb. folio.

Ciues Jus Polonicum pro vulneribus & homicidio locare debent, sub pœna 14. Marcarum. Herb. fol. 112.

Ciues prohibentur seruare vagos, qui annuo seruitio nõ obligantur, vel aliquod opificium non exercent, & literas missionis suæ, à Dominis suis non habent sub pœna 14. Marcarum. Herb. folio 285.

Ad Judicium Tribunalis Regni si quis temerè introierit, nec monitus exiuerit, vel clamores in domo Judicij excitauerit, pœna duplici 14. Marcarum puniatur, illicò sub simili alia numeranda. Const. 1578. fol. 184.

Ceruisiam Wratislauiensem nemo in Regnum inferat, vel propinet sub pœna 14. Marcarum per Capitaneum exigenda. Const. 1578. fol. 130.

Bidgostienses non debent impedire Nobiles in libera frumentorum venditione sub pœna 14. Marc. Herb. fol. 100.

Kmetho externo sale vtens, pœnam 14. Marcarum soluet. Herb. folio 237.

Dissector scopulorum, officium Succamerarij post auisationem per Ministerialem & Nobiles factam in octo septimanis ad restituendos scopulos suo sumptu educere tenetur, sub pœna 14. Marc. si neglexerit sub simili pœna, in aliis octo septimanis, toties quoties neglexerit id complere compellitur. Herb. fol. 250.

Pro membrana Terrestri Notarius, tantum medium grossum accipere debet, sub pœna 14. Marc. folio 228.

Citatus quando a Judicio rebelliter discedit, non satisfa-

ciens pro re lucrata actori, in pœna 14. Marcarum condemnatur, ac contra ipsum proceditur in exequutione. Herb. folio 200.

Qui citasset Commissarios vel Judicium, vel officium, iniustè, convictus in instanti, singulis seorsim pœnam bis 14 Marcarum soluit: similiter & parti; si citabitur. Herb. fol. 52. & Constitut: 1556.

Quicunque in Conuentibus rixas faciens gladium evaginauerit, pœna Marcarum 20. puniatur. Si vulnerauerit pœna statuti antea promulgati. Si aliquem occiderit capitis pœna puniatur. Herbult. folio 51.

Sæcularis spiritualem pro re merè seculari citans, aut actioni suæ personæ spirituali cedens, pœna 28. Marcar. puniatur. Herb. folio 67.

Capitaneus si ad limites vocatus non venerit, pœna viginti octo marcarum puniatur, cuius medietas Regi, reliquum parti debetur. Herb. 34.

POENAE MARCARVM. 20. 30. 50. & 60.

Qui turbat Conuentum sine vulnere pœna viginti marcarum; cum vulnere pœna Statuti; cum homicidio pœna capitis puniatur. Herbalt. 51.

Senatores nisi ad Conuentus particulares veniant, vel se in eisdem Conuentibus iustè excusent, Episcopi 40. Palatini & maiores Castellani 20. minores verò Castellani 10. Marcis; fisco Regio mulctentur. Herb. 52.

Nobilis Kmethonem occidens 30. Marcas soluit, quorum medietas Domino occisi, alia pueris cedat: sed Plebeius Plebeium occidens capite plectitur. Const. 1581 fol. 213.

Nobilis Nobilem asserens esse filium meretricis si id statim non revocat pœna 60. Marcarum punitur, Revocando, debet dicere quod locutus sum, mentitus sum sicut canis. Herb. folio 167.

Ad locum Judicij Tribunalis accedens cum bombarda, vel armis pro hibitis, & obambulans præter. Miecz, Kord, Szabla Szpadá, pœna 50. Marcarum in instanti punitur. Constitut. Regis Stephani. Anni 1576.

Ciues Nobili indignè apud se detento, pœnam 60. Marcarum soluent. Const. Anni 1581 Herb. folio 290.

Nobilis ciuem occidens, pœnam 60 marcas soluet.

Præpediens flumina obstaculis 60. Marcarum pœnam soluat, & coram Regia Maiestate peremptorie respondebit. Herb. fol. 97.

In defensione vitæ in via obsessa Nobilis Nobilem occidens. 60. Marcas tantum pro capite soluet, sine sensione turrica: quod tamen probare debet cum sex testibus. Herbult Folio 108.

Si Nobilis Nobilem, filium esse dixerit meretricis, aut matrem eius meretricem; neque probauerit: 60. Marcarum pecuniæ soluit, & nihilominus tenetur ad reuocandum. Herb. folio 167.

Prouocans Nobilis Nobilem ad duellum, pœnam 60. Marcarum luit, citatus ad Judicium Terrestre: & in turri medium anni sedere debet, Sigismundus III. Anni 1588.

POENA 100. 200. & 300. MARCARVM.

Ordinationem Palatini Capitaneus exequi tenetur, sub pœna 100. Marcarum, si obligatorius; si verò temporarius sub priuatione officii. Herb. fol. 176.

Palatinus officium suum exequi debet in iudicando, & pretia rebus imponendo, sub pœna centum Marc. Herb. 176.

Consules sub pœna 100. Marcarum cogant Mechanicos ordinationem Palatini seruare: quarum duæ partes fisco, tertia Palatino cedit. Herbult folio 176.

Capitaneus inique theloneum extorquens pœna 100.

Mar-

Marcarum de summa amittit, si obligitorius fuerit; sin minus, officio priuatur & nihilominus in duplo comdemnetur. Herb. fol. 273.

Executionem rei iudicatæ Capitaneus facere tenetur, sub pœna 100 Marcarum. Herb. fol. 180.

Seruum plebeium suscipiens absque literis testimonialibus, pœna centum Marcarum puniatur, in officio Castrensi repetenda. Const, 1596 fol. 11.

Jurans semel coram officio Castrensi famulus; ad iuratione iuramenti, proprietatis frumenti, vel ad solutionem Thelonei ne cogatur sub pœna centum Marca. coram quouis Iudicio vel officio exigenda. Constit. 1581. fol. 212.

Qui occisum asserit Nobilem fuisse, cum non fuerit, & hoc nomine actionem instituat, pro capite illo nihil lucretur, quin imò pœna 120. Marcarum atque sessione turris per vnum annum puniatur, idem de vulneribus censendum est: Herb. 112.

De Judæis iustitiam Palatini vel Domini ministrent sub pœna 200. Marc: Constit. 1576. fol. 73.

Decreta Trib. Regni eius sint authoritatis, vt si quis ad cuiuscunque instantiam hoc nomine ad derogandum huic Decreto citatus fuerit, à citatione ipso facto liber sit. Si verò ille nihilominus instaret, vel aliquid in contumatiam obtineret, pro infecto reputetur, neq; exequutioni detur. Quod si citatus personaliter compareat pœnam 100 Marcarum illicò super actore, vel eius procuratore obtinebit, sub pœna 14 Marc. cuius pœnæ medietas fisco, medietas parti euocatæ debetur. Nihilominus procurator ad vnam septimanam in fundum turris iniiciatur. Const. 1578. fol. 184.

Conuentuum, & Judiciorum turbatores, Capitaneus inquirat sub pœna centum Marcarum: & taliter vt turbato-

rem, capitis pœna puniat, vel si fugiat, bonis per confiscationem priuet. Herb. fol. 51.

Capitanei impedientes in equis vendendis Nobiles in nundinis, pœna 200. Marcarum puniantur, per medium fisco & parti applicanda. Herb. fol. 90.

In omnia officia Capitaneorum pœna 100. Marcarum sancita est, qui sunt obligatorij, sin minus officii priuatio. Herb. fol. 32.

Judex sub pœna 100. Marcarum resignationem bonorum terrestrium plebeio factam non suscipiat: quod si admissa fuerit, nullius roboris erit. Herb. fol. 46.

In defensione bonorum suorum Nobilem occidens, soluit caput 120. Marcarum absque sessione turris Herb. fol. 108.

Judicia quæuis non debent post publicationem illarum factam transponi, sub pœna 100. Marc. Herb. fol.

Nobilis Nobili si diffidauerit, convictus ad refusionem damnorum, iuxta iuramentum Actoris cum pœna centum Marcarum condemnatur: Const. 1588. fol. 30.

Commissarii posteaquam literas innotescentiæ subscripserint, adsint commissioni sub pœna 100. Marcarum in Judicio Tribunalis Regni repetenda, infirmorum iure saluo. Const. 1588. fol. 26.

Mercatori siue suo siue externo si quis merces vi receperit Theloneumue iniustum ab eo extorserit, citari debet ad quodcunque officium tanquam in causa iniusti Thelonei; vbi citatus in primo termino, coram quocunque officio Capitaneali comparere & pœnam de Theloneis instatutis descriptam reponere. Theloneumq; exactum restituere; quod si merces intercepta sunt eas reddere tenebitur, cum pœna ducentarum Marc. toties quoties citatus fuerit nec recepta restitueret. Const. 1588. fol. 28.

Caput

Caput Nobilis occisi 240. Marcarum soluitur. Constitutio Coronationis; Serenissimi Regis Sigismundi III. Anno 1588 sed de bombarda occisi in duplo soluitur. Ibidem.

Contra turbatores conuentus, Capitanei inquisitionem & executionem facere debent sub pœna 100. Marc. quod si fugerint infames pronunciandi & banniendi. H. fol. 51.

Qui in exactione iniusti Thelonei merces alicui abstulerit, citatus, quocunque Actori libuerit peremptorie respondet; & conuictus pœnam, ratione thelonei iniustè extorti in statuto descriptam soluet; & merces ablatas cum pœna 200 Marcarum reddet Const: Serenis: Regis Sigism: III. Anni 1589.

Fluuii sunt liberi sub pœna ducentorum Marc. Sig: Aug: Petric: 1563.

Notarius Thelonei recognitiones iuramenti præstiti nedet, si iuramentum factum non est, sub pœna 200. Marc. cuius medietas delatori cedit, altera fisco quo nomine post curiam respodebit. Steph. 1581. folio 212.

In fames in Regno locum non habeant, imò per Capitaneos capiantur & capite plectantur in instanti sub pœna 300 Marcarum Actori succuben: & Judicio Terrestri sine exceptionibus, dilationibus, & appellationibus repetens atq; soluenda sub pœna 14. Marc. Const. 1563. fol. 31.

Salin Zuppis Cracouiensibus more antiquo Nobilitati vendatur idq; pro vsu proprio sub pœna 100. Marcarum. Const 1598. fol. 11.

Officium vel iudicium non suscipiens relationes Ministerialium Generalium, & munia eorum præpediens, pœna 100 Marc. punitur parti instiganti succumbenda Stph. 1576.

Faciens ex ciuili causa criminalem, & post curiam vel ad Comitia euocans, vbi illic Ciuiles esse decisa fuerit, pœna 100. Mar-

100. Marcarum, & 12. septimanis sessionem turris, & solutionem damnorum luet, & causa ad forum competens remittetur, Constitutionum Regis Stephani. 1576. Hæc Cõstitutio innouata & pœna ad duplum decreta. Constitut: Sigismundi III. 1588. fol. 35. quæ se refert ad Constitutionem fusiorem. 1565.

Qui citatus ad scrutinium se sistere, aut subditos nollet, pœna in eum 100. Marcarum à Judicio in contumatiam eius statueretur, cum remissione ad loci Capitaneum pro executione facienda. Sigismundus III. 1588. fol. 33.

In Capitaneos turres sessionis homicidarum ad minimũ vulnas 12. reparere negligentes pœnæ 200. Marcarum decernitur, pro qua forum coram Tribunali. Sigism: III. ibid:

Pœna pecuniaria contra calumniatores ad ducentas marcas protenditur, quæ ibidem decerni debet cum pœna turris & damnorum refusione. Const. 1588 Folio 35.

Qui dignitatem, vel officium impetrat, & possessionem non habet, ad quodcunque officium, vel Jvdicium illius terræ vel Tribunalis Regni peremptorie citatus, pœnam 2000. Marcarum, Actori soluit ex delatione cuiusuis Nobilis; & dignitate priuatur. Const. 1613. folio 33.

Nobili eodem precio & pondere ac magnitudine sal, W Czętnarzech Bálwániech debet vendi, iuxta antiqua de hoc Statuta sub pœna 100. Marcarum. Steph. Anni 1581. Const. folio 6.

Boues Tributarij, vel proprio frumento saginati, absque Theloneo dimittantur: sub pœna 100. Marcarum. Steph. 1881. Folio 222.

Nobilis Nobilem violenter captiuans, & inpriuato carcere detinens; pœna centum viginti Marcarum puniendus, & sessione in turri per annum pro pœna publica; & demum

tripliciter magis carcerem; quam ille detentus sustinere debet. Sub pœna infamiæ, & damna refundere, superque iuraverit: & pro vulneribus si illata sunt satisfacere. Sigismundus Tertius. 1588.

POENA 400. MARCARVM.

Turris in fauorem homicidæ non reparetur, neque carceres homicidis per Capitaneos adornentur, sub pœna 400 Marcarum Iudicio Terrestri peremptoriè repetenda, liceat verò ei cui interest videre toties quoties opus fuerit qualiter homicida detinetur, quod Capitanei denegare non debent, sub eadem pœna Const. 1578. fol. 188.

Pœna quingentarum Marcarum.

Frumenta & aliæ merces sylvestres, in fundo Nobilium hæreditario natæ, non autem coemptæ, libere sint ab omnibus quibuscunque Theloneis & exactionibus, dum defluant, præstito sive per Dominos, sive per factores iuramẽto, sub pœna 500 Marc. Const: 1588. fol. 42.

Nobiles post curiam non citentur pro alijs bonis nisi quæ fuerint liquidi iuris Regij. Contravenientes huic Constitutioni delatores, quingentis Marcis puniantur apud Tribunal inter cusas officij exigenda. Const: 1598. fol. 7.

Pœna damni solutionis.

Judex distrahens pignus ante tempus præfixum, hyeme vnius septimanæ, æstate duarum septimanarum; damnum solvet. Herb. fol. 181.

Guerræ non excitandæ sub pœna refartionis damnorum, quibus si quis non satisfecerit ære, punitur in corpore. Her. fol. 105.

Pisces in alieno fundo in lacu; piscina aqua fluenti furãs, fœnum etiam vel frumentum; iudicio convictus; damnum passo satisfacere tenetur, & Domino villæ pœnam solvat.

Depascentes vero & incidentes gramina, cum falce, in tunica vel pallio impignorentur. Herb. fol. 182.

Vicini invocati ad prosequandum furem, si noluerint persequi, ad solutionem furti condemnentur. Herb. 103.

Pœna confiscationis bonorum & peculatus.

Pœnam peculatus intellige capitis & famæ, & refusionis damnorum Reip. ex privatis facultatibus.

Ordinationem Palatini transgredientes Mercatores, mercibus jisdem privantur. Herb. fol. 118.

Ja vendentes arctiores vel breviores pannos pœna falsi, & confiscationis bonorum extenditur: quorum duæ partes fisco, tertia Palatino cedit. Herb. fol. 117.

Quicunque Iudicia violaverit, pœna capitis puniatur: quod si fugerit; bona eius confiscari debent. Herb. fol 117.

Ministerialium securitati hoc idem accomodatum est Constitutione Regis Stephani. Anno. 1578.

Theloneum extorquens absque concessione Regia, pœna confiscationis bonorum punitur. Herb. fol. 275.

Homicida pro crimine citatus, & coram Rege non comparens, si est possessionatus confiscandis bonis privetur; Si impossessionatus infamis. Herb. Fol. 109.

Ja Vngariam ad cõmendos equos & vinum, nemo est, neque contractus eo nomine per se vel per submissas personas cum externis faciat, non obstantibus literis quibusvis; sub amissione rerum Const. 1578. Fol. 190.

Plebeij, in Episcopos, Prælatos & Canonicos non promovendi, sub pœna exilij, & confiscationis bonorum, & consanguineorum, qui contravenire vellent. Herb. fol. 185.

Jura patronatus Regia vel sæcularia impetrantes apud sedem Apostolicam, pœna confiscationis bonorum, & bannitionis puniantur, & consanguinei eorum ipsis patrocinãtes. Herb. fol. 140.

Tem-

Tempore Interregni aliquid de Thesauro recipiens, fraudis & peculatus reus est. Herb. fol. 278.

Alienigenæ dignitates non consequantur, sub confiscationis & infamiæ pœna. Herb. fol. 79.

Hæreticorum bona confiscanda, & ipsi infames cum successoribus. Herb. fol. 106.

Judi non parens, & de regno fugiens: qui nocumenta Regno intulerit, bona ipsius immobilia (præter vxoris dotalicium) confiscanda; & si captus fuerit, vita eius in gratia Regis consistat. Herb. fol. 81.

Qui nobilitatem sibi temerè vsurpat, eius bona confiscari debant, quorum medietas Quarere, altera Delatori cedit Const. Sigis. III. Anni 1589.

Pœna confiscationis bonorum, duos Capitaneatus Iudiciales impetrantium: insuper citatus ad quodcunque Judicium vel Officium 200. Marcarum pœnam parti peremptoriè solvet. Sigis. Aug. Petricoviæ 1562. fol. 13.

Clericus bona hæreditaria possidens, militet aut bonis cedat, alioquin confiscabuntur. Herb. 70.

Per villas vlnatim & talentis nemo mercetur, sub amissione mercium exceptis pecoribus pecudibus & frumentis. Herb. 95.

Pannos strictiores, vel breviores quam esse debent, nemo vendat, sub amissione eorum. Herb. 77.

Cutes elaboratas cordones extra Regnum non evehant, neque extraneis vendant, sub amissione cutium & pœna Regali. Herb. 70.

Cives Civitates suas muniant, rationemque de proventibus coram Capitaneo & Commissariis faciant, sub pœna confiscationis bonorum Const: 1565. Folio 55. 1566. 70 1567. 74.

Monopolia non constituantur sub pœna peculatus, in eos, qui literas eiusmodi in Cancellaria Regia obtinuerint. Constitutio Anni. 1567.

Nobilis bona vendens, & ex tenore viuens bellicam expeditionem servire tenetur: Sub amissione omnium bonorum. Stephanus. Anno. 1576.

Mercatores per vias consuetas cum mercibus eant, alioquin per Capitaneos capiantur & confiscatione puniantur. Herb. 288.

Neque thelonea declinent sub mercium priuatione. Herb. ibidem.

Judæi merces & victualia non intercipiant, neque in suburbiis cóèmant sub amissione mercium & victualium probatione præmissa. Const. 1588. folio 70.

Pœna priuationis Officii.

Capitaneus temporarius ordinationem Palatini non exequens Officio priuatur: obligatorius verò pœna 100. Marcarum punitur. Herb. folio 176.

Notarius ordinem actionum confundens officio priuatur. Herb. fol. 128.

Ministeriali, si formam iuramenti aliter testibus dixerit, quam est mandatum, perpetuo de Officio deponitur. Herb. folio 158.

Ad commissiones suscipiendas & exequendas omnes Dignitarii tenentur, sub priuatione Officii.

Ministerialis irrequisito Iudice neminem citet sub pœna priuationis & adustionis. Herb. 157.

Si Judex generaliter omnes causas & terminos distulerit. Nuncii illum accusare debent priuationem eius vrgere. Quod si vnam causam tantum distulit, pars iniuriam passa id faciat, Herb. 281.

Quartam

Quartam partem tenutarius quilibet reddat inb amissio-ne tenutæ. Constit. 1569. fol. 105.

Defuncto Tenutario, Thesaurarius ex mandato Regio possessionem apprehendat, donec illa bona vacanti alicui conferantur, ne Quartæ quid decedat, alioquin de suo Thesaurarius refundet; sub priuatione officii. Const. 1569. f. 105

Judices Castrenses, in primis terminis coram Capitaneis seu Vicecapitaneis iurent sub pœna priuationis. Herb. 126.

Cancellarius & Vicecancellarius literas alienationis bonorum Regalium ne extradant, sub priuatione officii. Const. 1562. fol. 13.

Thesaurarius rationem ex Quarta in Comitiis faciat sub pœna priuationis officii. Const. 1562. fol. 13.

Pœna infamiæ, capitis & corporis proscriptionis.

Si quis in aliena persona resignationem facit, conuictus pœna inuictus pœna inuasionis domesticæ, videlicet priuatione vitæ punitur. Herb. fol. 93.

Minutas res in Curia Regis accipiens, vel subtrahens auricula punitur. Herb. fol. 103.

Pœnam infamiæ incurrit, qui incompatibilia duo tenet, & monitus non dimittit. Herb. fol. 79.

Alienigenæ dignitates non consequantur: sub infamiæ, & confiscationis pœna. Herb. fol. 79.

Cortisani & Romanistæ ad sedes suas redeant, & ad Sacerdotia sua, sub pœna infamiæ & proscriptionis perpetuæ. Herb. fol. 69.

Qui super bona Regalia mensæ Regiæ, non in vim extenuationis pecuniam dederit, in famis perpetuò, & summam inscriptam perdet. Herb. fol. 28.

Is qui bonis suis consumptis vagatur, & ad malas artes atque rapinas transit, & si gratiam Reis inuenerit, nihilominus infamis sit. Herb. 285.

Zaparius neq; comminuat neq; dirruat bases seu sustentacula in fodinis sub honoris priuatione & bonorum confiscatione. Const. 1588. fol. 41.

Juri non parens, & intromissionem impugnans, ex brachio Regali, infamis, & vita & corpore iuxta voluntatem Regis puniendus. Herb. fol. 201.

Pacis domesticæ violator, si de Regno aufugerit, infamis, & in collo puniendus, si eius copia esset. Herb. fol. 124.

Inuasor domus per Actorem testibus sex ex 18. eligendis conuictus capite plectitur. Herb. folio 124.

Calumnioſè pro inuasione domus accusans, ipse infamis iudicatur, & in facie cauteriasatur. Herb. fol. 30.

In calumnia quater expertus, honore priuatur & naribus. Herb. fol. 30.

Præsbyterum occidens & fugiens, proscribi, & excommunicari debet: quod si capi poterit, loci ordinario tradendus est. Herb. fol. 252.

Prædas & rapinas committens, honore & bonis perpetuò priuatur: Similiter propter furta & latrocinia. Herb. f. 103.

Paricidium, fratricidium, sororicidium committens, honore priuatur & successione in bona occisi. Herb. fol. 99.

Cum furibus, profugisq; rapinas diuidens, hospitiumq; illis præbens infamis. Herb. folio 103.

Ter de furto vel spolio conuictus, infamis. Ibidem.

Homicida propter turris sessionem de Regno fugiens infamis. Herb. folio 108.

Si Officium Ciuile, vel Oppidi alicuius, contra Nobilem occasione violentiæ captum vltra præscriptum legis, aliquid attentauerit: extunc per Capitaneum, sub cuius Jurisdictione Ciuitas, vel opidū consistit; Proconsul pro illo tēpore existens, cum vno Consule capi, & decollari debent H. f. 290.

Famu-

Famulus à Domino discedens, tempore ingruentis belli, vel alicuius necessitatis infamis: nisi sex septimanis (postea prorogatum. 10.) ante, veniam abeundi postulauerit. Herb. folio 295.

Familiaris cuiuscunque frumenta quorumcunq; rapiens noctu, impunè à defendente occiditur, & defensor equos, & res eius licitè aufert quas in defensione præuenerit Dominus verò de cuius ditione talis depopulator exit; pœnam trium Marcarum Regiam incurrit. Herb. fol. 101.

Golata pro homicido citatus, & in primo termino coram Rege non comparens, infamis, & hostis patriæ pronunciatur. Et qui illi patrocinaretur, similiter punitur. Herburti folio. 109.

Serui iussu Domini furem insequi nolentes, infames. Et qui illis qui sequerentur hoc improperauerit, ipsemet infamis. Herb. fol. 243.

Calumnioſé pro oppressione accusatus, si se cum sex testibus expurgauerit, accusans fœmina pœna debita castigetur. Herb. folio 292.

Calumniatoribus purgatio tribus vicibus est iudicanda, Cam verò, quatta vice quis culpatus fuerit de opere calumniæ, amplius ad expurgationem admitti non debet. Sed si conuictus fuerit, nares sibi discendi debeat, ad instar equi castrati & eo ipso, honore sit priuatus. Herb. fol. 30.

Calumnioſé cuiquē inuasionis domus accusans, ex scrutinio in calumnia repertus, pœna infamiæ & cauterisationis in facie puniatur. Herb. 30.

Patrator homicidii, & turbator Conuentuum, si aufugeret, infamis, perpetuò. Herb. fol. 51.

Violator pacis publice collo priuatur. Herb. Fol. 127.

Homicidam citatum, & non comparentem, qui apud se ser-

se seruauerit, infamis, nisi se expurgauerit. Herbart. Folio 109.

Rapiens virginem vel fœminam infamis. Herbart. Folio 83. & 94.

Raptor tum demum pro conuicto habetur; & honore priuari debet, postea quam mulier rapta, in præsentia Regis constituta, recognouerit se raptam & violatam fuisse præter suam voluntatem; vbi verò rapta confessa fuerit, se non per vim sed cum sua voluntate fuisse raptam; raptor absoluatur, mulier verò priuatione omnium bonorum tam dotalium quam hæreditariorum mulctetur. Herb. 221.

Syluarum incensor Kmetho vitam redimit. Her. Fol. 113.

De falsa moneta ad Tribunal Regni citatus inter causas conseruatas, aut Officii: cũ præfixione termini perẽptorii, à possessione citationis (salua inquisitione) in duabus septimanis; quam Capitaneus, aut Officium eius facere tenetur, in cuius iurisditione bona inculpati consistunt; post cuius expeditionem conseruari debet terminus in vna septimana ad Tribunal, aut ad Regem; talisque conuictus debet puniri pœna infamiæ, & confiscationis bonorum, quarum medietas fisco, & altera Delatori cedit. Const. 1611 Fol. 12.

Plebeius vulnerans Nobilem enormiter pœna capitis punitur: Si verò non enormiter, pœna pecuniaria: quod si Nobilis occasionem litis dederit, punietur plebeius iuxta statutum de vulneribus, & occisione. Herb. Fol. 87.

Qui conuictus pro occiso capite inturri non sederit: vel intrans in turrim præfinitum tempus sessionis non finierit, ipso facto infamis. Sigism. III. Anno, 1588. Fol. 32.

POENA TVRRIS.

Plebeius in Judicio quocunque Commissariali verbis Commissarios inhonorans, & inuehens, sessione dimidii

anni

anni in turri puniri debet per Capitaneum loci illius, sub pœna in Statuto descripta contra Capitaneos Officia sua exequi negligentes. Quod si gladium strinxerit, licet non vulnerauerit eo ipso luat pœnas, ab eodem Capitaneo puniendus. Herb. Fol. 53.

Agens pro capite occiso tanquam Nobilis occisi; & si ex scrutinio secus constaret; Pœnam turris sessionis annum & sex septimanas, & pœnam 120 Marcarum soluit, quod & de vulneribus illatis intelligitur. Herb. Fol. 112.

In citatione Regia verba alicuius honorem, vel bonam famam tangentia, procurator vel cuiuscunque status persona scribens, & in quocunq; Judicio de ea proponere præsumens, pœna sessionis turris vnius septimanæ punitur. Herb. Folio 38.

Procuratoribus pœna turris, extra ordinationem Regiæ Maiestatis in ordinatè se in Judicio R. Maiest. & in causis agendis gerentibus. Herb Fol. 66. Decret 1550.

Nobilitatem sibi vsurpans, si est impossessionatus, convictus in Judicio Castrensi, vel Tribunalis, pœnam turris in fundo anni dimidij subire debet. Sigism. III. Anno 1589.

Provocans ad duellum, medium anni in turri sedere debet, & Marcarum 60 pendere, forum ad Judicium Terrestre Sigism: III. Anno 1588.

Christianus Judæo ne seruiat sub pœna turris. Judæus verò seruum Christianum tenens, pœna centum Marcarum punitatur. Const. 1565. Fol. 53.

Ex ciuili criminalem causam faciens & post Curiam vel ad Comitia euocans pœnam turris & 180. Marcarum & solutione damnorum punitur. Stephan. 1576.

Pœna talionis.

Qui acta Aduocatum & Scabinos falsificasse asserit, &

non probat. Decretum Sigismundi Augusti 1546. inter successores tabernatoris de Lippe, & Consules Oppidi Stanisin.

Criminaliter aliquem euocans & in probatione deficiēs pœnæ talionis subiicitur.

Crimen lesæ Maiestatis, & perduellionis.

Crimen lesæ Maiestatis punitur famæ, vitæ, bonorum priuatione, & successorum gradu Nobilitatis abiudicatione. Herb. Folio 106.

Dans pecuniam super Capitaneatum Sendomirienſem, crimen lesæ Maiestatis incurit. Herb. Fol. 25.

Si quis Consiliarios, Terrarū nuntios, in Conuentib⁹, tàm generalib⁹ quàm particularib⁹ Terrestrib⁹ in illis degētes vel illuc illincue proficiscentes, quatuor septimanis ante, & quatuor septimanis post, vbicunque locorū; seu in via inuaserat & violare ausus fuerat, crimnis lesæ Maiestatis iudicabatur. Idem judicandum erat de his, qui in Judicijs siue ordinarijs siue Commissarijs Judices, Commissarios vel Officiales, publica officia exercentes violare præsumpserant. Herb. Folio 171.

Sed iam crimen lesæ Maiestatis solum in personam Regiam machinatione, conspiratione violento conatu & (quod longe absit) facto ipso in vitam committitur: iuxta. Const. 1588. Folio 22.

Quum sit superius expositum de Obligationibus, & eas sequentibus inscriptionibus, Citationibus, Processu, Exceptionibus, Dilationibus, Litis contestatione, Probationibus Juramentis, Appellationibus, Præscriptionibus, & Pœnis, superest, vt de Judicijs & tempore Judiciorum dispiciamus.

TITV-

TITVLVS XII.

DE JVDICIIS ET TEMPORE JVDICIORVM.

Quid est Judicium?

Est actus Jurisdictionis legittimæ, ex Judice, Actore, & Reo constans,

Quotuplex est Judicium?

Duplex

Criminale, cuius pœna mors: aut iactura famæ aut fortunarum; & huius est finis vtilitas publica non solum priuatorum. Expedit enim Reipublicæ crimina non esse impunita.

Ciuile quod circa facultates versatur; & ad vtilitatem jure experientium spectat.

Criminale Iudicium rursus.

Duplex

Publicum, cuius persecutio cuilibet competit: & popularedicitur; quo cuiuis ex populo agere licet: vt de criminibus lesæ Maiestatis, perduellionis, & aliis in Statuto descriptis.

Priuatum, quod ei, cuius interest competit: & ex priuatorum iniurijs proficiscitur.

Quod sunt genera Judiciorum?

Sedecim præcipua.

I. *Comitiorum Generalium*, alia

Criminalia.

Ciuilia.

Criminalia, alia.

Publica.

Priuatorum.

Publica, ad cuiuslibet delationem Instigatore accusante hæc sunt.

1. Crimen læsæ Maiestatis: quod in personam solam Regis committitur machinatione, conspiratione, violento conatu, & quod absit, ipso facto; Tum si quæ criminibus læsæ Maiestatis sint iure adæquata: vt Terræ Sandomirien-sis donationis, vel super eam inscriptionis; susceptio.

2. Crimen perduellionis: nempè factæ conspirationis cum hostibus contra Rempublicam arcanorum concredito-rum, vel arcis proditio: pactorum & fœderum, cum finiti-mis initorum conuulsio rebellionis ad factum deductio, à re ipsa declaratio: vel aliud quodlibet facin' contra Rem publi-cam commissum: vt arcium finitimarum tẽpore Interregni alicuipiam proditio non Regi electo.

3. Crimen peculatus: vt furtum Thesauri Regis, vel Rei-publicæ: falsæ monetæ priuatim cussio mala tractatio seu interuersio prouentuum Reipublicæ alicui concreditorum: impeditio per quemlibet Thesaurarii, & deputatorum, quo-minus iuxta constitutionis Præscriptum Quartam expedi-re, & pro vsu Reipublicæ conuertere possit: & alia id genus detrimentum publicum inferentia.

4. Violatores Comitiorum generalium siue particula-rium iure indictorum; tumultuum auctores His adduntur. Successio Polloni post Polonum; vel Lithuani post Lithu-anum in Capitaneatum Liuoniæ; Honorum vel di-gnitatum, vel arcium ab extraneis obtentio nec post admonitionem spontanea omissio; & alia simili modo Rem-publicam afficientia.

Priuas

Priuatorum hæc sunt.

Homicidia: venenorum propinationes: iniuridica punitio capitis sibi æqualis: incæstus, adulteria, violatio Tribunalistarum, iniuriæ in parentes commissæ: receptatio in Comitijs bannitorum, periuria, calumniæ, falsi crimen, famosi libelli, spõfio fidei, nec eiusdem datæ liberatio: Nobilitatis & insignium cognitio, & abiudicatio: quanquam ad Tribunal hæc etiam causa spectat: violentiæ Cracouiensibus, Posnaniensibus, Leopoliensibus, Warsauiensibus, Præmisliensibus, Crosnensibus, Lancycienſibus Lublinensibus, Caliſienſibus, Petricouiensib⁹, Praſnensib⁹, Ciuibus factæ.

Ciuilia: alia,

Instigatoris Regij.

Priuatorum.

Instigatoris Regii hæc sunt.

De bonis Mensæ Regiæ, excitatione, vel remissione Tribunalis, siue Curiæ, siue Commissorialis Iudicij, de bonis nullo iure receptis, de summis in bonis Regijs assecuratis: de amissione Capitaneatus ob non solutionem Quartæ, de salis fodinarum corruptione; ob columnarum subruitionem: de extorto theloneo non priuilegiato: de confiscatione bonorum; de caducis bonorum nobilium: de bonis Regiæ Maiestati inscriptis: de non comparitione Thesaurarij, vel Deputatorum ad Quartam percipiendam.

Ex delatione partium.

De exactione Theolonei per Nobilem nullum ius ad hoc habentem: de non habitatione Burgrabii in arce Cracouiensi, ex delatione Capitanei Cracouiensis: de negligentia Magistratuum; vel dignitatibus Regni præsidentium, de appellationibus siue grauaminibus factis a Commissarijs in causis dismembrationis bonorum Regalium, cum bonis Nobilium.

Priuatorum.

Vel Spiritualia ex remissione Tribunalis.

Vt de Decimis ex bonis Nobilium: de prophanatione templorum.

Vel sæcularia, & hæc vel ex officijs.

De facultatibus Iurisdictionum: honoribus & officijs Terrestribus: præsidentium inter Iurisdictiones variorum districtuum: de incompatibilibus.

Vel ex officijs Magistratuum Regni:

De negotiis Regus, vel de grauamine captam facto: vel Cancellarij, Vicecancellarij, Marschalci, Thesaurarij, Exercituum Ducis, Magistratus, vel Dignitatibus Terrestribus eminentes in suis Terris impossessionati quanquam id Tribunalia Iudicia etiam pertinens remissiones ex tribunali de nouo emergenti.

II. *Regiæ Maiestatis: alia,*

Criminalia.

Ciuilia.

Criminalia.

Vt potè in recenti facto cædis, vel vulnerum, vel tumultus facti, vel alterius cuiuslibet violentiæ deprehensorum, & captorum ibi, vbi Regia Maiestas cum Curia commoratalitum fuerit. Nobilis capti violentiam inferentis ciuibus, ex remissione pro informatione: Ciuium non iuxta Statutum Thorunense contra Nobiles procedentium: in perfidiæ falsiue crimine deprehensorum. Magistratuum Ciuilium ad suam Iurisdictionem pertinentes, vel non pertinentes, non iure punientium.

Ciuilia: alia,

Propria Regiæ Maiestatis.

Priuatorum.

Vtpotè de exemptionibus bonorum Mensæ Regiæ: de prouentibus eiusdem: cum conductoribus Theloneorum & salis fodinarum, cui ea ad fideles manus à Sacra Regia Maiestate sunt concreditæ: cum Exactoribus contributionum, cum Thesaurariis, & successoribus eorum: de arcium desolatione, & syluarum excisione in bonis Regiis, cum præfectis earundem arcium, de non redditione rerum secundum Inuentarium, de delectis ad militiam, alibi o Wybrance: de damnis datis ob absentiam & negligentiam fandi Regij defensionis, per Capitaneos; in termino dissimitationis, per Commissarios; & de alijs varijs damnis ex similis occasione proficiscentibus: tum de rationibus reddendis: de non connotatis bonis mobilibus in bonis Regalibus: vel non apprehensione in tempore bonorum Regalium post mortem Capitanei, contra Thesaurarium. Contra spirituales, de commeatu, & operibus debitis subditorum. de excessu familiæ Regalis. de caducis ciuilibus, & de omnibus beneficijs à Regia Maiestate obtentis; tum de aliis rebus ad Thesaurum spectantibus.

Priuatorum: alia,

Spiritualium.

Sæcularium.

Spiritualium.

De decimis ex bonis Regijs: de templis, & prouentibus eorum quibuscuis, in bonis Regalibus.

Sæcularium.

De differentiis limitum inter possessores ex vtrisq; parte bonorum Regalium: inter Magistratus Curiæ de prærogatiuis & potestate: inter salis fodinarum Præfectos, de iniurijs inuicem factis inter Exactores contributionum, contra Instigatorem, vel Delatorem, de euocatione post Curiam:

contra

contra Feudales, Aduocatos, Ciues, & Subditos, de debitis oneribus subeundis: de iniuriis, Compromissariis Ciuibus factis: contra Intercessorem bona Regalia pro hæreditariis alteri inscribentem; Maideburgen: & Culmen: causæ.

III. *Terrestria.*

Quæ constant ex Iudice, Subiudice, & Notario Terrestribus: defficienteq; aliquo eorum, non possunt celebrari Hi de omnibus causis simplicium iniuriarum cognoscunt; iuxta expressa Statuti verba. Volumus autem, vt liceat vnicuiq; alium quempiam pro quacunq; summa pecuniæ vel iniuria hæreditaria, & personali, aut bonis quibuscunque toties quoties citare ad Iudicium Terrestre: vbi citatus parere respondereq; tenebitur, &c. Sunt autem simplices iniuriæ, quæ nulla Constitutione, vel priuatorum consensu contra Iudicium Terrestre, ad aliud quodpiam Judicium vel officium pertinent.

INDEX TERMINORVM,

SEV IVDICIORVM TERRESTRIVM OMNIum Palatinatuum, & Districtuum, quorum iura dicuntur Pertricouiæ; iuxta posteriores Constitutiones vsq; ad Constitutiones Anni 1619. inclusiuè collectus.

POZNANIEN. Palatinatus habet districtus duos, Kostenſ: & Wschouien Poznaniæ termini celebrantur Feria secunda post Festum Sancti Bartholomei secundi Feria secunda post Festum Natiuitatis Beatæ Mariæ Virginis. Kostenſ verò à singulis Poznanienſ. post duas septimanas. At Wschouienſ. à singulis Kostenſ post vnam Septimanam.

KALISIEN. Primi termini celebrantur Feria secunda post Festum Sanctissimæ Trinitatis. Secundi Feria secunda post Sancti Michaelis Gnesnenses in vero termini, ab inceptis Kaliſienſ post duas septimanas. At Kczyneſ. post Gnesnenses in vna septimana, incipiunt quos sequuntur termini Naklenses in eadem septimana quæ feria quinta incipi debent.

SIERA-

SIERADIEN. Habet districtus tres: Petricouien. Radomscien, Szadkouien. Siradiæ primi termini iudicantur, Feria secunda post Epiphaniæ. Secundi Feria secunda post Natiuitatis Beatæ Mariæ, quos sequuntur Szadkouien. qui per duas septimanas iudicari debent. Post hos, Radomienses Feria secunda post Siradienses incipi debent. Szadkouiæ: Piotrkouienses verò feria secunda eos sequi debent Radomenses verò post eas feria secunda ante Festum Natiuitatis B. M. V. celebrentur: sub hoc tempore tantum, quando secundum Const. 1613. propter iudicia Tribunal: celebrari non possunt.

In hoc Palatinatu est Terra Wielunen: quæ habet districtum Ostrzyzonien: Wielunii, termini celebrantur. 1. Feria secunda, post purificationis 2. Feria secunda post Dominicam Rogationum. 3. Feria secunda post S. Francisci. à singulis Siradien post duas septimanas, Ostrzyzouien. à singulis Wielunen. post septimanam.

LANCIEN. Habet districtus duos: Brzezineñ & Orlouien. Lancisiæ termini peraguntur. Primi, Feria secunda post S. Agnetis secnudi. Feria ecunda post Festum Ascensionis Tertii, Feria secunda post S. Michaelis, Brzezinen. termini à singulis Lancicien. post duas septimanas: quos sequuntur Orlouienses.

BRZESTEN. Habet districtum Wladislauien. Brzesten. Termini primi Feria tertia proxima post Sancti Ioannis Baptistæ. Secundi. Feria tertia post Natiuitatis B. M. V. Tertii, Feria tertia post S. Agnetis: Wladislauiæ à singulis Brzesten post vnam septimanam.

DOBRZYNEN. Primi Dobrzyniæ Feria secunda post Dominicam primã quadragesimæ Deinde Lipniæ: tandem Ripiniæ Feria secunda post octiduum. Secundi termini Dobrzyniæ Feria secunda ante S. Ioannem. Lipnen. & Ripinen: vt supra. Tertii Feria secunda post Mathæi Lipniæ & Ripiniæ vt supra.

PLOCEN. Habet duos districtus: Rácíazen. & Plonicen Plociæ termini iudicantur. Primi, Feria secunda post Dominicam Rogationum. Secundi post S. Michaelis. Tertii Feria secunda ante S. Agnetis Racíazyæ proxima Feria quartapost Pentecostes. Plonsciæ Feria 2 post SS. Trinitatis

ZAWKRZEN. Primi termini Feria secunda post Corporis Christi in Srzensko. Secundi, Feria secunda post S. Lucam Tertii, Feria secunda post Dominicam Rogationum.

MAZOWIEN. Huius districtus sunt: Czersczen. Warschauien, Visnen. Wyssogrodien. Zakrocimen Ciechanouien, Lomzen. Rozanen. Liuen. Nuren.

Termini Terrestres Czersczen. Primi, Feria secunda post Misericordiæ. Secundi. Feria secunda post Ioannes Baptistæ Tertii, post Francisci celebrantur: quos in Grodziec, Warka, & Garvvolin: alii immediatè sequuntur. In Grodziec feria quarta & quinta in alia septimana: in Warka. Feria secunda & tertia: in Garvvolin feria quinta & sexta.

Terrestres Warschauien termini. Primi in Blonie, Feria secunda post Trinitatis. Secundi post Francisci, Tertii ibidem. Feria secunda post Dominicam Inuocauit celebrantur. Singulos autem Warschauien: Tarczinen: immediatè

Termini Terrestres Viscen. Primi, Feria tertia post S. Stanislai in Maio. Secundi Feria tertia Post Festum S. Mathæi. Tertii ibidem Feria tertia post Trium Regum celebrantur. Singulos autem Wysocen in duabus septimanis: hos itē Radzielowvien. itidem in duabus septimanis suquuntur: ita tamen, vt quoties Tribunal sub tempore terminorum Palatinatum Masouiæ iudicauerit, ij termini tertii omittuntur.

Termini Terrestres Wyssogrodien. Primi, Feria tertia post Octauas Corporis Christi, Secundi Feria tertia post conductum Paschæ, Tertii feria 2. post festum S. Michaelis celebrantur.

Termini Terrestres Zakrocimenses. Primi, Feria quarta post Dominicā Inuocauit. Secundi, Feria quarta Post Trinitatis. Tertii, Feria quarta post Mathæi celebrantur.

Terrestres Ciechanouienses. Primi in Sachocim, Feria secunda post Matthæi. Secundi feria secunda post Bartholomæi Tertii ibidem, feria secunda post Epiphaniarum celebrantur: quos semper Ciechanouien. proxima feria quinta: Prasnicenses verò ab Actu terminorum Ciechanouiensium in quatuor septimanis sequuntur.

Termini Terrestres Lomzenses. Primi Lomzæ Feria secunda post Dominicam Reminiscere. Colnæ verò feria quinta post Dominicam Lætare. Secundi Lomzæ in crastino SS. Trinitatis. Colnæ verò feria 5. post festum S. Ioannis. Tertii Lomzæ post Festum S. Matthæi. Colnæ verò feria quinta post Festum S. Lucæ Euangelistæ.

Termini verò Zembrouienses. Primi, Feria quinta post Festum Epiphaniarum. Ostrolœcenses vero Feria tertia post Dominicam Conductus Paschæ Secundi Zebrouien. Feria quinta post Pentecostes. Ostrolœcen. Feria secunda post festum S. Margarithæ. Tertii Zembrouienō feria quinta ante Hedwigis. Ostrolœcen. Feria secunda post festum S. Nicolai celebrantur.

Termini Terrestres Rozanenses, in Rozánovv. Primi Feria secunda post Dominicam Inuocauit. Secundi, Feria secunda post Corporis Christi. Tertii, Feria secunda post Michaelis celebrantur; quos semper Makouienses quatuor septimanis sequuntur.

Termini Terrestres Liuenses. Primi Feria quinta post Festum SS. Trinitatis. Secundi, Feria quinta post S. Hedwigis. Tertii, Feria quinta post S. Agnetis.

Termini Terrestres. Nurenses. Primi in Nur, Feria tertia post Circumcisionis Domini. Camenecenses, Feria secunda post Purificationis Mariæ. Ostrouienses, Feria 3. post Domin. Lætare. Secundi in Nur. Feria tertia post Dominicā Conductus Paschæ Camenecen: Feria 2. post SS. Trinitatis. Ostrouien: Fer. post S. Joan: Baptistæ 3 in Nur, Feria tertia post Festum S. Matthæi. Camenecen. Feria 2. post Simonis, Ostrouien. Fer. 2. post festū S. Helilabethæ celebrantur.

RAVVEN. Termini celebrantur, Primi, Feria secunda post Reminiscere: Secundi, post Pentecostes. Tertii, post Michaelis. Habet duos districtus: Sochacouiensem, & Gostinensem Sochacouiæ termini iudicantur. Primi, Feria tertia

post

post Corporis Christi Tertii, Feria tertia post Festum vndecim millium Virginum. Gostini termini celebrantur Primi, Feria secunda post Oculi Gabini proximè post vnam septimanam. Secundi, Feria secunda post Octauas Corporis Christi. Tertii, Feria secunda post Festum Sancti Bartholomæi.

TERRA PRVSSIÆ. Iudicia Terrestria, iuxta correcturam Iurium in Terra Prussiæ susceptam, tali modo celebrantur.

IN PALATINATV CVLMENSI. Radzyni & Torunii bis in Anno. Primo Feria secunda post festum Corporis Christi Radzyni Secundo, Feria 2 post festum S. Hedwigis Toruni.

IN MICHALOVVIEN: autem, septimana vna semper post Culmen. Iuditia celebrantur, & alternatim Brodnici, & Neophori.

IN MARIÆBVRGEN Sztumæ. Primo, Feria secunda post Conductus Paschæ. Secundo, Feria secunda post Lamperti.

IN PALATINATV POMERANIÆ, singulis districtibus Iudicia itidem habentur his in anno: & Dirschauiensia quidem Starogardiæ. Primo, Feria secunda post festum Circumcisionis Domini. Secundo, Feria secunda post Festum S. Lucæ Euangelistæ. In aliis itidem districtibus locis consuetis, ita nimirum: vt Succen. duabus septimanis Dirschauien: subsequantur. Post Succensia verò aliorum porrò districtuum, vna septimana inuicem se consequantur, quæ si in diem Festum inciderint, Feria secunda subsequente celebrantur.

TERMINI TERRESTRE

IN PALATINATIBVS MINORIS POloniæ quo Palatinatu terra, aut Districtu quo tempore celebrentur.

PALATINATVS CRACOVIEN. habet Districtus sex. Cracoensem. Prossouiensem. Xiązen. Lelouien. Czchouen. In quibus Districtibus, vnus Iudex terminos Iudiciorum obit, iis temperibus.

CRACOIVÆ, Primi termini celebrentur. Feria secunda post Circumcisionis. Secunda, Feria secunda post Dominicam Inuocauit, Tertii, Feria secunda post SS Trinitatis. Quarti, Feria secunda post S. Michaelis.

A quibus singulis Cracouiensibus terminis, in aliis Districtibus his temporibus iudicantur, Proisiuien. post vnam septimanam à Cracouien. qui Feria secunda initium summunt Xiązæ verò die à Prossouien qui Feria quinta iciptunt, Leloniæ à Xiązen: Feria 3. proxima Czchouiæ à Lelouien. post vnam septimanam, qui Feria tertia inchoantur. Bieciæ à Czchouien: proxima Feria 2.

In eodem Palatinatu est Terra Osvvięcimensis, quæ suum Iudicem habet, qui Zatori terminos celebrat his temporibus. Primos, Feria quinta inter Quatuor temporum dies, quæ sunt post Dominicam Inuocauit Secundos. Feria quinta inter Qua-

ter Quatuor temporum quæ sunt post Pentecosten. Tertios. Feria quinta inter Quatuor temporum, quæ sunt post Exaltationis S. Crucis. Quartos. Feria quinta inter Quatuor temporum, quæ sunt post S. Luciæ.

PALATINATVS SANDOMIRIENSIS, habet districtus sex: Sandomirien: Radomien, Opoczen, Chęcinen, Wislicien, Pilznen. in quibus Districtibus vnus Iudex terminos iudicat his temporibus, Sandomiriæ. Primos, Feria secunda post Sanctæ Priscæ Secundos, Feria secunda post Dominicam Oculi: Tertios, Feria secunda post Corporis Christi, Quartos, Feria secunda post S. Francisci.

A Singulis autem Sandomirien: terminis, in aliis Districtibus, his temporibus iudicantur Radomiæ post septimanam vnam à Sandomirien. qui Feria secunda incipiunt. Opocziniæ post vnam septimanam à Radomien. qui etiam Feria secunda exordium summunt. Chęcinis ab Opoczinen proxima. Feria sexta Wisliciæ à Chęcinen Feria secunda, qui integra septimana perdurant. Pilsnæ à Wislicen. post septimanam, qui etiam Feria secunda incipiunt.

In eodem Palatinatu est Terra Stęzicensis, quæ habet proprium Iudicem: is Stęzyciæ terminos his temporibus celebrat. Primos, Feria secunda post Dominicam Conductus Paschæ. Secundos, Feria secunda post S. Matthæi Apostoli & Euangelistæ.

PALATIN: Russiæ, habet Terras quinque, Leopolien. Przemyslien, Sanocen, Chelmen. Halicie. cuiusq; Terræ est suus Iudex. in quibus Terris & earum Districtibus, termini his temporibus iudicantur.

In Leopolensi Terra, quæ habet Districtus duos, Leopolien. & Zydaczouien. Leopoli primi termini, Feria quinta post Trium Regum. Secundi Feria quinta post Natiuitatem Ioannis Baptistæ. Tertii Feria quinta post Michaelis. Zydaczouiæ, primi termini à Leopolienſibus post septimanas tres & dimidiam: qui Feria secunda inchoantur. Secundi similiter à Leopolienſibus post tres septimanas & dimidiam: qui etiam Feria secunda principium summunt. Tertii Feria secunda post S. Hedwigis.

In Przemyslensi Terra, quæ habet duos Districtus, Præmyslien. & Przeuorscen. Præmysliæ primi termini, Feria tertia post S. Agnetis Secundi, Feria tertia post Conductus Paschæ. Tertii, Feria tertia post S. Margarethæ. Quarti, Feria tertia post S. Lucæ Przeuorsciæ, Primi termini à Przemyslien. qui celebrantur post S. Agnetis, post tres integras septimanas incipiunt. Feria tertia post Festum S. Dorotheæ. Secundi, Feria tertia post Dominicam Cantate. Tertii, Feria tertia post Festum S. Petri vinculati. Quarti, Feria tertia post S. Martini.

In Sanocensi Terra, in qua vnus tantum Districtus, Sanociæ. Primi termini, Feria tertia post S. Dorotheæ Secundi, Feria tertia post S. Laurentii. Tertii, Feria tertia post S. Michaelis.

In Chelmensi Terra, quæ habet duos Districtus, Chelmensem & Crasnostauiensem. Chelmæ, primi termini, Feria secunda proxima post S. Agnetis. Secundi, Feria secunda post Sanctorum Philippi & Iacobi, Tertii, Feria secunda inter Octauas,

ctauas Corporis Christi. Quarti, Feria secunda ante Natiuitatis Beatæ Mariæ Virginis.

Crasnostauien. à singulis Chelmensibus terminis, post duas septimanas: qui et etiam Feriis secundis incipiunt.

In Terra Halicien si, quæ habet duos Districtus: Halicien sem & Trebouelen. sem Haliciæ primi termini, Feria secunda post Purif. B. Mariæ Virginis. Secundi, Feria secunda post Dominicam Iubilate, Tertii, Feria secunda post S. Martini.

Trebovvle à singulis Halicien. terminis post duas septimanas: qui etiam Feriis secundis incipiunt.

PALATINATVS PODOLIAE, in quo vno tantum in loco termini celebrantur Kameneciæ, primi, Feria quinta post S. Agnetis secundi, Feria quinta post S. Stanislai in Maio Tertii, Feria quinta post Omnium Sanctorum.

PALATINATVS LVBLINENSIS, habet districtus duos Lublinensem & Vrzędouiensem: in quibus vnus Iudex terminos iudicat Lublini primi termini, Feria secunda post Circumcisionis. Secundi, Feria secunda post Michaelis. Tertii, Feria secunda post Sanctum Matthæum.

Vrzędonii à singulis Lublinensibus Terminis post duas septimanas: qui etiam Feriis secundis incipiunt.

In hoc Palatinatu est Terra Lukouiensis, quæ habet suum proprium Iudicem: qui Lukovvi Terminos celebrat his temporibus. Primos, Feria secunda post Festum Trium Regum Secundi, Feria secunda post SS. Trinitatis, Tertii, Feria secunda post S. Lucæ Euangelistæ.

PALATINATVS BELZENSIS, habet Districtus tres: Belzensem, Grabouecensem. Horodlen. in quibus vnus Iudex Terminos obit his temporibus. Belzæ, primi termini; Feria secunda post Trium Regum: Secundi, Feria secunda post S. Adalberti: Tertii, Feria secunda post Natiuitatem S. Ioannis Baptistæ. Quarti, Feria secunda post S. Hedwigis.

Grabouecci, à singulis Belzen. post duas septimanas: qui etiam Feriis secundis incipiunt. Ibidem Hrodlenses simol & semel cum districtu Grabouecensi iudicari debent.

In eodem Palatinatu est Terra Buscensis: quæ habet suum Iudicem, qui Buscæ terminos iudicat, à singulis Belzen post vnam septimanam proximam; qui etiam Feriis secundis initium summunt.

PALATINATVS PODLACHIAE, habet Terras tres: Drohicensem, Mielnicensem, Bielacensem, quælibet suum seorsim habet Iudicem, in quibus termini celebrantur. Drohicini, Iudex Drohicien sis, terminos iudicat. Primos Feria secunda post Michaelis. Secundos Feria secunda post Circumcisionis. Tertios, Feria secunda post Dominicam SS. Trinitatis. A singulis terminis actorum expositio durat quatuor septimanas.

Melnici Iudex Melnicen sis terminos celebrat. Primos Feria secunda ante Michaelis, Secundos in crastino diei Sanctæ Agnetis. Tertios in vna septimana post Festum S. Gregorii.

In Terra Bielscensi sunt tres Districtus, Branscensis; Surazensis, Tykocinensis: in quibus Iudex terminos celebrat his temporibus: Branscæ. Primos, Feria secunda post Circumcisionis. Secundos Feria secunda post Conductus Paschæ. Tertios, Feria secūda post S. Michaelis. Surazium, à singulis Branscen. terminis, protinus, atque eos absoluerit Iudex iudicare proficiscitur.

Tykocini, Primi termini, Feria secunda post Dominicam Innocauit. Secundi, Feria secunda post Dominicam SS. Trinitatis: Tertii, feria secunda post S. Martini.

Palatinatus Kiiouien: Volhinien: Braclauien: non Polono iure; nec Processu Iudiciario Polono in Iudiciis vtuntur: sed Magni Ducatus Lithuaniæ, in quibus Termini his temporibus iudicantur.

PALATINATVS KIIOWIENSIS, habet Districtus tres, Kiiouien: Zytomirien, Hourucensem, in quibus vnus Iudex terminos celebrat. In primis Zytomiriæ: Feria secunda post Circumcisionis. Deinde Kiiouiæ, feria secūda post S. Georgij. Denique Hourociæ, Feria 2. post S. Bartholomei.

PALATINATVS WOLHINIENSIS: habet Districtus tres, Luceorienſem, Wlodimirienſem, Krzemencenſem, ſinguli habent ſuum ſeparatim Iudicem, in quibus iudicia celebrantur. Luceortæ, prima, pro Feſto Epiphaniarum Domini. ſecunda pro Feſto SS. Trinitatis. Tertia, pro Feſto S. Michaelis.

Wlodimirii à ſingulis Luceorienſibus terminis, poſt tres ſeptimanas: Krzemenieciæ à ſingulis Wlodimirienſibus, ſimiliter poſt tres ſeptimanas.

PALATINATVS BRACLAVIEN, in quo vno loco tantùm termini celebrantur, nempe Winnicæ, Primi in craſtino Epiphaniarum: Secundi in craſtino SS. Trinitatis, Tertii in craſtino S. Michaelis.

OBSERVATIO.

Juditia de loco vſitato ad alium inuſitatū, & de tempore in aliud tempus contra veterem vſum transferri per Judices, & per Nobilitatem illius Terræ, non poſſunt ſine ſpeciali conſenſu S.R.M. Alioquin Decreta extra ſolitum locum, & tempus facta, nulla eſſe ſunt pronunciandа.

IV. *Poſitionis Actorum Terreſtrium.*

Ad qua duæ tantum cauſæ pertinent.

1. Ad tollendam ſummam de bonis obligatis, ſeu pro exemptione.

2. Pro ſubdito profugo. Vnde citationes ea formula ſcribuntur, in eis cauſis, Quatenus coram Judicio Terreſtri, vel poſitione Actorum Terreſtrium legittimè compareas.

V. *Capi-*

V. *Capitanealia. Adque hi quatuor articuli iudicandi præcipuè pertinent.*

1. Jnuasio domus.
2. Actio oppressionis mulieris seu stupri. (facta.
3. Dispercussio stratæ publicæ seu præda in via publica.
4. Incendium & immissio ignis.
5. Raptus secundum Constit: 1607. De quibus latius habes supra Titulo de actionibus.

Impossessionati quoque coram Capitaneo pro qualibet re respondere tenentur. Ad hæc etiam Juditia Capitanealia vocantur iureuicti ad banier dum. Falsi etiam rei, & alieno nomine aliquid recognoscentes: tum ob non restitutionem arestatæ rei vnius septimanæ spatio, Capitaneus iudicat. Judicat etiam Capitaneus, sine strepitu iuris ociosos, vagos, fures, profugos siue fugitiuos subditos, Judiciorum, vel conuentuum violatores, infames, de Regno proscriptos, &c. id genus. Vide latius in Speculo meo Senatorũ ac Officiũ Regni Poloniæ aulæque Regiæ sub Titulo, Capitanei cum iurisdictione.

1. *Querelarum, Quarum hæ sunt causæ.*

1. Pro diuisione inter fratres.
2. Pro ex dotatione & prouisione sororum.
3. Pro violenta expulsione de tenuta.
4. Pro pœna trium marcarum abacti, vel vagi & ad fideiussoriam cautionem non extraditi; similiter ad forestam Regiam, intra triduum non præsentati pecoris.
5. Ad inscriptionem.
6. Pro famulo, absque literis testimonialibus à priori Domino obtentis suscepto.
7. Pro pœnalibus actionibus: vt pro pœna trium marcarum: pro vadio Capitaneali, centum viginti marcarum;

ob non

ob non factam diuisionem.

8. Pro Theloneo iniqué extorto.

9. Pro non soluta contributione, & famalibus.

10. Pro recenti crimine, quod durat Anno & sex septimanis.

11. Quæ pro execqutione remittuntur; & aliæ priuata lege huc pertinentes causæ.

VII. *Succameralia.*

Quæ de finibus decernunt, & bona priuatorum diffimitant. Vide in Speculo latius sub Titulo Succamerarius: & in Flosculis meis Practicis sub Titulo Granities.

VIII. *Arbitraria.*

Cum in arbitros partes compromittunt: eisque potestatem decernendi de controuersiis inter se intercedentib⁹ dāt.

Arbiter est qui recepit officium Judicis & promittit se sua sententia litem terminare.

OBSERVATIONES.

Inscriptiones ex recognitione arbitrorum nullius, sint valoris nisi sint ex consensu partium personali.

Duorum Judicum Compromissariorum sententia, dissentiente tertio si non adsit valet.

In pari numero arbitri sunt eligendi, ne duo vel quatuor facta inter se dissensione sententiam irritent: quæ a parte maiori lata, est sequenda.

IX. *Tribunalia.*

Quæ causas à supra nominatis Iudiciis per Appellationē deuolutas iudicant, sunt quæ supremæ, & vltimæ instantiæ subsella; in quibus omnes causæ effectum & finem sortiuntur: tum excessus sub celebratione illorum recenter commissos: tum ex Officiis supra nominatos Magistratus ad prosequendas Appellationes, siue de grauaminibus citatos:

tum

tum de Nobilitatis controuersiis: tum ad inscriptionem: tum inter Dominum & Famulum ex Officio ob non factas sibi rationes de bonis commissis: tum de collusionibus, & falso commissio: tum de sessione in turri, pro homicidio patrato, deque non satisfactione sessioni decretæ. plura de iisdem vide in quarta parte mei SPECVLI sub Titulo Juditia Tribunalis Regni & Officia Judicum

PROCESSVS.

Iudiciorum Tribunalis in contumaciam.

Contumatio simplex tantum in causis officii obseruatur, in causis ex motionibus prouenientibus tam Officij: quam Palatinatuum hæc obseruantur.

Propositio ad quamlibet condemnationem.

In causa & actione inter Nobiles N. actorem & N. citatum coram Iudicio Terrestri N. vertente iuxta citationem seu innotescentiam infrascriptam. In qua iudicium illud decreuit.

Alia propositio cum approbatione libertatis in contumatiam Actoris.

In causa & actione inter N. citatum coram Judicio Terrestri N. vel officio Castrensi N. vertente; occasione (scribantur essentia cum taxa) Judicium illud Terrestre vel officium Castrense decreuerat (scribendum decretum illud breuibus) à quo decreto actor motione proueniente in cõtumaciam actoris per Ministerialem generalem prouidum N. quatuor vicibus vltra formam iuris clamati & non cõparentis. Judicium præsens sententiam illam præfatam iudicii terrestris seu officij Castrensis N. in toto approbat & ratificat. Hic animaduertendum quod si contumatiam obtineat citatus super euasionem; essentiam deductione, & propositione obmittenda, & post approbationem sic con-

cludendam. Nihilominus idem citatus ipsum Actorem in euasione citationis & causæ condemnat, iuxta citationem tenoris talis. Inseratur citatio.

Lucrum simplex similiter scribendum tantum sine aresto.

Lucrum post arestum.

Similis deductio propositionis & termini absq; essentia quæ subsequetur in citatione ad hæc verba, vigore cuius motionis loco quorum: scribendum Intermino itaq; hodierno vigore eiusdem motionis incidentis in contumatiã citati, per Ministerialem generalem prouidum N. quatuor vicibus clamati & non comparentis post arestum ex parte Actoris vel citati per Nobiles N. condemnationem priorem factam Judicium præsens, &c. sententiam præfatam Terrestrem vel Castrensem, (approbat) vel retractat (vel cass.) Nihilominus pars Actorea in vlteriori processu ipsum citatum per eundem Ministerialem clamatum & non comparentem in toto suo lucro condemnauit; iuxta citationem causæ huius originalem tenoris talis.

Patet pœna XV. *alias trium Marcarum parti & Judicio totidem.*

Remittiturq; causa præsens ad iudicium præfatum Terrestre pro vlteriori Processu contra citatum iuxta formam iuris obtinendo. Quando verò ad officium Castrense: (additur) & exequutione facienda. Euasio similis, mutatis mutandis sine remissione.

Lucrum post controuersiam.

Deductio termini ex motione cum essentia breuissima propositionis, tãdem decernitur per controuersiam vltimo; in vlteriori verò processu vel in responsione plenipotentis citati aut citato à Iudicio præsenti temere recedentis atque ad acclamationem Ministerialis generalis prouidi N. quatuor vicibus vltra formam iuris factam & non comparentis;

Actorea

Actorea pars eundem citatum vti contumacem in toto suo lucro condemnauit iuxta citationem causæ huius originalem tenoris talis. Inserarur citatio. Reliqua vt supra.

Lucrum diuisionis.

In vim autem lucri iudicium præsens bona in citatione specificata iuxta iura & interesse partis vtriusque per amicos ex vtraque parte binos & officium Castrense N. præsentibus deputatum abhinc in sex septimanis esse diuidenda decreuit sub vadio Capitaneali 120. Marcar: Polonicalium.

Quod in casu contrauentionis decreto præsenti super citato decernitur, Ministerialis quiuis generalis cum Nobilib' duobus ad intromittendum actorem in bona citati vadio præfato, iuxta Statutum æquiualentia deputatur, causasque præsens ad locorum Capitaneos sub quorum Jurisdictione bona diuidenda & citati propria consistunt, pro finali exequutione facienda remittitur.

Lucrum diuisionis vel dotis solutionis.

In vim autem lucri ad affectationem Actoreæ partis, iudicium præsens bona in citatione specificata iuxta iura & inte esse partis vtriusque, ab hinc in sex septimanis diuidenda, per amicos cuiuslibet partis binos ex linea paterna vel materna actricis proximiores officium Castrense N. præsens deputatum vel dotem assignandam & soluendam decernēt sub vadio Capitaneali 120. Marcarum Polonicalium, quod in defectu satisfactionis præsenti decreto super citato & bonis eius decernitur, & Ministerialis generalis quiuis, cum duobus Nobilibus deputatur, ad intromittendam actricem in bona citati vadio iuxta Statutum correspondētia; causamque præsentem pro vlteriori exequutione præmissorum facienda ad loci Capitaneos, quorum iurisditioni bona præfata & citati propria subsunt, remittit.

Lucrum exemptionis & summæ coram Officio Castrensi reponendæ.

Exordium ex motionis forma supra scripta. In vim autem lucri ad effectationem actoris Iudicium præsens bona prædicta esse exemptibilia adinuenit, vsq; actori citatus de bonis præfatis summam N. florenorum Polonicalium coram officio Castrensi N. in terminis querelarum post decursum sex septimanarum proximè celebrandarum reponat, & citatus eandem recipiat acde recepta quietet, & de bonis actoris condescendat, eadem q; in possessionem tradat, decreuit, sub vadio Capitaneali 120. Marcarum Polonicalium præsentibus interposito atque ad intromittendum actorem in bona præfata exempta, Ministerialem quemcunq; generalem cum duobus Nobilibus addit, & causam præsentem ad loci Capitan: sub quorũ iurisditione bona eximẽda & citati propria cõfistũt pro finali exequutione faciẽda remittit.

Lucrum in causa expulsionis.

In vim autem lucri Iudicium præsens bona prædicta reformationi cuius transfusionem Actrix obtinuit subiecta de quib⁹ per citatum est violenter expulsa eidem actrici adiudicat & restituit. Ad intromittẽdũq; eãdẽ in bona præfata Ministerialẽ quẽuis generalẽ cum Nobilib⁹ deputat & vadiũ Capitaneale. 120. Mar. Polonicaliũ de non impugnanda ipsa reintromissione interponit, causamq; præsentem pro vlteriori illius exequutione facienda, ad officium Capitaneale cõpetens, sub cuius iurisditione bona præfata (& ratione vadij) citati propria consistunt, remittit. Nihilominus ratione damnorũ eadem expulsione sequutorũ, actrici saltẽ viam in foro competenti agendi contra citatum reseruat.

Lucrum in causa expulsionis in termino iuramenti ratione damnorum.

In vim autem lucri & in contumaciam citati, quorum reintromissio & bona præfata decreto iudicij Tribunalis Regni

gni præteriti sunt adiudicata, terminus verò præsens est iuramenti non factæ expulsionis per citatum præstandi, quod per condemnationem in lucro citatus spreuit; Ideò iudicium præsens continuationem actionum ratione reintromissionis præfatæ, & pro damnis ex eadem expulsione sequutis, viam agere actoræ parti reseruat.

Lucrum cassationis bannitionis.

Et in vim lucri Judicium præsens bannitionem prædictã super moderno actore obtentam, vna cum toto antecedenti & sub sequenti processu, tollit & cassat præsentis decreti vigore.

Lucrum cassationis bannitionis in causa Fisci.

In vim autem lucri & in contumaciam citati Judicium præsens bennitionem præfatam cum toto antecedenti & subsequenti processu, tollit & cassat, decernit, nihilominus calculum seu rationem in thesauro Regni per actorem in sex septimanis proximis faciendam.

Lucrum exequutionis in persona partis adhærentis faciendæ.

Et in vim lucri ac in contumaciam citati iuri communi inhærendo, iudicium præsens, &c. decreuit exequutionem in persona citati iureuicti, iuxta decretum Terrestre N. & Statutum anni 1570. faciendam per Capitaneos locorum sub quorum iurisditione iureuictus deprehendetur, ad quos causa præsens pro eadem exequutione facienda, remittitur.

Lucrum Palatinatus Wolchiniæ.

Vrodzony N. powodowa strona Szlachetnego do Sadu ninieyszego głownego Trybunalskiego/ przez wożnego Generała/ opatrznego N. cztery razy nad prawo wołánego/ á iednak nie stałego/ w vpadku rzeczy wzdał ná roku ná dziśieyszy dzień przypadáiącym/ wedle porządku Sadow tych/ y według pozwu w te słowá. Inseratur Citatio.

Sąd tedy ninieyszy głowny Trybunalski Lubelski/za niestaniem strony pozwaney / na prośbe powodowa / przychyláiąc się do práwá Wołynskiego winy ná pozwánym w práwie opisáne / ßáczunek/w pozwie wyrażony skazuie / y te sprawe wßystke ná odpráwe y ná Exequutią skuteczną do Stárosty należącego / pod ktorego zwierchnośćią są / y dobrá iego podlegáią odsyła.

Astitio termini post controuersiam.

Exordij deductio per controuersiam & in contumatiam, prout lucri cum essentia breuissima. In vlteriori processu vel in responsione, plenipotens citati (aut concitati) à iudicio præsenti temere recedentis, atque ad acclamationem Ministerialis generalis N. quatuor vicibus vltra formam iuris factam non comparentis. Actorea pars contra eundem citatum terminum concitatorium astitit, iuxta concitationem tenoris talis. Inseratur citatio & reliqua iuxta astitionem Terrestris processus; vt habes supra sub Titulo de processu.

Astitio debiti ad Jnscriptionem.

In vim autem astitionis termini præfati Judicium præsens vadium suprascriptum parti actoreę adiudicauit, vt que cõcitatus in vim satisfactionis pro lucro parti actoreæ in summa essentiali & vadio intromissionem realiter in bona sua inscriptione & processu onerata, vadioq; iuxta Statutum correspondens per Ministerialem quemuis generalem cum Nobilibus præsentibus deputatum admittat, admissamque per se & submissas personas non præpediat, præsentibus decernit & causam præsentem pro vlteriori exequutione facienda ad loci Capitaneum sub quorum iurisditione bona citati consistunt, remittit.

Astitio ad instigationem Jnstigatoris Reipublicæ & partis actoreæ pro pœnis legum.

Et

Et in vim astitionis præfatæ, in contumatiam concitati ad instigationem instigatoris Reipub. partisque actoreæ Judicium præsens, &c. super eodem concitato iureuicto pœnas videlicet sessionis in fundo turris castri N. per tempus Constitutione Regni præscriptum decreuit, sub pœna infamiæ, quæ iam ex nunc decernitur, & ad publicandum ad officium competens remittitur, bonaque eius omnia, ad fiscum Reipub. Rauam inferendi, & parti actoreæ per medium applicandi adiudicat perpetuo, Ministerialemque generalem cum duobus Nobilibus ad intromittendū instigatorem Reipub. & partem actoream, in bona eadem adiudicata addit decreti præsentis vigore.

Astitio contra impossessionatum.

Et in vim astitionis, &c. Judicium decreuit, vt citat⁹ pro summa & vadio super se lucrato, parata pecunia ab actu præsenti in decursu duarum septimanarum parti actoreæ satisfaciat aut fideiussores Nobiles possessionatos, qui pro satisfactione rei iudicatæ in decursu sex septimanarum fiēdæ, inscriberētur statuat. Sub pœna bannitionis præsentis interposita. In defectu autem satisfactionis ad officium N. sub cuius iurisditione citationes contra ipsum positæ sūt, pro vlteriori processu & finali exequutione facienda iuxta præscriptum iuris communis, contra impossessionatos laudati, remittit.

Innotescentia vadiorum triplicatorum interpositionis.

JVdicium præsens &c. Tibi Nobili N. innotescimus causam & actionem Generosi N. Actoris terminum ratione occupationis bonorum N. & taxe N. lucrorum & perlucrorum coram officio Castrensi vertente, ex vi motionis à decreto officij Castrensis N. per te seu ipsumet actorem interpositam, esse deuolutam. In qua causa decreuimus ber a-

præfa-

præfata per te deoccupari, & in possessionem Actoris tradi, intromissionemq; te in tua bona propria, lucris, & processa oneratam, iuxta exigentiam statuti æquipollentis in taxa, lucris, perlucris, & pœnis admitti debere. Vtq; præmissis satisfaceres & non contrauenires, vadia triplicata, taxam, lucris, perlucris an pœnis correspondentem videlicet N. Marcarum Polonicalium interposuimus, & Ministerialem quemuis generalem cum duobus Nobilibus quoscunq; Actor conducet ad peragendum deoccupationem & intromissionem præfatam deputauimus. Vtq; ad notitiam tuam vadia præfata deducantur, literas præsentes, in bona importari Ministeriali generali quouis, & Nobilibus duobus iniũgimus & mandamus, Dat Lublini, &c.

In causa debiti seu iniuriæ similiter; omissis omittendis.

Arestum pro futuro Tribunali.

In causa & actione coram iudicio Terrestri vel officio Castrensi N. vertente, inter N. actorem & N. citatum ratione (scribatur essentia cum taxa) Iudicium seu offisium illud decreuit &c. (scribatur decretum & motio) In termino itaq; hodierno vigore motionis eiusdem incidentis, in contumatiam citati per Ministerialem Generalem prouidũ N quatuor vicibus vltra formã iuris clamati & non cõparẽtis, sentẽtiæ illi⁹ cassationẽ seu approbationẽ & tãdẽ euasionẽ: vel in lucro condemnationem & admissionẽ iudicij præsentis actor vel citatus præfatus obtinuit. Tandem Iudicio surgente Nobilis N. personaliter veniens eandem motionẽ ipsam ex parte (eiusdem citati vel Actoris) per eundem Ministerialem arestauit, offerens (iesli sam citatus albo actor arestuie pisac) se velle cum principali suo iure experiri, quod per iudicium præsens eidem est concessum & terminus prosequendi aresti, vlteriorisq; processus parti vtrique conseruatur.

Simile

Simile Arestum euasionis mutatis mutandis vt supra.

Forma relationis positæ citationis ad Tribunal pro acticatione illegitima & cassatione inscriptionis.

Comparens personaliter coram officio præsenti C C. N. Ministerialis generalis Regni prouidus N. publice & liberè recognouit. Quia citationem sigillo Terrestri N. obsignatam, pro Judiciis Ordinariis Generalibus Tribunalis Regni N. proximè celebrandis spectantem terminum à positione eius in duabus septimanis præfixum in se continentem supra G. R. Notarium Terrestrum N citatum ad instantiam Nobilis N. actoris pro acticatione illegitima & cassatione inscriptionis G. N. consorti G. N. seruientis, super summam N. millium florenorum Polonicalium modo obligatorio in N. Generosi olim N. patrui Actoris protunc morbo paralitico infesti, & mente seu ratione destituti hæreditariis & super actorem deuolutis eadem inscriptione, assecurata iuxta citationem texam N. Marcarum Polonicalium & reseruationem actionis cum Camorariis Terrestribus N in se continentem N feria N. proximè præterita in curia bonorum N posuit & familiæ seu N. ibidem præuento publicauit.

X. *Exercituum Ducis Generalis.*

Cui data est Constitutionibus potestas in milites animaduertendi, pro grauitate excessus, neque eius Judicium in disquisitionem à quòquam vocari potest: ne disciplina militaris, quæ est firmamentum Reipublicæ; & quæ antiquitus à maioribus diligente., & integerrimè fuit obseruata, impunitate collabatur. De hoc vide latius in SPECVLO meo. Sub Titulo Exercituum Regni generalis. Et in COMPENDIO Statutorum & Constit. Parte 5. Tit. 4.

XI. COMMISSORIALIA.

Qui de fundo Regio & priuatorum cognoscunt, eumque dissimitant. Commissarii quatuor Articulos iudicant.

1. Pro dissimitatione bonorum Regalium à Nobilium bonis. Limites enim inter bona vtriusque Regalia non per Commissarios sed per Rouisores constituuntur; & probantur iuramento fidelium.

2. Pro exemptione bonorum Regalium.

3. Pro diuisione inter fratres, aut pariùs habentes nisi de iuribus obstat controuersia: tunc enim ad Jus Terrestre definiendum remittendum est.

4. Thelonea, Pontalia, Aggeralia, alias omnia vectigalia reuident & censuram in Comitia defferunt aut mittunt.

Ad Commissionem requiruntur tria.

1. Commissio Regia, qua subscriptis personis negotium competens committitur.

2. Mãdatum Regium, quo Tenutario, vt pareat coram eis mandatur.

3. Innotescentia Commissionis Tenutario, per Commissarios, sub sygillis & subscriptione manuum ædenda.

Et hæc innotescentia vna cum mandato per Ministerialẽ & duos Nobiles ad Capitaneum seu Tenutarium, duabus septimanis ante terminum ad limites; ad redimenda vero bona Regalia sex septimanis est inferenda, & ad manus citãdorum tradenda.

FORMA COMMISSIONIS S. R. MAIESTATIS.

Magnificis, Generosis N. A. G. Sincerè & fideliter nobis dilectis, Gratiam nostram Regiam.

Magnifici ac Generosi Sincerè & fideliter nobis dilecti. Relatum est nobis, certas esse differentias occasione limitũ inter bona nostra Regia. Oppidi N. & villam N. tenutæ Generosi N. ab vna & bona hæreditaria villam N. Generosi N.

si N. Partibus ab altera, ad quas deffiniendas & constituendas Sincerit. & Fidelit. Vest. quorum nobis fides & integritas in rebusq́ue gerendis dexteritas & iuris peritia, plurimũ commendata est. Commissarios designauimus. Mandantes vt certo aliquo die tempore competenti, ad loca in quib⁹ de finib⁹ cõtrouersia agitur conueniant, vocatisq́ue ad sui præsentiam partibus quorum interest, ac auditis earum propositionibus & rationibus acceptoq́ue insuper senum, ac aliorum fide dignorum hominum sufficienti testimonio, medio ipsorum corporali iuramento, nullius nisi Dei & iustitiæ rationem habentes, in quo Sincerit. & Fidelit. Vestræ, conscienscium oneramus limites inter ipsa bona constituant. Et quoniam etiam bona hæreditaria Nobilium N. N. & N. videlicet villa M. nec non villa O. Nobilium N. adiacent à latere bonis suprascriptis: Quare Sinceritat. & Fidelit. vestræ eosdem etiam Nobiles ad præsentiam sui etiam vocent atq́ue terminum comparendi parietesq́ue suos ipsis limitibus continguos attentandi, præfigant. Quidquid verò inter præfatas partes decreuerint ab ijsdem firmiter conseruari faciant: Duorũ vel triũ vestrũ absẽtia nõ obstãte. Pro gratia nostra Sincerit & Fidel. Vestr. aliter nõ facturæ.

MANDATVM S. R. M. iuxta Commissionem.

Famatis Proconsuli cum Consulibus, Aduocato cum Scabinis totæq́; communitati oppidi N. fideliter nobis dilectis. Gratiam nostram Regiam. Famati fideliter nobis dilecti designauimus certos Commissarios nostros, ad faciendos & constituendos distinguendosq́ue limites inter bona nostra Regalia oppidi N. & villam N. tenutam Generosi L. A. parte ab vna, & villam hæreditariam N. Generosi N. ex altera partibus Quapropter vobis mandamus, vt cum per dictos Commissarios nostros vocati fueritis, coram illis cõ-

parcant, prædictiſque limitibus interſint. Secus pro gratia noſtra non facturi.

Aliud mandatum ad vicinos habentes contiguam parietem.

Generoſis N. fideliter nobis dilectis. Gratiam noſtram Regiam. Fideliter nobis dilecti. Deſignauimus certos Commiſſarios noſtros ad faciendos limites inter bona noſtra Regalia Oppidi N. & villam N. tenutæ Generoſi N. ab vna, & bona hæreditaria villæ N. Nobilis N. partibus ex altera. Quoniam verò bona Fidelit. veſtr. villa N. N. dicuntur eſſe contigua bonis ſupraſcriptis. Ideò Fidelit. Veſtris mandamus; vt cum ab ipſis Commiſſariis noſtris vocati fuerint coram illis compareant, limitibuſque ipſis interſint, parietem ſuum; ſi quidem bonis ipſis eſt contiguus, attentaturi. Pro gratia noſtra aliter non facturi.

Mandatum tertium ad Tenutarium.

Generoſis N. A. & N. O. Fideliter nobis dilectis. Gratiam noſtram Regiam Fideliter nobis dilecti. Deſignauimus certos Commiſſarios noſtros ad faciendos & conſtituendos limites inter bona noſtra Regalia, Oppidum N. & villam N. Nobilis C. R. hæreditariam. Qua propter mandamus Fidelitat. Veſt. vt cum per ipſos Commiſſarios noſtros ad limites præfatorum bonorum vocati fuerint, coram illis compareant. Quidqui verò prædicti Commiſſarij noſtri inter Fidelit. Veſtras decreuerint, id firmiter obſeruent. Prouideant tamen ne bonis noſtris Regalibus aliquod præiudicium vel damnum inferatur. Pro gratia noſtra & officio ſuo ſecus non facturi.

Innotescentiæ Commiſſorialis Forma.

Nos, &c. Titulus Commiſſariorum ſcribatur & addatur: Commiſſarij per Maieſtatem Regiam ad infraſcripta dati & ſpecialiter deputati.

Famatis

Famatis vel vobis Generosis N. M. O. ex omnibus bonis vestris, mobilibus & immobilibus, per vos vbilibet & quomodolibet habitis & possessis. Innotescimus præsentibus oblatas nobis esse literas Commissionis, S. M. Regiæ. D. nostri clementissimi pro parte N. (scribantur partes) quibus literis Commissionis sua S. Maiestas Regia, nobis negotium ad faciendos & constituendos limites inter bona Regalia N. committere dignata est, mandando vt constituto certo die & tempore, huius rei gerendæ apto, ad loca, in quibus de finibus controuersia agitur, descenderemus, vosque vocatis ad sui præsentiam, auditisque vestris propositionibus, acceptoque insuper senum ac aliorum fide dignorum hominum sufficienti testimonio, medio ipsorum corporali iuramento, limites inter ipsa bona constitueremus, prout de præmissis omnibus eiusdem literæ Commissionis S. M. Regiæ testantur & obloquuntur. Proinde eidem Commissioni Sacræ R. M. in toto prout & tenemur satisfacere volentes, vobis vigore Regio & nostra, qua in hac parte fungimur Commissoriali authoritate mandamus: quatenus coram nobis iudicioq; nostro Commissoriali (scribatur locus & tẽpus) Ad instantiam N. compareatis. Qui vos citat ad videndum & audiendum per Vos Commissionem prædictam, S. Maiestatis Regiæ in toto debitè exequi & ea omnia quæ in eiusmodi dissimitatione de iure fieri consueuerunt facienda decerni, prout ea iudicialiter vobis in termino futuro latius deducentur & declarabuntur sitis attentaturi, audituri, & si quid de iure vobis competierit, iudicialiter sitis responsuri. Certificando Vos, quod siue in dicto termino comparueritis siue non, nos ad eaquæ nobis vigore Commissionis Sacræ Maiestatis Regiæ incumbunt, procedemus, Iudiciumq; nostrum procedet, Dat. in. &c.

OBSERVATIONES.

Dillationes in actu granicalium Commissionum per Cõmissarios S. R. M. nullæ concedantur, nec appellationes. Nam sunt Iudices vnius diei. Const. 1588. fol. 26.

Commissarij repræsentant Regem respectu bonorum Regalium, in granicebus inter fundum Nobilis & Regis.

Commissarij debent videre vtriusq; partis inequitationes aliàs zàázdy, & quæ pars habuerit potiora signa eam sequi debent, & decernere senibus, huius partis iuramentum, & iuxta eorum iuramentum, sipare scopulos, non autem mediate inter partes (vt veteres illi) Nobilis N. potest & solet admodum longè inequitare in fundam, & per mediationem obtinent multum fundi.

Si Commissarij fundant iurisdictionem in alieno solo nihil iuris addit aut minuit.

Inter Regem & Nobilem, fossitile, vomer, piesnia & securis, non sunt certæ notæ granicierum, hoc est quando effodiuntur dumeta arantur agri, apisteria constituuntur, & incisiones syluarum fiunt per alterutrum in fundo non dissimitato.

Fundationes villarum & proprietas Vroczysk antiquorum, valent ad probandam proprietatem fundi ad lineam, non autem ad ductum granicierum & quantitatem fundi.

In Commissione inequitationes & ductus, prout in granicibus Terrestribus obseruantur. Verum hic Nobilis statuere debet senes ad testimonium; Commissarij vero qui potiora signa habuerit adiudicare debent Actoratum.

Commissiones granitiales non possunt ei sine Succamerario & duobus Dignitariis, & totidem officialibus Terrestribus.

In Citatione Commissoriali scribendi. In absentia autem

tem horum modo sunt ij qui de jure adesse debent.

Non Capitaneus sed Nobilis educit Commissarios.

Ad Commissionem oportet vt Nobilis cum Capitaneo eo intelligentiam habeat de Commissarijs propter diminutionem fundi Regalis, quod Rex obseruare solet dando Commissarios.

Violatores seu dispercussores iudiciorum publicorum & etiam Commissariorum & Capitanealium collo priuantur, & si forte de Regno aufugerint bona illorum confiscantur. Vide in Memoriale meo. Pag. 159.

In Judicio Commissariorum quomodo procedendum.

In prim. à parte actorea dicat procurator Magnifici Domini N. ipse Actor manifestat seu offert coram Mag. V. Commissionem S. R. Maiestatis, vigore cuius S. Regia Maiestas commisit dissimitationem (vel diiudicationem huius causæ) horum limitum de quibus controuersia agitur M. M. V. V. constituere Et legatur.

Post lectam Commissionem, actor petat vt D D. Commissarij dignarentur, fundare iurisdictionem suam Commissorialem. Postea ministerialis proclamet Judicia ex iussu Commissariorum, & vocet partem citatam more solito.

Forma scribendarum Commissionum.

Scribatur actus Commissionis. Sic: Actum in campo N. (specificetur locus, dies & annus) Postea scribendū corā Reuerēdis, Generosis, &c. (nominētur D D. Cōmissarij de nomine & cognomine) Cōmissarijs causæ & partib' infra scriptis à S. R. M. DD. clementissimo datis & deputatis Comparens personaliter (scribatur Actor de nomine & cognomine) produxit & legi curauit literas Commissionis S. R. Maiestatis in causa illi vti Actore cum (scribatur pars aduersa) occasione (scribatur occasio) incidente: petiitque Ju-

risdi

vilidationem Commissorialem fandari vigore eiusdem Cō-
missionis exhibitæ, cuius Tenor sequitur talis.

Sigismundus &c. scribatur tota.

Insuper literas Inacotescentiæ & termini pro die hodierna incidentis parti aduersæ vna cum mandato S. R. M. per Ministerialem Regni generalem (nominetur Ministerialis) juxta relationem eius ad præsens eo nomine factam reddidit sub tenore tali.

Scribatur tenor mandati.

Postea controuersiæ de re pro qua agitur tam actoris quā citati & decreta Commissariorum ad quamlibet instantiam lata tam in accessorijs quam in principali, scribantur.

Plura de Commissarijs & Commissionibus habes in memoriali meo Statuorum & Constitutionum Regni fol. 76. titulo Commissio, Commissarij: & in Compendio meo idiomate Polonico edito in tertia parte. Tit. O Commissarzàch y Commissyách.

XII. *Composita ex Capitaneali & Ciuili.*

Vt pote pro violentia per Nobiles in Ciuitatibus facta, juxta Statutum Thorunense.

VIII. *Mixti fori.*

Quæ ad varia iudicia, seu officia pertinent: vt pro iniqua thelonei extorsione: ad inscriptionem: pro diffidatione: tam ad Commitia, quam ad Judicia Terestria: Dominus seruum ad quodcunque forum citat ex Officio, seruus etiā à Domino fugiēs cuilibet foro subiacet: pro pœna 100. marc; cōtra negligentem Capitaneum: pro contributione: & id genus.

XIV. *Palatinorum.*

Qui judicant Judæos: Mercatores breuiores pannos vēdentes: fraternitates artificum in detrimentum publicum factas: Ministeriales: Proconsules, prætia rebus imposita

à Palatino

à Palatino obseruare non curantes. Locus autem Proconsuli præfigitur à Palatino in Prætorio Ciuitatis primariæ sui Palatinatus, vide in Speculo meo Senatorum suprænominato sub Titulo Palatinatus.

XV. *Marschalci Regni.*

Ex termino tacto in Comitiis, & in curia Regis.

XIV. Sub Interregno.

Statuunt sibi Judiciorum rationem Palatinatus in Conuentibus suis: de quo in conuocatione Anni 1587. Confœderatio facta testatur. Tituli autem citationibus tales à cõstitutis Judicibus præponuntur. Nos Proceres Regni &c.

Fiunt etiam vocationes seu cessationes Judiciorum, quæ dicuntur Feriæ: nempe dies, quibus vacat forum à Juditijs.

Et sunt triplices.

1. Legittimæ. Quæ Statuto & Constitutionibus descriptæ, consuetudineq́, receptæ sunt: nempe ea tempora, quæ à Judiciis excepta ac libera sunt, vt sub Commitijs, sub Interegno, donec à Palatinatibus constituantur.

2. Repentinæ. Quæ ob publicam perturbationem fiunt, vel incursionem hostium, vel expeditionem bellicam, vel ob mortem personarum ad Judicium pertinentium; vt potè Judicis, vel Subiudicis, vel Notarij Terrestris: vel ob aliam grauem necessitatem cui humano consilio obsisti non possit, vt ob pestem, vel ob publicam gratulationem, videlicet victoria parta, triumphoque celebrato, & ob alias id genus causas.

3. Solennes. Vt potè dies Festi, Deo & Sanctis eius dicati. Qui si inciderint impediunt plerumque Officiorum & Judiciorum Capitanealium exercitium.

Limitationis Judiciorum seu Officiorum Forma.

Judicium seu Officium Castrense Capitaneale H. termi-

nos Judiciorum siue querelarum ac causarum officij N. in diem hodiernam in actu contentam legitime cadentem, incidentem & prouientem, ad diffindendum exquacunque ratione & causa vertente & mota in quocunque puncto & gradu iuris dependente omnium & singularum partium actorum & citatorum; motu & vigore proprio ex certis rationibus videlicet N N O. hinc ab actu præsenti ad sex (seu ad duas) septimanas proximè venturas, in eodem vigore & robore prout hodie fieri & diffindi debuerunt, limitauit, prorogauit, & distulit; Terminumque eisdem partibus assignauit, & Ministeriali Generali Regni Prouido N. de N. in circulo ciuitatis N. & in alijs locis publicis coram multis Nobilibus pro tunc ibidem existentibus proclamari, & ad notitiam indubitatam deduci mandauit, ratione quorum præfatus Ministerialis (vt supra) suam expressam relationem coram officio præsenti N. fecit. Et habent, habebuntque partes præfatæ omnes & singulæ tàm actoreæ quam citatæ, tum innotescitæ, terminum, in omnibus causis suis, coram Judicio seu officio Castrensi N. in Castro N. in sex, seu in duabus septimanis proximè & immediatè venturis, in eodem vigore & robore, talem qualem hodie habere debuerunt, nullius partis iure læso, immò vtrisque saluo in robore conseruato, iuxta ipsarum partium citationes primas & secundas, Innotescentias brachij Regalis & exequutiones quasuis, in lucro condemnationes, astitiones, remissiones, terminorum scriptiones, rothas iuramentorum, Dilationes, Decreta quæuis, partium controuersias, deliberationes iuditij seu officii & quasuis litis pendentia atque acta præsenti, in se de præmissis latius canentia & obloquentia.

Intermiss.

Intermissionis Iudiciorum Officii Castrensis tempore Iustitionario.

Officium præsens CC. N. videlicet Generosus N. absoluit causas ad Judicia querellarum pro die hodierna incidentes à continuatione huiusmodi iuditiorum querellarum seu causarum Officij præsentis CCC. propter imminentem proximè Conuentum particularem N. in literis S. R. M. pro feria N. incidentem, indictum Conuentum Regni Generalem N. proximè subsequenti celebrandum inhærendo Constitutioni Regni de tempore iustitionario sanctæ supersedent, & se à iudicatione causarum omnium ad querellarum terminos officij præsentis pertinentium ex nunc supersedisse, Ministeriali Regni Generali, N. in hipocausto vbi Judicia querellarum officii præsentis de consuetudine celebrantur in frequentia Nobilitatis & in locis consuetis proclamare & publicare mandauit. Qui quidem Ministerialis coram eodem officio & actis præsentibus N. personaliter stans recognouit præmissa oia ex mandato officij præsentis die hodierna se publicasse.

Forma reassumptionis Judiciorum officii Castrensis post decursum duarum septimanarum à determinatione Conuentus.

Actum in Castro N. feria N. proxima die videlicet prima reassumptæ iurisdictionis iudicandorum terminorum querellarum seu causarum officij C C N. post decursum duarum septimanarum à determinatione Con-

ne Conuentus Regni Generalis N. proximè nunc celebrati. Anno Domini. 1619.

Finis Processus Iudiciarii.

SIT SANCTVM DOMINI BENEDICTVM IN SECVLA NOMEN.

Feci quod potui, potui quod Christe dedisti;
Improba fac melius si potes Inuidia.
Quò me virtutis ducit via, quo pius ardor.
Hâc sequar, hac felix, hac duce tutus ero.





54. MLF-XVIII